UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi (dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris succinctim complectens

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Visual Library

B. D. L.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 1129. c
I 29.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex donatione R D. Sebastiani Schollten. 1598.

DN.

CONRADI CLINGII THEOLOGI ET ECCLESIASTAE CELEBERRIMI (dum vixit) APUD ERPHORDIAM TURINGIÆ,

CATECHISMVS CATHOLICVS, summam Christianæ institutionis IIII. libris succinctim complectens.

Collegij Societatis Jesu Paderborna

Item Autoris Eiusdem Summa Doctrinæ Christianæ Catholicæ.



COLONIAE.
Apud Hæredes Arnoldi Birckmanni,
Anno, M. D. LXX.
Cum gratia & priuilegio Cæs. Maiestatis.

CONFESSIO CATHOLICAE DOCTRINAE, FIDEI ET *Religionis, Venerabilis Domini ac Patris Conradi Clingij, ordinis S. Franciſci, Doctoris & concionatoris apud Erfordiam in Turingia.*

Catholico Lectori gratiam & pacem in Chriſto.



TSI neceſſarium haud eſſet, amice lector, mea ieiuna ſcripta hoc turbulẽto ſęculo in lucem dare, cum abſq; ijs vbiq; ſuperfluat, abundeque ſatis librorum præ manibus ſit, vndè ſufficientem Catholicus Lector inſtructionẽ habeat, quid ſibi vel credendum, vel faciendum, quomodò itẽ errores omnes ac falſam doctrinam Eccleſiæ Catholicæ aduerſantem præcauere queat: ipſa tamen neceſſitate compulſus ſum hoc ipſum tentare, quô ſectę mendaces ſua conficta mendacia in colla reſorbeant, coramq; vniuerſo mundo confundantur. Accidit enim, vt ego proximè tranſacto anno, nempe 1554. graui ſecundùm Dei voluntatem infirmitate grauarer, ſic vt meum ex hac temporali vita deceſſum iamiam adeſſe putarem

tarem. Ea tum res magno sectas gaudio affecit, vt nec potuerint meum hinc abitum expectare: verum ex proterua & inueterata aduersum me inuidia, ante tempus sparserunt rumorem apertè falsum, me conciones meas omnes ac doctrinas, quas iuxta formam ac morem Catholicæ Ecclesiæ, item ex mandato veræ & ordinariæ Potestatis, annis triginta sex Erfordiæ prædicâssem ac docuissem, reuocasse, & ab Ecclesia Catholica defeciſſe, atq; ad suam damnatam sectam transiisse. Cuiusmodi totum propterea ab ijs confictum confectumue est, vt veteres Catholicæ fidei Christianos ad suam partem traherent, aut certè ambiguos redderent.

Quoniam verò Deus odit mendacia, Ps. 5. neq; mihi vnquam in animo statui, ex vnitate Catholicæ Ecclesiæ me quoquam transferre: immò assidua mea petitio ad Patrem misericordiarum hæc est, vt me ob Christum dilectum filium suum, meum Dominum ac redemptorem, ab omni sectarum doctrina & proteruia custodiat, causam hanc & eiusmodi falsi rumoris excogitatores Deo commendaui. Testificans etiam coram Deo & omni mundo, decreuisse me per Dei auxiliũ apud Ecclesiæ Catholicæ vnitatem manere, neque me vllius sectarum doctrinæ & fidei, sacramentorum & cæremoniarum participem reddere

dere,nec ea probare, multò minùs ad eas accedere.Idq́uc harum rerum gratia:

Primò, quòd ſectarum doctrina, Gloſſatio ſcripturæ, vſus ſacramentorum, abſq́; omni obedientia ſublimioris poteſtatis, ex propria tãtùm peruicacia,præſumptione ac petulantia aduerſus Eccleſiaſticum & ciuilem magiſtratum ſit, odioq́; & inuidia propagetur ac velut per ſeditionẽ defendatur,etiamſi obedientiam præſtare iubeat Rom.13.1.Pe.2.

Deindè, cum nulla inter ſectarios præcones vnitas ſit,alio contra alium concionante, docente,ſcribente,hocLutericè,illo Zuinglicè,eo Oſiandricè,iſto Illyricè:cumq́; iã Chriſtus iubẽat Eccleſiam audire,Mat. 18.Scripturaq́; intellectu Catholico, non priuato, tractanda ſit: eapropter quia nihil vnitatis reperio apud ſectas, verum in Catholica Chriſti Eccleſia, per patientiam & conſtantiam ſuam hæreſibus omnibus præualente: oro Deum, vt in Eccleſia ſua Catholica, etiamnùm ordinarios à Chriſto Rectores, ſpiritualem & ſecularem,Papam& Imperatorem habẽte,conſeruet.

Poſtremò,certum mihi eſt,extra vnionem Eccleſiæ Catholicæ, neq; fidem, neq; opera, neq; ſacramenta, neq; cultum Dei, coram Deo valere aut meritorium eſſe, propter aduerſariorum contra Eccleſiam catholicã odi-

um atq; discordiã. Nunquàm enim vult Christus sacrificium altaris absq; reconciliatione & concordia fraterna, Matt. 5. & Paulus 1. Corinth. 13. ait: Si habuero omnem fidem, ità vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.

Quum item varia in me lata sint iudicia, velut qui contra Dei verbum, sacram scripturam, vsum sacramentorũ & cæremoniarum, fidei & operum, docuerim, ac valdè peruersè docuerim: Ob id ego cursìm quasi in summa, quid de partibus istis omnibus à me doctum sit, obiter asignaui. Hoc ipsum quale cunq; legere possunt amici & inimici, iuxtaq; suum beneplacitum iudicare. Mihi sat est, quòd Christo & Catholicæ eius Ecclesiæ inseruiêrim, cui me etiam humiliter subijcio, vt corrigatur, si cubì à me erratum aut plùs minùsue quàm debuit, doctum aut scriptum sit.

Neque inficiàs eo, congessisse me ex veteribus ac nouis doctoribus, quicquid vspiàm inuenerim Christianum, verũ, Catholicum, & à probatis authoribus semper assertum, iuxta mandatum S. Ioannis Apostoli, 1. Ioan. 4. Probate spiritus si ex Deo sint. &c. nã Antichristus iam nunc in mundo est. Paulusque 1. Thess. 5. ait, omnia probate: quod bonum est, tenete.

DEVS CONSERVET SVOS.

Amplis-

AMPLISSIMIS AC PRVDENTISSIMIS DOMINIS CONSVLIBVS AC SENATORIbus inclytæ vrbis Erfordienſis Metropolis Turingiæ, Dominis ac Patronis ſuis ſuſpiciendis, æternam ac temporalem felicitatem.



QVANDO NON ſolùm indecenter, verùm & iniquè fieri cenſetur, Patres prudentiſſimi, cuiquam aliena, dum proprijs non ſufficimus, tanquã à nobis elaborata dicare, & quaſi ex rapina aut plagio dijs immortalibus victimas litare, eoſq́, nobis amicos facere: equidem hic non dicandi quicquã, ſed potiùs per opportunam quandam ac iuſtam gratulandi veſtris prudentijs poteſtatem mihi conceſſam putaui de clariſſimo vrbis veſtræ Erfordiẽſis illuſtratore, de magno illo diuini verbi præcone, & inuicto ſacrarum literarum ac controuerſiarum pugile & Doctore Dn. Conrado Clingio, ordinis diui Franciſci Guardiano: Gratulandi, inquam, non ſic quidem vt à me hic expectetis hoc vel amplè, vel ornatè, ac ſumma cum orationis grauitate futurum. ſed quia non ego ſolùm, verùm etiam omnes mecum cuiuſcunque ſtatus & ordinis ſint, ſiue etiam ætatis, in vniuerſo Chriſtianorum orbe Catholici, & ipſi adeò (cùm rediêrint) ſchiſmatici homines

vestris prudentijs de noua ista honoris ac decôris ad Rempublicam vestram accessione, mirum quàm honorificè gratulantur ac gratulaturi sunt, nè horum omniũ nomine legationem aut oratorium munus suscepisse videar: faciant hoc illi quicunq; admirabili quadam dicendi facultate, ac laude sunt cumulatissimi Oratores. Ego enim palàm fateor, me ad hæc paucula ad vestras prudentias scribenda, nulla quidem alia vel ratione vel spe, nisi ex incredibili erga Remp. vestram huncq; talem ac tantum virum amoris veneration isq; abundantia motum atque inductum fuisse, nec aliter animi mei tacitum affectum exteriori quodam actu prodidisse, quam sic vt de casto etiam erga virtutem amore dicitur, Quis enim celauerit ignem? Indicio semper proditur ipse suo. Hoc autem est, Prudentiss. patres, quod breuiter dicere volui, vos Deo nostro immortali nec æquales nec tam dignas ac debetis, gratias persoluere posse, quòd ex diuina sua electione ac singulari misericordia vos amando talem hominem (Clingium dico) patriæ vestræ, tale decus Reipublicæ vestræ, talem operarium vineæ vestræ spirituali, talem inquam pastorem Ecclesiæ vestræ in Catholica orthodoxorum patrum fide & religione asserenda, defendenda, propaganda, adeò diuinum, vberem, acutum, facundum, peritum, inuincibilem (& nè secùs doceret quàm viueret) inculpatissimæ vitæ Doctorem dederit? Habuistis quondam & alios, qui in omni virtutum, doctrina-

rum

rum ac facinorum genere extiterunt laudatissimi homines: non sanè inficior, nec si vellem, ob grauissima annalium vestrorum ac præcipuè celeberrimæ Academiæ vestræ testimonia, possem: nec vllo modo negari potest, quin adhùc habeatis superstites numerosa multitudine clarissimos, doctissimos, & Reipub. moderandæ peritissimos viros, quorum cuique suus debetur honor. Quantùm autem Clingij vestri meritis, si non personæ, (qua se non solùm omni propriæ authoritati, sed etiam toti mundo abdicauerat, perpetuæ obseruantiæ Christianæ perfectionis iuxta Diui Francisci Assiatis institutum vouendo) debeatis, vel ex his tribus facillimè constare potest: primò, quia non suam vel propriam, sed Christi Iesu gloriam, & corporis eius mystici, quod est Ecclesia vnanimiter Catholica, ædificationem quæsiuit: non suam inquam, quia nihil fecit, nec quoád vixit, facere voluit, quod non ad solius Dei omnipotentis gloriam, ad huius solius laudem, ad huius confessionem spectaret: an non ad Dei & Christi filij eius gloriam, laudem & confessionem pertinent hæc, quæ in Clingio præclara fuerunt omnia, diù noctuq; meditari cœlestia, peruigilare, iugibus precibus instare, psallere Deo, sacras literas scrutari, interpretari, lucubrare, concionari, sanctissimè conuersari, ac deniquè ob Catholicæ veritatis susceptam defensionem improbissimorum hominum conuicia, mẽdacia, fastidia, minas, & tantùm non violentas manus & opprobria tolerare, in

xta Prophetæ dictũ, Improperia improperantium tibi ceciderunt super me: ac tandem post vitam piè transactam, ipsis diuinis contemplationibus immori, & pulcherrimo mortis genere inter medios calamos sacrarum scriptionum piam animam exhalare? id quod etiam de diuino Platone, quòd inter scribendũ obiêrit, Marsil. Ficinus memoriæ prodidit. An non Deus Opt. Max. tanquàm sponsus ex insperato veniens, hunc in diuino ministerio, pia occupatione ac villicatione vigilantem, sobrium & fidelem seruum ad cœlestia euocauit, dicens per Prophetam: In quo te inuenio, in eo te iudico? Liquet ergò ex his, quòd non proprium sed Dei honorem quæsiêrit. Porrò cùm haud ignoraret, homines hominũ causa natos esse, eò semper spectauit, (quod vera virtute præditũ hominem decet) vt communi vtilitati vestræ ac Reipublicæ, quæ vt amplissima estità & optimè instituta, omnibus viribus ac studijs prodesset: atque ideò, vt vos in catholica Patrum vestrorum fide ac religione conseruare, & ab omni labe schismaticæ prauitatis tueri posset, iam vltra triginta annos plusquàm Herculeo labore in publicis istic concionibus sedulò ac indefessè insudauit. Si enim, Prudentiss. Patres, in presbyterorum seu pastorum officio ac potestate res non quidem huius sæculi tantùm, sed & æternitatis sita est, nempe animarum salus, nam de hoc scriptura notabiliter dicit Iudith 8. cap. Et nunc fratres quia vos estis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet

det anima illorum &c. certè equidem omnium vestrorum animæ, tàm seniorũ quàm iuniorum, tàm vxorum quàm liberorum, ex doctrina Clingij vestri dependisse visæ sunt. Quod si ille malè aut perperàm vos docuit, perdidit animas vestras: sin verò benè & rectè, saluauit eas ac Christo lucrifecit: quod vero non malè nec perperàm, sed benè vos docuerit, id non ego solùm, sed probat tota per orbem terrarum sua inuicta authoritate Ecclesia Catholica, q̃ si errare est impossibile, (est enim columna veritatis) profectò & Clingium vestrum in dogmate veritatis Ecclesiasticæ errasse impossibile est. Meritò igitur dixerim, animas vestras ex doctrina ipsius non perditas, sed saluatas esse: & tunc perditum iri, cùm aliam doctrinã nouorum hominum acceptaueritis. Reipublicæ benè institutæ (aiunt) omnia proficiunt in melius: & item: Respublica benè instituta, non mutat subindè duces, sed quos semèl nacta est fidos & idoneos, hos seruat. Sanissimo igitur ac saluberrimo consilio ac prudentia populũ vestrũ docuit, monuit, obsecrauit, nè mutatis veteribus Ecclesiæ ducibus, nouis istis prophanatoribus acquiescerent, sed omnia qua fide ab antiqs S S. patribus semel susceptaforent, eadẽ fide seruarent, & cauerent sibi ab illis, q̃ totã Europã dissensionibus, sectis & cruentis seditionibus replent. Porrò si hoc præclarum fuit erga Rempub. vestrã meritum, quòd ipse per tot annos totq̃ operosis ac arduis declamationibus Catholicæ fidei veritatem et antiqui-

antiquitatem in vrbe vestra docuerit, longè cumu latiùs de vobis, quanquam non de vobis tantùm, sed de tota etiam Ecclesia meruit, quod pro huius defensione ad posteros ac nepotes vestros tot præclara scriptorum monumẽta ac lucubrationes trãsmiserit: & cùm hos pulcherrimos quasi fœtus Patriæ vestræ reliquerit, rectè etiam de ipso dicetur memorabilis illa sententia, supremũ esse erga quãq; Rempublic. meritum, si non solum te, dum viuas, præstiteris egregium virum, sed etiã aliquem tibi similem gignas educesq; Patriæ. Ex his verò appareret, quanta fuerit hominum quorundam erga optimum hunc virum proteruia ac impudentia: nam quanquam hic semper (vti nostis) & summo molimine catholicè docuisset, ac scriptis quoque tradidisset, tamen ab aduersarijs haud dubiè hæreticis, vir bonus præter meritum conscinditur, defamatur, ac Apostasiæ arguitur, vt si eorum sequaces audirent hunc quoque tam grandem cetum in nouæ religionis sagenam pertractum esse, eo latiùs ipsorum secta inclarescceret, vel vt ipse apud Catholicos falso deferretur, quasi versis velis à Catholica Religione transfugisset, & omnia sua dogmata retractâsset. Verùm non video equidem, quid in hac re aliud Clingio vestro quàm quod sancto Athanasio Episcopo Alexandrino à suis Arrianistis contigerit: Is quoque vbi cum Arrianis sentire nec vellet, nec posset, venit in summum ipsorum odium, impugnatur, opprimitur, ità vt tandèm fugam capere

re & ad tempus latere cogeretur. Intereà affingunt sancto viro fœdissima crimina, nempe stupri, homicidij, & fracturæ sacri calicis: sed quid demùm accidit? petijt sanctus Athanasius ab Imperatore Constantino Arriano, vt concessis sibi inducijs, liceat securè venire in iudicium, vt omnem hanc obtrectatorũ accusationẽ extingueret Indicitur actioni dies, Sanctus cõparuit, tùm primò in media hominum spectatorũ turba et concursu mulier illa, q̃ finxerant aduersarij ab Athanasio stupratam fuisse, culpam omnem ac crimen in Thimotheũ quendam reiecit: deindè eodem temporis momento Arsenius Melitianus, quem dixerant ab Athanasio trucidatum, ostendentes brachium de corpore mortui cuiusdam extractum, viuus adhuc comparuit. Porrò clerici eius templi in quo finxerant Athanasium sacrum calicem ad altare fregisse, omnibus in præsentiam integrum attulerunt: atque sic à tantis criminibus vir sanctus & innocentissimus absoluitur, & impudentissima Arrianorum hæreticorum mendacia reteguntur. Quod exemplum constantissimi huius confessoris, nos quoque ad patientiam in detrectationibus & conuicijs hæreticorum habendam animare debet. Postremum est, amplissimi patres, de quo vestris prudẽtijs plurimùm gratulandum existimem, quòd licèt inclytæ vrbis vestræ Erfordiensis celebritas ac fama satis abũdè & iamdudũ toti mundo inclaruerit, id quod tot inclyti ac prisci eius panegyrici testantur, tamen vel ex

solius

solius Clingij immortali nomine fiet eritq́, longè celeberrima. Claret & gaudet Roma diuo Petro, Hippona Augustino, Mediolanũ Ambrosio, Stridonia Hieronymo, Pictauiũ Hilario, Alexandria Athanasio, Constantinopolis Chrysostomo, Cæsarea Basilio, & his similes aliæ quamplurimæ, quarum omnium & singularũ exemplis constat, quantum clarissimorum ac præstãtissimorum hominum industria, opera & virtus pleraſque in mundo ciuitates ad immortale nomen euexerint, illustrârint, nobilitârint: nè dicam etiam quasdam nobilissimas vrbes de vendicandis & asserendis sibi tanquàm patronis illustribus tum Poetis tum Philosophis, vsque ad inimicitias & odium contendisse, sicut de Homero & alijs memoratur: nec quondàm satis fuit clarissimos quosq́ viros suis vrbibus tanquàm indigetes quosdam asseruisse, quin etiam ob præclara ac publica ipsorum merita statuas, aras, picturas, & varij generis monimenta summi honoris causa erigerent, id quod tum apud Græcos, inter quos Mithridates rex Persarum diuino Platoni statuam, Aristoteles verò ei arã erexit: tum apud Romanos in maximo vsu fuisse, vel ipse Mantuanus testatur.

Roma triumphales etiam modò conspicit arcus,
In quibus apparet virtus antiqua virorum,
Sic colitur virtus, honor hic est debitus illi, &c.

Quarè cùm Clingij nostri nomen vrbis vestræ Erfor-

fordiensis famam per se celebrem atque illustrem, nunc quidem reddiderit in omni terra longè latèq; illustriorem atque celebriorem, eamq; hoc honestissimo beneficentiæ genere affecerit (quod quia ex industria, opera ac virtute constat, honestissimum esse beneficentiæ genus, latissimè patere & plurimis prodesse Cicero ait) vos patres prudentissimi, qui vrbis Erfordiensis personam geritis, eiusq; dignitatem ac decus (vt idem inqt) sustinetis, vicissim Clingio vestro hunc saltem extremum in honorificam meritorum ipsius memoriam honorem deferre decet, vt nè ab ea, quam ille tanto zelo, tanto conatu & pijs sæpè illachrymationibus vos, atque ciues vestros viuens docuit, vera, antiqua & catholica religione ac doctrina vnquàm declinetis, nec vos à communione catholicæ Ecclesiæ (cui plusquàm trecentæ hucusq; hæreses prænalere non potuerunt, nec quid poterunt in æternum) vlla nouorum dogmatum perfidia abduci patiamini, ex qua quantùm mali, seditionum dissensionum & motuum intestinorum non solùm Germania, sed Gallia quoque florentissimum regnum nuper hauserit, ipse euentus grauissimus est testis. Sed cùm in bona causa apud bonos & prudentes superuacua sit commendatio, & ad patrocinandum rei alicui eloquentia requiratur & authoritas, his pauculis ad prudentias vestras, patres amplissimi, à me & officiosissimè & peramanter scriptis finem faciam, Deum patrem cœlestem suppliciter orans, vt & vestras prudentias

dentias in pacifica administratione quam diutissimè sospitare, & totam vestram vrbem ab omni aduersitate gladij & hæreseos clementissimè conseruare dignetur.

Datum Coloniæ Agripp. Idibus Augusti, 1562.

Vestris prudentijs & amplitud.

Deditiss. Georgius Vuicelius iunior.

CATECHISMI DOMINI CONRADI CLINGII LIBER PRIMVS. &c.

CAPVT PRIMVM.

ARGVMENTA.

1. *Quomodo Deus vult à nobis agnosci & apprehendi.* 2. *Quis sit verus cultus, quo potissimè vult à nobis coli,* 3. *Undè veniat causa nobis istius veri cultus Dei, atq; possibilitas.*

SCriptura non iubet nos scrutari naturam Dei, eò quòd eam inuestigare nemo hominum potest, sed potiùs remouet nos à tali scrutatione, inquiens: Altiora te ne quæsiêris, Eccl. 3. Ideò Deus vult à nobis agnosci per verbum suum primò, deindè per opus. Hoc de illo testatur scriptura: Ego sum Dominus Deus tuus, scilicet, quem colere & adorare debes, non eius curiosè inuestigare naturam. Ecce verbum, ego sum Dominus tuus, qui hoc dico tibi. Deindè addit verbo signum, scilicet, qui eduxi te de terra Aegypti, id est, illo facto cognosces me verum Deum. Sic verbo & signo vult agnosci Deus. Sic Philippus Ioann. 14. cùm peteret sibi ostendi patrem, inquit Christus: Philippe qui videt me, &c. id est, sæpè agnouisti verbum patris se missurum filium: deindè, ego sum ille filius: ergò qui me vides, in me agnosce Deũ patrem: nam ideò natus sum & morior, vt satisfiat verbo patris. Is Deus est qui sic dilexit mũdum, &c. Ioan. 3. Et in hoc agnoscitur, quia misit filium suum, scilicet ad nostram vtilitatem. Nam in Christo agnoscimus Dei voluntatem, quia nos sal- 1. Exod. 20.

uos velit. Sic dicit Apostolus Roman. 1. quòd sempiterna virtus atque diuinitas, & inuisibilia Dei conspiciũtur per ea quę facta sunt. Is ergò, qui dixit, Fiat cœlum & terra, & omnia quæ in eis sunt, Deus est noster, Gen. 1. Atq; opus ipsum cœlũ & terra, & omnes creaturæ, faciunt ipsum cognosci & apprehendi, quòd solus hic verus Deus est. Sic Genes. 6. Delebo, inquit, hominem. Hoc verbum secutum fuit opus diluuij, & illi cognitus est vt Deus. Sic Genes. 18. Descendam & videbo, vtrùm clamorem qui venit ad me, &c. Posteà sequebatur opus incendij. sic Abraham Gen. 24. inquit: Deus qui dixit mihi, dabo tibi terram hanc, & c. Et postea fuit data filijs suis, &c. agnouerunt Deum, sic in promissione prolis Rom. 4 Sic per totam scripturam agnouerunt Deum Patres verbo & opere, & vult etiam agnosci. Sic dicit Dauid Psal. 144. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.

2. Honor siue cultus, quo præcipuè vult Deus coli, sunt Fides, Spes, Dilectio, Timor perfectus. Isti sunt veri atque primi cultus interiores, Exod. 20: Ego sum Dominus Deus tuus, &c. signanter dicit, Deus Zelotes, eyferer/id est, qui non patitur alteri tribui gloriam Dei. Nõ patitur alios Deos confingi aut inuocari, ideò debemus illi soli credere ex toto corde & confidere, & ex eius spiritu veram doctrinam proponentibus vertrawen. Nam verax est & fidelis, seruans promissa, quæcunq; loquitur & promittit. Psal. 115. Deus enim verax est, Ioan. 3. Rom. 3 Omnis autẽ homo mendax, quia Deus natura verax est, ideò super omnia debemus illi confidere, & ex toto corde, vt nihil sit in mũdo cui sic confidamus, & in quo spem nostram collocemus, sicut in Deo. Ideò inquit Dauid Psal. 45. Deus noster refugium & virtus. Et Hiere. 17. Maledictus qui spem suam ponit in homine. Vult ergo Deus coli summa & perfecta fide atq; fiducia, deinde per-

dè perfecta dilectione, Deuter. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima, & ex tota mente, & omnibus viribus, id est, nihil bet esse in toto mundo inter omnes creaturas, inter vxorem & filios, aurum & argentum, quodpręferas aut plùs diligas quàm DEVM. Ipse Deus diligendus est super omnia, eò quòd omne bonum venit ab illo: & tamen nos non meremur bonum aliquod ex solis viribus liberi arbitrij, nisi misericordia & gratia & fauore fulciatur. Prima autē iustificatio fit gratis sine omni merito. Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitū daret. Quare? vt Mundus saluetur per ipsum Hoc opus & donū maximi Dei, omne excludens meritum, causa esse debet, vt Deum diligamus toto corde, quòd propter Christum efficimur iusti & saluamur, si contrito corde in illum crediderimus. Nisi Christus fuisset datus nobis, nemo saluaretur. Pensare ergo hoc homo debet, & Deum diligere. Ista dilectio cultus Dei verus atq; internus est.

Insuper vult Deus coli timore, id est, vt timeatur super omnia plùs quàm mors, gladius, infernus. Nā, ipse punit malos. Deut. 6. Dominū Deum tuū timebis, & illi soli seruies. Sic hæc tria notantur Exo. 20. Ego sum Dominus Deus tuus, scilicet [illegible] eū solū credas, adores, inuoces, qui facio misericordiam in mille qui me diligunt, & visito iniquitates patrum in filios in tertiam & quartā generationē. Hic cultus Dei internus & spiritualis, potissimus est: hunc à nobis exigit, illo placatur. Hic est iustitia coràm Deo, in illo consistit iustitia Spiritus. Hic est regnum Dei, quo corda nostra reguntur & trahuntur à Deo Hunc vbique commendat scriptura. Ioan. 4. Deus spiritus est, & spiritu (id est, motibus illis internis, fide, timore, & dilectione) colitur & adoratur. Ad hos quatuor motus, scilicet fidei, spei, timoris & dilectionis, cæ- Matth. 4.

teri fructus Spiritus Sancti Galat. 5. referuntur, Pax, gaudium, misericordia, charitas, humilitas, patiētia, castitas mentis, &id genus alia, iustitia, timor à pecca to, omnia illa nascuntur & pendent à prędictis motibus, qui sunt iustitia corā Deo. Sine illis exterior cultus parùm proderit, sed simulatio potiùs est, & in illū finem dicitur, quia traditiones humanę nō sunt coràm Deo iustitia, sed fides, timor, dilectio, &c.

3. Venit autem nobis vera fides atq; dilectio, & timor cordis, cū perterrefacti agnitione peccatorū nostrorum, audimus per Euangelium nobis donari remissionem pecçatorum propter filiū Dei Iesum Chri stum, qui pro nobis factus est victima, Esa. 53. Hac cō solatione eriguntur mentes, & incipiunt credere & confidere Deo, quòd sit nobis propitius. Agnoscunt eius misericordiam, & statuunt nos respici, nos exaudiri, ideò incipiunt eum diligere, agnoscunt Christi beneficium, & verè incipiunt timere Deum, ne sint ingrati, & offendant tam pium patrem & redemptorem. Sic enim peruenitur ad veros illos cordis motus erga Deum, scilicet fidei, timoris & dilectionis. Non enim possunt corda humana Deo credere, non sentiunt se exaudiri, non diligunt Deum, nisi prius intelligant Deum esse placatum per Christū, qui factus est propter nos victima, propter quā accipimus gratiam & misericordiam: ideò hoc certissimè credunt, & incipiunt Deū timere & diligere. Et Spiritus Sanctus datur per fidem, qui suos fructus perficit in nobis, Gal. 5. vt verè credamus, diligamus & timeamus Deum. Natura enim nostra non potest ex seipsa formare veram fidem, dilectionem & timorem.

Deindè, postquàm filij facti sumus fide, Ioann. 1. & postquàm agnouimus Christum, tunc ex dilectione incipimus facere legem & bona opera: Non enim potest rectè fieri lex aut opus bonū, nisi agnito Christo.

sto Hæc agnitio generat dilectionem, Et dilectio facit legem. Fides agnoscit beneficium Christi, & incipit diligere benefactorem Christum & Deum patrem, & dilectio in gratiarum actionem facit legem. Ideò dicit Apostolus Rom. 10. Impletio legis est Christus. & Roman. 3, Lex stabilitur aut statuitur per fidem: causa igitur fidei verę & dilectionis & timoris, est agnitio Christi: illa inchoat legem, & facit bona opera quę Deo placent, etsi polluta carne fiunt, quia persona iam fide in Christum ante opus iustificata est: Ideò & placent nunc opera, & sua habent præmia accidentalia in hac & post hanc vitam. 1. Corint. 3. Vnusquisque mercedem accipiet, scilicet secundùm suum laborem. Essentiale præmium quod Christus nobis meruit, tenet fides & habet. Agnitio igitur & fides Christi, impetrat gratiam, auxilium, & virtutem seruandi legem & faciendi bona opera.

CAPVT II.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit lex Decalogi.*
2. *Quæ sint officia legis.*
3. *De præmio atq; pœnis legis.*

PRimò lex est doctrina, quæ docet quales nos esse oporteat, & quæ opera à nobis requirat Deus: & requirit perfectã obedientiam, & damnat eos, qui non obediunt. Si Christus quæsiuit à Legisperito Lucę 10. In lege quid scriptum est? quomodò legis? Deuter. 6. Respondit, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Et Deuter. 27. Maledictus qui non permanet in sermonibus Legis huius. Sic Lex docet, quę fcere debemus: & damnat, si non fecerimus. Sed cùr nemo legi Dei satisfaciat propter immunditiam carnis, quomodò effugimus

damnationem? Respondeo: fides in Christum nos liberat: est enim Christus perfectio, Rom. 10. ad iustificationem omni credenti id est, qui in Christum credit. Est enim alia iustitia Legis, alia iustitia fidei. Moyses scribit de iustitia quæ est ex lege, quòd qui fecerit eam homo, viuet per illam. Iustitia autem fidei homini credenti tribuitur propter CHRISTVM gratis, tanquam si Legi satisfeciſſet, licet non satisfecerit. Et hæc est magna Dei misericordia, quę nobis propter Christũ exhibetur Certò igitur statuere debemus, quòd Deo placet illa inchoata obedientia legis, licet non perfectè satisfaciamus legi, quia facti sumus filij Dei per fidem in Christum. Ideò quamuis natura nostra oppressa peccato originis, nunquam satisfaciat legi, & quòd lex semper accusat nos eò quòd nunquam satis diligimus aut timemus Deũ, sicut oportuit, reputamur tamen & efficimur iusti, ppter fidẽ in Christum. Sic enim inquit Prophe ta: Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatũ. Psal. 31.

2. Primum legis officium. Secundò, primum officiorum legis est, vt sit disciplina, qua rudes erudiat, & coërceat. Et hic vsus pertinet ad iniustos & iustos: Deus enim vult coërceri iniustos externa disciplina, vndè 1. ad Tim. 1. Scimus quia lex iusto non est posita, sed iniustis & non subditis, impijs, peccatoribus, sceleratis, parricidis, homicidis, fornicarijs &c. Deindè & iustis rudibus opus est institutione, doctrina & diligentia coërcendæ carnis, sicut pueris, adolescentibus, vulgo, &c.

II. Rom. 3. Alterum officium est arguere peccatum, & perterrefacere conscientiam. Per legem cognitio peccati. Itẽ, lex iram operatur. Si enim nulla esset lex seu nulla obligatio, quomodo id quod fit contra Dei voluntatem, esset peccatũ? Terruntur autem lege omnes qui nondum consecuti sunt remissionem peccatorum.

III. Tertium officiũ legis in his est, qui iam sunt iustificati Nam etsi sunt liberati à lege per fidẽ in Christum,

ſtum, ne damnentur: tamen ijs opus eſt doctrina legis, idque primò, propter doctrinam: opus eſt enim iuſtis verbum, vt ſciant qui cultus, qualia opera placeant Deo. Ideò Paul. 2 ad Tim. 3. inquit: Omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, &c. vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonũ inſtructus. Secundò, quia neceſsè eſt vetuſtatẽ, id eſt, peccatum in carne coërceri & argui, quia lex ſemper arguit preſens peccatũ. Sumus enim ſic liberi, non q̃ lex non arguat ſed ſi fide vincamus legẽ arguentem, ideò precamur in oratione Dominica nobis dimitti debita noſtra. Non autẽ eſſent debita, niſi lex obligaret & argueret, quanquam ita liberabimur cũ credimus. Tertiò, proprer obedientiã, tametſi liberi ſumus à lege, ne damnet: manet tamen ordinatio & voluntas Dei, vt creatura obediat. Quare obedientia neceſſaria eſt, & placet Deo propter fidem in Chriſtum, quę iam perſonã iuſtificat: Sic Chriſtus non ſoluit legem, ſed impleuit propter obedientiam patris, qui illam dedit. Sic enim Mat. 19. inquit: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. & alibi, Hoc eſt præceptũ meum, vt diligatis inuicem. Hoc eſt mandatũ eius, vt credamus in nomine filij eius, &c. Hę ſententiæ loquuntur de voluntaria obedientia, & tamen nominant mandatum, quia manet ordinatio Dei, vt creatura obediat, etiam cùm volens obtemperat: & tamen Euangelium interea docet, quatenus liberi ſumus, ſed ne damnet lex. Matth. 6. Ioan. 15. 1. Ioan. 3.

At inquies; cur Chriſtus repetijt Decalogũ, quando homo nec illi ſatisfacit, nec ipſe iuſtificat? Reſpondeo, Euangelium exigit à iuſtificatis munditiam cordis & reliquos ſpirituales motus & affectus, ſcilicet timorem, dilectionẽ, pacem, charitatem, iuſtitiã, caſtitatẽ, patientiam, &c. & quoniã lex quoq; docet huiuſmodi motus, ſcilicet ne concupiſcã: & exigit nedùm externã, ſed etiam internã obſeruantiã Lex ſpiritua- Matth. 19. Rom. 6.

lis est, id est, vult impleri spiritu, docet purum & castum affectum erga res & vxorem proximi: docet dilectionem proximi, ne offendatur vel in persona & rebus &c. Ideò Decalogus repetitus est in Euangelio propter internos illos affectus, & requirit veram Dei notitiam, fiduciam, timorem, & perfectam dilectionem.

At inquis: Cur Decalogus voce diuina reuocatus est, atq; in tabulis scriptus, quandò lex naturæ hoc ipsum docebat? vt enim oculis lumen quoddam diuinitùs est inditum, ità mentibus humanis est insita quædam notitia seu lumen quoddam, quo per seſe agnoscunt & iudicant esse vera: natura enim quadam homines vera & certissima agnoscunt, vt facere proximo quæ sibi fieri vult. Natura quoq; agnoscit quòd sit conditus, quòd habeat Deum iustū & benefactorem, &c. Respondeo, quia vitio originalis peccati, lex naturæ fuit plurimùm obscurata, ideò vt certior extaret notitia atque testimonium per verbum Dei, quæ homo faceret & non faceret, ideò fuit renouatus decalogus, vt certus fieret homo, hæc Deo placere.

3. Tertiò, toti Decalogo additæ sunt promissiones & comminationes pœnarum, Exo. 20. dicitur: Ego sum Deus tuus, visitans iniquitatem Patrum in tertiā & quartam generationem, scilicet hic temporaliter, non enim hoc intelligitur de æternis pœnis, qua pœna nemo punitur nisi propter proprium peccatum Sic Saul propter inobedientiam cum posteritate deletur, 1. Reg. 31. peccatum Dauidis etiam in tota eius gente punitur, 2. Reg. 12. Sic propter idololatriam Salomonis, regnum Israël distractū est, 3. Reg. 2. Sic tota domus Ieroboam propter vitulos aureos deuastata est, 3 Reg. 14. Sic vnum peccatum peperit infinitas calamitates & infinita peccata. Et hodiè punit Deus mundum errorib. bellis, dissipationibus rerum

rum publicarum, & alijs ingentibus calamitatibus propter transgressionem suorum mandatorum, sicut patet Deut. 28. Leuit. 16. Ideò magnitudo irę Dei aduersùs peccata ponderanda est. Habent quoque præcepta promissionem beneficentiæ Dei, sicut Exodi. 20. faciens misericordiam in millia diligentibus me. donat enim Deus pacem, victoriam, fertilitatem, defensionem, felicitatem in consilijs & rebus gerendis, &c. Et quanuis promissiones Legis sint conditionales, & re ipsa nemo legi satisfaciat, attamē Deus approbat illam inchoatam obedientiam, propter Christum in quē credimus, & dat præmia pro illa omnibus, Matth. 5. merces vestra copiosa est in cælis. Deindè, quia Deus vult Ecclesiam suam in hac vita conseruare, ideò dat varia prę̀mia hîc corporalia: Exercet quoque pios, vt peccatum in carne mortificetur, attamen prę̀cipua præmia & præcipuas pœnas Deus differt in futurum. Sic Christus promittit temporalia præmia, Matt. 6. Primùm quærite regnum Dei, Et 19. centuplum accipiet &c. Marc. 10. accipiat centiès tantum nunc &c. Matt. 25. de negociatoribus. Et Paulus inquit, pietatem habere promissionem præsentis & futuræ vitæ, 1. Tim. 4. Huc pertinent historiæ regum deum timentium, Dauidis, Ezechiæ Gedeonis, qui glorioſis victorijs adornati sunt aduersus Idololatras, sicut promittit Deus: Glorificantes me glorificabo. Præcipua autem præmia spiritualia, quæ nec auris audiuit, nec oculus vidit, quæ præparauit Deus diligentibus se, in futuro manifestabuntur, 1. Corint. 2. Esa. 64. Promissio denique annexa Decalogo, aut quòd vult punire in tertiam & quartā generationem violatores, & in mille ostendere misericordiam, Exo. 20. hæc omnia testantur, esse præmia bonorum operum &c. Nam lex suas habet promissiones & punitiones in eos, qui eam aut faciunt, aut negligunt, Deut. 28 Leuit. 26. Exod. 20.

1. Reg. 2.
Psal. 90.

CAPVT III.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit iustificatio hominis.*
2. *Quomodo accipitur gratis per Fidem in Christum.*
3. *Quòd eam necessariò sequi debeat obedientia legis & pia opera, alioqui non retinetur.*

IVstificatio est gratuita, id est immerita remissio peccatorum, & acceptatio personæ ad vitam æternam possidendam propter fidem in Christum: Christus enim persona est, propter quam credentibus imputatur gratis remissio peccatorum. Iustificati gratis per gratiam illius. Fides medium est, quo impetratur siue acceptatur remissio peccatorũ, quia Fides assentit & credit promissioni diuinę de Christo, quòd propter illum vult remittere peccatũ. Huic oẽs Prophetę testimoniũ perhibent, Ioan. 3. vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam &c. Hęc Fides, quæ sic credit verbo Dei, facit vt peccator reputetur iustus propter Christum. Arbitramur fide iustificari hominem, tametsi adhuc sint reliquię peccatorum in carne, non vult tamẽ ea imputare nobis. Vita ęterna res est, quæ necessariò sequitur iustificatos, idq; ex ꝓmissione iustificatis facta, Ioan. 3. vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Causa igitur iustificationis est, gratuita imputatio iustitiæ, ac gratia DEI propter fidem in Christum. Iustificari igitur significat, forensi more iustum reputari seu pronunciari. Iustus in his Pauli disputationibus significat, idem quod acceptus DEO vel placens Deo: Et iustificatio est remissio peccatorum, & acceptatio coram DEO, cum qua

est

est coniuncta donatio Spiritus sancti. Nam cùm iustificamur, donamur Spiritu sancto, quia corda illum concipiunt, cũ audiunt Euangeliũ, & ei assentiũtur, ac Fide se sustentant in pauoribus peccati, vt promissionẽ Spiritus accipiamus per fidẽ: hęc acceptio Spiritus sancti, vocatur regeneratio seu renouatio. Et est inchoatio vitæ ęternę in nobis, sicut Christus inquit Ioan. 17. Hæc est vita ęterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.

Hoc igitur semper in animo tenere oportet, quòd Deus pater promisit se nobis ignosciturũ propter Christum, sicuti scriptura testatur. Sic promisit Adæ Gen. 3. minatus serpenti: Ipsum semen conteret caput tuũ. Sic Abrahæ Genesis XXII. In semine tuo benedicentur &c. Hoc autem semen Christus est, Galat. 3. Sic Dauid Psalm. 131. De fructu vẽtris tui &c. Hoc ipsum quod Deus Pater vult ignoscere propter Christum, testatur ipsemet CHRISTVS Ioan 3. Sic Deus dilexit mundum, &c. Sic Petrus Acto. 10. Huic omnes Prophetę &c. Paulus ad Colossen. 1. In ipso (scilicet Christo) complacuit Patri reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cælis, siue quæ in terris sunt. His scripturæ locis & Dei verbis credere simpliciter oportet, & nullatenùs dubitare: Qui enim hæsitat, maximè DEVM inhonorat, tanquam verax non sit, Ioan. 3. Rom. 3. Pœnitere igitur oportet de peractis vitijs & cessare, ac sic confugere ad Dei misericordiam, & optare remissionem & credere exhibitam. Fides autem hæc non potest esse sinè pœnitentia & contritione peccatorum. Qui enim gratiam & misericordiam cupit, is vt doleat & pœniteat necesse est. Alioqui non iustificabitur. Igitur Christus ipse prædicat pœnitentiam & fidem Euangelij, Marc. 1. Et sic iussit prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem, Luc. 24.

Iustifi-

Iustificatio accipitur gratis per fidem in Christum id est, sine merito præcedenti, & secundum gratiam imputatur, non secundùm debitum Rom 4. Alioqui gratia non esset gratia, Rom. 11. Igitur particula, gratis, excludit conditionem meriti seu nostrę dignitatis, idque proprer duas causas pręcipuè: Primùm, vt in Christum mediatorem transferatur causa beneficij, hoc est, vt intelligamus nobis ignosci non propter nostram dignitatem, sed propter Christum: Illum cõstituit pater propitiatorem in sanguine ipsius, Rom. 3. Secundò, vt beneficium sit certum, Rom. 4. ideò ex fide, vt promissio sit firma: si enim penderet ex conditione nostrę dignitatis, fieret incertum. nam si conscientia iudicaret ità nobis ignosci, postquàm satis magnam contritionem, & alia merita habeamus, facilè aliquis qui non satis magnam contritionem & merita se habere putaret, prorsus adigeretur ad desperationem, & fieret incertum promissum in Euangelio. Sunt enim duplices promissiones in scripturis, legales, vt Leuit. 18. Qui fecerit ea homo, viuet in eis, Matt. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Tales autem promissiones sunt conditionales, hoc est, habent conditionem implendi legem: Est etiam promissio propria & Euangelica, & hęc est gratuita vel immerita, id est, non habet conditionem legis tanquàm causam beneficij, seu conditionem nostræ dignitatis tametsi habeamus conditionem fidei. Facit igitur hæc particula, gratis, discrimen inter promissiones legales & Euangelicas. Est quoq; necesse, tenere hanc particulam, gratis. Nam in vero agone & certamine conscientia non disputat, vtrùm Deus sit misericors, an remittat peccata: sed illud quęrit, an nobis & indignis velit remittere: Hic est vnus portus conscientiæ tenendus, quòd certum sit gratis remitti peccata, quod promissio Euangelij propria sit & gratuita, nec habeat conditionem nostræ dignitatis. Nec

tis. Nec tollitur per particulam, gratis, contritio vel pœnitentia, fides, sacramenta, nec opera sequentia iustificationem, vt obedientia legis: nec enim omnia exiguntur, sed vt intelligatur quòd in opere iustificationis gratis imputatur nobis iustitia propter Christū sine nostro merito, vt laudetur gloria gratiæ Dei, Ephe. 1. Sed extra opus iustificationis necessariā esse obedientiam legis, vt patebit in sequētibus. Vt enim beneficium transferatur in Christum, & vt conscientia nostra sit certa, ideò Apostolus vtitur huiuscemodi particula, gratis.

Iustificationem necessariò sequi debet obedientia legis. Nam tametsi iusto non est lex posita, quòd ad accusandum attinet, aut quòd peccatorem iustificet: est tamen ei posita, quatenùs docet eum, & requirit obedientiam: nam docet quid Deo placeat, 2. Tit. 3. Omnis scriptura diuinitùs inspirata, &c. Causæ igitur, quare necessariò sequi debeat obedientia legis iustificationem, sunt: Prima, quia Deus mandauit vt obediamus. Luc. 6. Quid autem vocatis me, Domine domine, & non facitis quæ dico vobis? 1. Ioan. 5. Hæc enim est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus. Secunda, quia non potest existere fides in ijs, qui nō agunt pœnitentiam, sed laxant frenum cupiditatibus, Luc.. Misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Rom. 6. Si secundùm carnem vixeritis, moriemini, id est, Non retinebitis. Tertia, quoniam fides extinguitur, si non exerceatur inuocatione, afflictionibus, & bonis operibus, sicut habetur in cantico Deuteronomij 32 Deum qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Sit Matt. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Semper enim operibus præire debet fides, vt cogitet mens se obedire velle Deo, & hoc opus placere Deo propter Christum, & roget vt regatur à

3.

Causā I.

II.

III.

Deo:

Deo: Sic Dauid constituit in sua vocatione se velle obedire Deo, & sentit illa opera vocationis Deo placere propter promissam misericordiam, & rogat vt Deus eius vocationē gubernet. Hoc modo fides exercenda est in omnibus operibus. Quarta causa, sunt promissiones additæ operibus ac pręmia. 1. Corint. 3 Vnusquisq; mercedem accipiet &c. scilicet accidentalem. Iam habet iustificatus fide essentialem, id est, Christi beneficium. Quinta causa, comminationes graues, quę minantur post agnitam veritatem apostatis, sicut Petrus inquit 2. Pet. 2. Melius foret non agnouisse veritatē, &c. Ioan. 5. Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid cōtingat. Et Iudas in sua canonica vehemēter cōtra tales clamat & concionatur, grauissima adducens exempla angelorum malorum, filiorum Israël, & ciuitatum Sodomę ac Gomorrhę. hoc igitur ponderare deberent carnales & mundani peccatores. Vt igitur fides iustificationis retineatur, necessaria sunt opera charitatis primò: Deindè, quoniā fragiles sumus in obseruādis Dei pręceptis & pijs operibus, ob id imploramus preces Angelorū, deindè Sanctorū, vt nos adiuuent illi, quatenùs permanèamus in appręhēsa iustitia. Caro, mundus, sathan plurimū impugnant, non aūt opera aut preces sanctorum nos saluant nec iustificant, sed Deus propter Christum. Aditus ad Euangeliū Christi, vel ad Christianismū ipsum, nulla opera ad iustitiā requisita pręsupponit. Accessus ad Christum, per ostium fidei est, non per circunciſionem vel alia legis opera. Iustificari, est aliud nihil, quàm ex impio fieri acceptum Deo, & iudicio Christi asscribi. Id aūt fieri per fidē, & nō per legis opera, vbiq; docet Apostolus contra Iudæos. Opera quæ hanc fidem in Christiano iustificato sequuntur, non sunt inutilia. Fidem enim ostendūt viuā & perfectam, & iuxta suos gradus, etiā habent gradus præmiorum. Causa tamen salutis & prę-

IIII.

V.

mio-

præmiorum, non sunt opera, sed cognita Dei voluntas & misericordia propter Christum. Nec opera nostra sunt precium salutis & remissionis peccatorum, sed vnica mors Christi, precium & hostia est pro peccatis totius mundi. Hoc tamen precium nulli distribuitur in præsenti ad remissionem peccatorum, nisi pœnitenti & credenti: neq; ad salutē in futuro accipiendam, nisi diuina prȩcepta seruanti, licet nō propter illa ptæcepta. Fides igitur est necessaria ad salutem, propter apprehensam iustificationem: Dilectio, propter retentionem. Et sic vtrunque est necessarium ad salutem.

CAPVT IIII.

ARGVMENTA.

1. *Quæ peccata simul existant cum fide, gratia, atq; Spiritusancto.*
2. *Quæ peccata excutiant gratiam Dei & Spiritussancti.*
3. *Quos homines Spiritussanctus adiuuet: & eis adsistat, vt vincantur vitiosi motus.*

CHristus docuit omnes homines, etiam quantumcunque sanctos, orare vt dimittantur debita. Matt. 6. Illoq; significare voluit, etiam in sanctis manere peccata. Fide enim in Spiritu sunt sancti, carnales tamē, fragiles & peccatores, sicut Paulus qui fuit sanctus spiritu & fide: attamen conqueritur, quòd non habitet in carne sua bonū, Rom. 7. fuit Petrus sanctus spiritu, quandò dixit: Tu es Christus filius Dei viui, hoc credēdo & confitēdo: attamen peccator, dum Christum ex carnis timore negat, Mat. 16. & 26. Sic omnes sancti aliquandò ex fragilitate carnis lapsi sunt: hoc quod etiam legimus de Apostolis, Mat. 16.

quoties

quoties dubitârunt, timuerunt, dormiêrunt, fugam omnes fecerunt instante passione, Matt. 26. Sic etiam alijs sanctis contigit, nondùm in sanctitate confirmatis. Sed tamen hoc discrimen tenendum est, quòd quędam peccata sunt eiusmodi, vt simul gratia & fides cum eis existere possint. Manet enim in sanctis naturalis infirmitas, id est, cõcupiscentia & multi vitiosi affectus. Sed quia his non obtemperant sancti, sed repugnant & agnoscunt sibi condonari hanc infirmitatem propter Christum, hæc peccata dicuntur venialia, hoc est, talia, quæ sanctis condonantur, & propter quę non amittunt gratiam & Spiritum sanctum. Est igitur peccatum veniale vitiosus affectus, cui non obtemperant pij, sicut admonet Apostolus Rom. 6. Non regnet peccatum in mortali corpore vestro. Sed repugnant, & credunt sibi eam infirmitatem condonari propter Christum, Rom. 8. Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Concupiscentia cum suis fructibus, est reipsa mortale peccatum, & ipsa natura hominis repugnat voluntati Dei, sicut Apostolus Rom. 7. cõqueritur: Reperio aliam legem in membris meis, repugnantem &c. Nec est leuis morbus: eius enim magnitudo longè maius malum est, quàm vt à ratione perspici possit, dubitatio de ira & misericordia Dei, securitas, diffidentia, non ardere dilectione Dei, non ardenter inuocare Deum, fremere aduersùs Deum in afflictionibus, &c. Hęc vitia nõ intelligit humana ratio, sed potiùs extenuat. Quarè & per se sunt peccata mortalia, & damnant, etiamsi extrà non fierent externę actiones flagitiosæ. Sed fides in Christum, quæ pugnat contra talia, & credit sibi ignosci per Christum, facit vt sint venialia, id est, remittuntur. Hoc certamen est vera pœnitentia piorum, in quo crescit nouitas spiritualis, & concipiuntur noui & ardentiores motus spirituales, sicut Apostolus inquit 2. Cor. 4. Exterior noster homo corrumpitur

pitur, sed interior renouatur. & ad Colossen. 3. Induite nouum hominem, qui renouatur &c. ad Corinth. In eãdem imaginem transformamur à gloria in gloriam. 2. Cor. 3.

Peccata quæ excutiunt fidem, gratiam, & Spiritum sanctum, sunt quandò non repugnatur concupiscentiæ, sed potiùs obtemperatur vitiosis affectibus cõtra conscientiam, & illa peccata fiunt mortalia, id est, propter quæ illi qui fuerant iusti, amittunt fidem & Spiritum sanctum, & propter quę fiunt rei mortis æternæ, sicut Paulus ait 1. Corint 6. Fornicatores, adulteri, homicidæ, &c. non possidebunt regnum DEI. Ephes. 5. Hoc autem scitote, quòd omnis immundus aut auarus, quod est idolorum seruitus, quia is non confidit DEO, sed aliud idolum, id est, pecuniam sibi statuit pro DEO qui enutriat, &c. Maledici &c. Roman. 8. Si secundùm carnem vixeritis, moriemini. Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, inimicitiæ, contentiones, sectæ, comessationes, homicidia, ebrietates, & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum DEI nõ possidebunt. Ista peccata sunt externæ actiones flagitiosæ, quę è carnis concupiscentia ebulliunt, si illis non resistitur. Et tales omnes amittunt gratiam, fidem & Spiritum sanctum Fidem, quæ est fiducia misericordiæ consequendæ propter CHRISTVM. Sed hęc misericordia nõ sequitur interim, ꝙ quis perseuerat in peccato: repugnant enim misericordia Dei, & complacentia peccati. Ideò inquit Dauid Psalm. 50. Peccatum meum contra me est semper. Gratiam, id est, fauorem Dei excutiunt. Psalm. 33. Vultus Domini super facientes mala, vt pereat de terra memoria illorum. Postremò spiritum sanctum, qui datur vt adiuuet nostram infirmitatem, Rom. 6. Sed cùm homo non velit pugnare contra vitia, sed consentit, fit 2

vt Spiritusſanctus fugetur Eph. 4. Nolite contriſtare Spiritumſanctum. Hoc vtinam ponderarent carnales Euangelici, qui nullum fore putāt peccatum, niſi infidelitatis. Eſt enim infidelitas arbor, cuius fructus ſunt hæc vitia: igitur ex fructibus arbor cognoſcitur, Matth. 7. Vbi ergò vitia regnant, ſignum eſt quòd ibi fides non ſit: nam talia flagitia non conſiſtunt cum fide: at vbi fides non eſt, ibi nec gratia Dei, nec Spiritusſanctus ſit oportet. Inanis ergò fiducia illa eſt
1. Cor. 10. ſiue fides, quæ non ceſſat à vitijs. Talem fidem habuerunt filij Iſraël in deſerto peccantes, & proſtrati ſunt, Numer. 26. Sic Sodomitæ & Gomorrhitæ videbantur quidem credere in Deum, ſed opera illorum oſtendebant fidem illorum qualis fuerit, Geneſ. 19. Sic eſt fides malorum Chriſtianorum. Omnes dicunt, credo in CHRISTVM: ſed vita & opera illorum teſtantur, qualis fuerit fides illorum Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, &c. grauiùs enim ij habebunt in pœnis, excutientes iterum gratiam, fidem & Spiritumſanctum, quàm ſi nunquàm veniſſent ad regnum CHRISTI, ſicut dicit Petrus 2. Petri ſecundo, & Iudas in epiſtola ſua, & ita Matth. 11. Chriſtus de ciuitatibus quibuſdam loquitur. Ideò Apoſtoli ſumma cura docuerunt, vt acceptam gratiam non denuò excutiamus, aut in vacuum recipiamus, 2. Corinth. 6. Sed potiùs pijs operibus retineamus, in vigilijs, ieiunijs, laboribus, tribulationibus, caſtitate & charitate, &c. Heb. 9. Quanto magis ſanguis Chriſti &c. ad ſeruiendum DEO viuenti? & 1. Pet. 2 peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus, &c. Semper enim ſcriptura, poſtquàm docuit quomodò accepimus gratiam iuſtificationis, admonet & docet, quomodo retineamus ne iterùm excutiamus illam atque ſpiritumſanctum. Nam hoc eſt grauiſſimum peccatum: ideò petit Dauid, ſpiritumſanctum tuum ne auferas à me.]
Pſal. 50.

Pro-

Promissus est spiritus sanctus, & datur in Baptis- 3.
mo, vt adiuuet nostram infirmitatem, Rom. 6. Quatenùs expugnemus, ac mortificemus concupiscentias carnis. Gubernat autem & iuuat non ociosos & ignauos, sed repugnantes peccato, qui lugent & tristantur, quòd sint in regno peccati, Matt. 5. Beati qui lugent. Securos autem & obstinatos in peccatis, non iuuat, sic iuuit Petrum Matth. 26. & non Iudam. Sic vnum latronem, qui doluit de commissis peccatis, altero relicto, Luc. 23. Sic iuuit peccatricem. Luc. 7. relicto Pharisæo. Sic iuuat fideles, relictis infidelibus, &c. Si quis igitur peccauerit etiam mortaliter, redeat, Spiritum sanctum imploret, & peccatum expugnet vt gratiam denuò recipiat, sicut Dauid 2. Reg. vlti. & Petrus Matt. 26. Primò, remissio peccatorum precedit in iustificationis actu, deindè iustificatio datur donum, id est, Spiritus sanctus in custodem retentionem q; iustificationis per suos fructus & obedientiam legis, Galat. 5.

CAPVT V.

ARGVMENTA.

1. *Vndè veniat homini fides Christi.*
2. *Quæ sit fides Christiana, & in quo fundetur,*
3. *Quomodò cognoscitur & testificatur vera fides esse in homine.*

CERtum est quòd natura nostra ex seipsa 1.
non potest rectè credere: ideò oportet vt iuuetur aliundè, propterea dicit Apostolus Rom. 10. quòd fides est ex auditu, scilicet verbi DEI: nam oportet primùm, vt verbum DEI denuncietur, & audiatur, sicut Ioann. tertio. Sic Deus dilexit mundum, vt

filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitã æternam. Acto. 10. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius: Esai. XXVIII. Omnis qui credit in illum, non confundetur. Iohel. 2. Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Hæc & similia loca scripturæ oportet primò vt denuncientur & audiantur: Deindè opus est, vt auditor credat & non dubitet sic esse, quemadmodum scriptura dicit, eò quòd os Domini ea locutum sit. Et quòd sit impossibile, Deum posse mentiri, Hebr. 6. Postremò, vt auditor roget DEVM, vt donet eam gratiam sibi, quòd credere possit. Nam de num Dei est fides, sicut Christus inquit Petro Matth. 16 Caro & sanguis non reuelauit tibi, scilicet quòd ego sum CHRISTVS filius Dei, &c. Et sic peruenitur ad fidem. Fides est aliud nihil, nisi certa fiducia & spes consequendę remissionis peccatorum atque salutis propter Christum, ad Heb. 11. Fides est substantia rerum sperandarum, id est, prima fiducia, substantialis fiducia, non opinio rerum sperãdarum, quæ propter Christum sunt promissa, scilicet remissio peccatorum, vita æterna, gratia Dei atque misericordia: Argumentum non apparentium: illa credo propter Christum consequi. Et si ratio naturalis illa non apprehendit, quomodò redemptus sim, quomodò mors Christi sit vita mea, & redemptio: atqui fides certò tenet. Quare fides est certa fiducia, **gewisse zůuersicht** sine omni dubitatione misericordiæ diuinæ consequendæ propter Christum. Qui ergò sic credit & non dubitat, hic verissimè accipit misericordiam, gratiam DEI, remissionem & vitam. Sic enim Christus Matt. 9. inquit ad cæcos, qui dixerunt, Miserere nostrî fili Dauid, quasi dicerent, Restitue nobis visum: & CHRISTVS respondit, Creditis quia hoc possum facere vobis? & dicunt

& dicunt ei: Vtique Domine. tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundùm fidem vestram fiat vobis, & aperti sunt oculi eorum. Ergò si certò credimus per Christum consequi remissionem & salutem, tunc verissimè illa accipiemus, & fiet nobis secūdùm fidem nostram. Quarè fides est certa fiducia misericordiæ diuinę consequendæ propter Christum. Fundatur ergo fides nostra super Christum, nempè quòd propter ipsum & eius meritum & passionem, nobis remittuntur peccata nostra, & donatur salus: hæc est virtus DEI, id est, passio Christi, quæ superat peccatum & mortem & sathanam. Per hanc virtutem meriti Christi filij Dei, vult Deus saluare quęcunque saluat: hoc est Euangelium nostrum, quo gloriamur nos Christiani, quoniam CHRISTVS mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter iustitiā nostram, scilicet vt in ipso habeamus illam in accusatione peccati, legis & mortis, Rom. quarto, 1. Corint. decimoquinto. & ideò iactanter & lętanter inquit Apostolus Rom. 1. Non erubesco Euangelium. Virtus enim DEI est in illo ad salutem omni credenti, id est, hac virtute & potentia meriti & passionis CHRISTI, vult Deus pater nostri misereri. Et 1. Corinth. 1. inquit Apostolus: Nos prædicamus Christum crucifixum, scilicet pro peccatis nostris, Et hoc est Iudæis scandalum, gentibus autem stultitia, sed tamen vocatis sanctis, id est, credentibus DEI virtus: quia hæc virtus DEI, passionis & meriti Christi, fortior est peccato & Sathana: ideò illa vincit, & saluat credentem. Quisque igitur sibi applicare debet & dicere, CHRISTVS pro me passus est: Et illa applicatio discernit à propria & cōmuni fide, qua credimus pro totius mundi salute Christum passum, 1. Iohan. 2. Si pro peccatis totius mundi, & ego sum pars mundi, ergò & pro peccatis meis mortuus est. Quisque ergo sibi applicare debet Christum.

3. Fidem veram ineſſe homini, demõſtratur per duo, ſcilicet pœnitentiam, id eſt, ceſſationem à vitijs: deindè per obſeruantiam præceptorum DEI, ex dilectione & gratiarum actione accepti beneficij Chriſti: de primo dicitur Marci 1. Lucæ 24. Pœnitentiam agite, & credite Euangelio. Prędicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum: De reliquo inquit Apoſtolus: Fides per dilectionem operans bona, placet Deo, Galat. 5. 1. Corinth. 7. Neque circunciſio neque præputium aliquid valet, ſed obſeruantia præceptorum Dei. Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, &c. Lucæ 6. Quid autẽ vocatis me, Domine Domine, & non facitis ea quæ dico vobis? Illa ergo duo, declinare à malo, & facere bonum, vt Pſalmo 33. & 36. dicitur, teſtificãt veram adeſſe Fidem: quare peccatores, impœnitentes, infideles, &c. non habent fidem veram cordis aciuſtificantem, ſed benè fidem oris, de qua Apoſtolus ad Titum 1. confitentur ſe noſſe Deum ore, factis autem negant. At inquis: Si nullus peccator habet Fidem, ergò non eſt fides in mundo? eò quòd omnes ſumus peccatores. Reſpondeo: Eſt peccatum ex natura, quo omnes ſumus peccatores. Pſal. 50. Eccè enim in iniquitatibus conceptus ſum, &c. Epheſ. 2. Eramus oẽs natura filij iræ. Et 1. Ioan. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus. Ab illo peccato nemo immunis eſt, ideò quotidiè oramus nobis dimitti debita noſtra, Matth. 6. & ingemiſcimus, liberari à peccato ſicut filij Dei cupientes: Ad Rom. 8. Illa autem peccata nobis propter fidem in Chriſtum condonantur.

4. Deindè eſt peccatum, quod Lex & Decalogus prohibet, adulterium ſcilicet, furtum, homicidium, inuidia, luxuria, &c. Qui ergò in illis delectantur & viuunt ſine pœnitentia & ceſſatione, non habẽt fidem conſequendę miſericordię Dei, alioqui ceſſarent, etſi

ore

ore se iactant habere fidem, efficacia tamen Fidei nõ sequitur, donec resipiscãt: effectum ergò Gratiæ non habent, nec illa manet in peccatis contra legem factis, etsi fides oris manet: ideò nihil valet illa fides. Ephes. 5. Hoc autem scitote, quoniam nullus auarus, fornicator, &c. 1. Corinth, 6. Neque molles, neq; fornicatores regnum Dei possidebunt, id est, dum sine cessatione pergunt in vitijs. Ideò filius hominis veniens, putásne inueniet fidem in terra? Lucæ 18. Vbi ergò est pœnitentia, emendatio vitæ & timor DEI atque præceptorum obseruantia, ibi adesse fidem veram demonstratur & agnoscitur.

CAPVT VI.

ARGVMENTA.

1. *Qua de causa dicitur quòd Fides iustificet, id est, iustum faciat coram Deo peccatorem.*
2. *Cur Apostolus dicit, quòd gratis iustificamur gratia ipsius Christi, Rom. 3.*
3. *Quomodò intelligendum quòd idem Apostolus dicit, quod iustificamur Fide sine operibus legis.*

VT clarè intelligatur, quare Fidei tribuitur iustificatio, oportet primùm notare promissionem Dei, nempè quòd Deus pater nobis promisit se velle nostrî misereri, delere peccata & remittere propter nomen Christi Actor. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, &c. Item, promisit vitam credenti in Christum, Ioan. 3. His promissionibus Dei assentiri, credere, & velle sibi eas exhiberi, non aliter cõtingit nisi per fidem. Fides primò antè omne opus credit & assentit promissioni & verbo Dei, quẽ credit veracem, & quòd impossibile sit, Deum men- 1.

tiri posse, Heb. 6. Et nunc propter hanc fidem, quòd credo diuinæ promissioni tanquam veraci DEO, quòd verbum eius est summa veritas, vult me Deus iustum pronunciari, & reputari iustum. Sic Abraham credidit Deo, & promissioni eius & verbo, atque hæc fides reputata est sibi ad iustitiam, id est, quòd eum DEVS iustum reputauerit, quia illi credidit, Genes. 15. Sic Deus per fidem pręputium, id est, gentes, & ex fide circuncisionem, id est, Iudęos iustificat, scilicet qui credunt diuinæ promissioni in Christo nobis factę antè omne opus.

Insuper rectè capiendum est, quomodò nunc fides dicitur iustificare, nempè apprehensiuè, non effectiuè: quod sic patet: Hoc enim quod nos iustificat effectiuè, est extra nos, id est, ipsa gratia & promissio gratię propter Christum, est res extra nos. At fides est res in nobis existens atque optima virtus. Sed quoniam ipsa Dei misericordia, gratia, Deus iustificat effectiuè peccatorem, ideò Deus nos non iustificat propter fidē, prout est virtus in nobis, qua mereremur iustificationem. Sed quia fides credit & assentit & cupit gratiā promissam propter Christum, quæ gratia effectiuè iustificat: Ideò fides dicitur iustificare, quia apprehendit Dei promissionem, & illi assentit, non quòd ipsa fides efficeret aut mereretur iustificationem: Misericordia & gratia Dei non potest apprehēdi sine fide: Ideo cùm dicitur, fide iustificamur: sic est intelligendum, quòd misericordię fiducia iusti pronunciamur, aut per Dei misericordiam iusti reputamur credentes in Christum. Hæc omnia probat Apostolus Ephes. 2. inquiens: Gratia enim estis seruati per fidem, scilicet quia credidistis verbo & promissioni diuinę, etsi non ex vobis, quia gratia & misericordia Dei est res extra nos: Dei donū est exhibitio misericordiæ & gratiæ propter Christum, non ex operibus, id est, meritis nostris, ne quis dicatur

scilicet,

scilicet, quòd suo merito & propria iustitia meruerit iustitiam, id est, remissionem & salutem. Tota res ergò in hoc pendet, vt credatur & assentiatur promissioni diuinæ: Et hanc fidem Deus approbat, & exhibet gratiam, quæ iustificat effectiuè.

Apostolus inquit Rom 3. Omnes peccauerunt, & egent gratia Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, &c. Quare signanter exprimit, particulam illam, gratis? Respondeo, vt conscientia turbata, esset certa de remissione peccatorum propter Christum: Nam perterrefacta conscientia non dubitat vtrum Deus remittat peccata: sed hoc disputat, an indignis, & vtrũ gratis remittat, maximè quandò non præcesserunt merita, neque aliqua satisfactio aut obseruantia præceptorum: etiamsi præcesserint merita obseruantiæ præceptorum, non tamen certa est, an sint efficientia, an possint placare irã Dei, quando nemo sic obedit legi Dei & seruat præcepta, sicuti deberet: reclamat caro oppressa peccato, ne opus sic perfectè fiat, vt debeat: iam obijcit dignitatem, iam indignitatẽ. Ideò expressit signanter Apostolus particulã, gratis, vt conscientia cõsoletur, credens promissioni diuinę, quòd propter Christũ, propter quem promissio gratiæ facta est, & non propter sua merita, dignitatem & satisfactionem iustificetur, & Deus velit iustificare. Et ideò inquit gratis, vt promissio sit firma & certa, Rom 4. quia conscientiæ perpetuò dubitarent de remissione peccatorum, si penderet ex conditione dignitatis nostræ. Et quia hinc non dependet, remissio scilicet, sed à promissione gratuita Dei, ideò dicitur gratis: non tamen sic gratis, quasi particula excluderet pœnitentiam, fidem, sacramenta, &c. Sed sic, quòd beneficium transfertur in promissam misericordiam, quę causa est iustificationis: & non in nostram dignitatem, vt sola gloria gratiæ Dei laudetur, Ephes. 1. 2.

Apostolus inquit Roma. 3. Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis, &c. hæc sententia, oportet rectè capiatur: totum quod habet homo, vel est fides, aut est obseruantia præceptorum Dei: his duobus coràm Deo ambulat: Sed Deus fidem in re iustificationis exigit: primò, propter quã vult credentem peccatorem iustum pronunciari, cuius causa est, Quia tota salus nostra atque iustificatio dependet à Dei bonitate, misericordia & gratia, tanquam à causa, & non ab operibus nostris: Dei promissio atque voluntas est, quòd propter Christũ vult nos reputare iustos & saluos, & non propter nostra opera, merita, iustitiam & dignitatem nostram. Huic ergo promissioni oportet assentiri & credere antequam aliquod opus fecero. Fides ergo est aliud nihil, nisi assentiri & credere, & velle sibi exhiberi hanc promisionem gratiæ propter Christum. Hæc sola accipit, id est, fasſer/ hanc promisionem Dei: ideò dicit Apostolus, quòd iustificamur fide, id est, iusti reputamur, quia credimus & assentimus diuinæ promisioni sine operibus legis, non propter opera legis, merita, ac iustitiam nostram, sed quia credimus Deo & suæ promissioni. Summa rei est, credere huic promisioni diuinæ, quòd Deus propter Christum, credentem in illum, vult iustificare & saluare, & non propter nostra opera bona & iustitiam. Ex quo sequitur, quòd qui in alia re aut per aliam rem, opus, iustitiam, vult iustificari ac saluari, & non per fidem promisionis diuinæ, is à Christo cadit &c. At Paulus: Legem ergo destruimus per fidem in promisionem Dei? Absit, immò statuimus: Nã obedientia Legis debet sequi iustificationem in gratiarum actionem accepti beneficij, in retentionem illius, Roman. 8. ad sacrificia offerenda Deo. Non debet præcedere, quasi propter merita & iustitiam Legis contingat iustificatio: misericordia & gratia

Dei

Dei propter Christum promissa exhibetur per fidem: qua accepta, sequi debet obedientia Legis. Et sic placet Deo, quia per fidem persona iustificata est, habetque sua præmia in hac & post hanc vitam, 1. Corinth. 3. Non ergo Lex, id est, bona opera destruuntur, sed statuuntur, quia docetur quòd debēt esse fructus iustificationis, qui ostendunt & declarant adesse iustificationem in homine. Et quia Deus propter suam promissionem gratuitam vult credentes in Christum iustificare, sequitur quod nec opera præcedentia fidem aut sequentia, iustificant effectiuè, sed benè declarant & ostendunt. Soli ergo Deo gloria propter suam immensam misericordiam.

CAPVT VII.

ARGVMENTA.

1. *Quomodò clarè & rectè intelligitur, quòd fides iustificet absq; operibus legis.*
2. *Quid per opera legis intelligi velit Apostolus.*
3. *Quòd non reijciuntur bona opera, sed exiguntur, ac sola falsa opinio de illis reijcitur.*

APostolus vbiq; quærens ac laudans gloriam gratiæ Dei, Ephes. 1. apertè inquit Rom. 3. Arbitramur hominem iustificari fide absq; operibus legis, hoc volens, cùm origo & causa nostræ iustificationis & salutis dependeat & consistat à promissione Dei, quòd Deus propter suam bonitatem & misericordiam promisitse nobis velle misereri propter Christū in quem credimus. Et illum constituit solum propitiatorem nostrum, propter cuius sanguinem nostrî vult misereri, Rom. 3. Non prò posuit Deus aliud propitiatorium, propter quod promitteret se velle nostrî 1.

mise-

misereri, nullum opus, iustitiam, meritum hominis, sed solum vnicum Christum filium suum. Ideò quia fides assentit, credit huic promissioni, & vult sibi exhiberi gratiam promissam propter Christum, & in nihil aliud respicit, nisi in solam gratiam promissam in Christo, & illam cupit: ob id dicitur, quòd fides iustificat, id est, apprehendit promissam gratiam in Christo: hoc enim nullius opus facit. Nam fides oportet præcedat omne opus: quid enim est opus absque fide? Fides ergo in homine primus actus & opus hominis est, qua promissioni diuinæ creditur, & qua apprehenditur. Summa igitur salutis in hoc dependet, credere & assentire promissis Dei, & non specialia nobis constituere propitiatoria sine voluntate & commissione diuina: Ergò fides credens diuinæ promissioni, iustificat, apprehendit gratiam promissam propter Christum, cùm ob id fides dicitur iustificare, propter apprehensionem, non effectiuitatem.

2. Per opera legis Apostolus vult intelligi etiam opera ex fide facta, post acceptam iustificationem, vt probet nulla opera omninò, quantumuis bona, iustificare. Nam Galatæ crediderant in Christum, fide iam iustificati erant, & virtutes atq; miracula etiam operabantur, Galat. 3. Et fides quæ operabatur virtutes in vobis, &c. Non ergò opera eorum erant ex viribus carnis antè fidem sine Spiritu Sancto, sed erant opera verè bona in lege præcepta ex fide, operante in eis Spiritu Sancto, facta: Et tamen quia paulò pòst seducti à Pseudapostolis, incipiebant eisdē suis operibus tribuere vim iustificandi effectiuam: ideò Paulus vocat eorum opera, opera legis antè fidē aut post fidem à iustificatis facta: iustificant autem, quia iam fides absq; operibus apprehendit gratis misericordiam. Deindè Abrahæ opera fuêre præstantissima, obtulit filium suum, Gen. 22. Obediebat Deo, reliquit cognationem & patriam, Gen. 15. Et sic erant opera

pera eius ex fide facta, id est, post fidem, vt nemo quis quam ei comparari operibus suis possit, nedùm prę- ferri. Attamen Apostolus negat Abraham iustifica- tum ex operibus, Rom. 4. ergo nulla alia opera iu- stificabunt, nulla igitur opera effectiuè iustificant, neq; antè neque post fidem, sed fides quæ assentit & credit huic promissioni, quòd Deus propter filium vult misereri credenti, illa facit, vt Deus iustum pro- nunciet peccatorem. Insuper dicit Apostolus Rom. 3. nos iustificari gratis per gratiam Christi Ex operi- bus autem iustificari, non est gratis, quia operanti merces imputatur secundum debitum, non iuxta gratiam, vt 1. Cor. 1. quòd Christus factus est nobis sapientia à Deo & iustitia, &c. Si ergo Christus est iustitia nostra, & nos Christum nullo opere, sed fide apprehendimus: manifestum est, quòd fide iustifica- mur, non operibus. Ex quo sequitur, quòd qui ope- ribus suis quantumuis bonis iustitiam tribuit, ille o- pera manuum suarum adorat pro Christo filio Dei, quæ est summa idololatria. Et quod Iacobus 2. cap, dicit, Abraham operibus iustificatum esse, non potest intelligi de iustificatione effectiua, sed tantũ de iusti- ficatione declaratiua, quia opera ostendunt & testan tur iustificationem esse veram & completam siue cõ- summatam: quę si non sequuntur fidem siue iustifica tionem, certum est ibi nõ esse iustificationem veram.

Dum tribuitur iustificatio fidei, non abijciuntur 3.
bona opera ne fiant: obedientia enim legis necessa rio exigitur, sed falsa opinio scilicet illa, quòd puta- mus nos nostris operibus posse & velle mereri gra- tiam, iustificationem & salutem, hic hoc modo, alius alio, hic ædificio, stipendio largo, alter peregrinatio- ne, hic suffragijs sanctorum vult saluari, alter sacri- ficio Missæ vult liberari animas &c. hic per obseruan tiam præceptorum Dei Nemo enim ponderat & at- tendit promissionem illam Dei, quòd solùm propter

Christum

Christum vult misereri & exhibere gratiam credenti & pœnitenti, Act. 10. Ioan. 3. quod illũ constituit propitiatorium nostrum, Ro. 3. Sed si quisquam vult hoc trahere ad opus suum operatum, putans, quòd Deus propter illud velit misereri, quando hoc nõ promisit &c. ideò hęc falsa opinio reijcienda est, non studiũ bonorum operum. Alius ergo finis tribuendus est operibus nostris, quàm iustificatio & salus, scilicet retẽtionis beneficiorum Dei per Christum, & gratiarum actionis. Et quia sunt nostra sacrificia & obedientia erga Deum, & etiã quòd habeant sua pręmia hîc & in futura vita. 1. Cor. 3. Vnusquisq; mercedem accipiet secundùm suum laborem. Hoc iam certamen Ecclesia habet: Nam sinceriores docent, quòd promissioni diuinæ sit credendum & assentiendum. Et hanc fidem Deus acceptat, & ex sua misericordia nos iustos pronunciat: at sunt qui hoc operibus tribuũt, scilicet quòd propter illa, & non propter fidem promissionis diuinæ, iusti pronunciantur. Ergo audienda est sententia Pauli, qui arbitratur fide & assensione promissionis diuinæ iustificari, & nullis operibus nec antè aut pòst fidem. Credere ergò verbo Dei, ac promissioni diuinæ, facit quòd iusti pronunciamur, non opus operatum nostrum. Nota, Fides vera iustificat, id est, principiò apprehendit, cupit promissam misericordiam in Christo, sed sola non manet: nã statim pòst apprehensam Dei misericordiam per fidem in Christum datur Spiritus Sanctus, quo incipit per charitatẽ operari fides, Gal. 5. Dei prącepta seruare in gratiarũ actionem, castigare corpus, &c. quibus non meretur iustificationẽ iam gratuitè acceptã, sed alia prąmia. Si enim hæc opera non sequerentur iustificationem fide acceptam, non retineretur iustificatio: attamen hoc signanter oportet notare, quòd remissio peccatorum primò fit antè donationem Spiritus Sancti, & omne opus bonum apprąhẽsa iustificatione per

ne per fidem, eodem momento eadē fides accipit Spiritum Sanctum, qui statim accendit & operatur suos fructus.

CAPVT VIII.

ARGVMENTA.

1. *Quomodò fides vera solùm attendit & ponderat promissiones, & illis assentit in re iustificationis:*
2. *Quomodò leges, opera, cæremoniæ ac ritus extra æstimationem iustificationis seruati, non nocent, nec derogant fidei.*
3. *Quid sit excidere à Christo & fide.*

FIdes est aliud nihil, nisi assentiri promissionibus Dei, & contentari illis, non aliud medium quęrens iustitiæ & salutis quam quod Deus proposuit & obtulit, id est, Christum, propter quem vult nobis misereri gratis, Roman. 3. Hoc sic statuit & promisit quare per nullam aliam rem aut medium acceptari potest iustitia & salus, nisi illo quod Deus statuit & proposuit. Sic dedit vnigenitum suum, vt omnis qui in illum credit, non pereat, sed habeat vitā æternam. Nostra ergo opera non sunt media, per quę Deus promiserit se nobis misereri: sed bonitas illius & Christus, propter quem promissa est gratia. Hoc fides certò tenet & credit, attendit & ponderat. Magna ergo res est, credere diuinę promissioni, ac illi tribuere vim effectiuam iustificationis. 1.

Insuper Christianum facit hæc Fides, quòd credimus diuinę promissioni, scilicet quòd propter Christum acquirimus per fidem iustificationem & vitam æternam. Hoc etiam vbique docet scriptura nos propter Christum exaudiri, esse gratos Deo Patri, esse filios Dei, & hæredes regni Dei, Ioann. 16. & Ioann. 1. Rom. 8.

Rom. 8. Non ergo facit Christianum traditio, leges, cęremonię, neq; cibus vel potus aut vestitus, neque masculus, neq; fœmina, Galat. 3 Sed fides illa in Christum, credere diuinę promissioni & verbo Dei, facit Christianum: opera pia & obedientia præceptorum, declarant & testantur benè Christianum: sed illa fides in promissionem Dei, facit Christianos.

2. Quia fides nos facit filios Dei, & quatenus placemus Deo, eaq; in Christo viuimus, & in spiritu ambulamus coràm Deo, credentes quoniam propter Christum ex misericordia & gratia saluamur, in illum solum totum negotium salutis nostræ transferentes: hoc dum spiritu & corde agimus in fide, nihil nocebunt leges, cęremoniæ, varij ritus, fidei in Christum, quia illis non tribuimus salutem. Ideò Euangelium dum hîc in corpore viuimus, sinit nos vti moribus & legibus ac cęremonijs omnium Gentium, sicut Cibo, Potu, Aëre, Sale, Pluuia, & cæteris vitę necessarijs ad vitam corporalem. Sic Abraham, Dauid, Iob & similes placebant Deo fide in futurum Messiam: etiam erant Deo grati, & fide coram eo ambulabant, habebant & Spiritum sanctum. Sic Loth habitabat cum Sodomitis, Genes. 19. Cum illis vtebatur cibo & potu ac ritibus & legibus terræ, attamen spiritu & fide viuebat Deo. Sic hodiè Christianus qui fide placet Deo, & habet Spiritum sanctum, interim dum viuit in hoc corpore, moribus & legibus præsentibus, quibus cum viuit, vti potest sine periculo conscientiæ. Sic Paulus 1. Corint. 9. inquit: Omnibus omnia factus sum, omnium me seruum feci, vt lucrifacerem omnes: cum Iudæis vtebar Iudaicis ritibus & legibus, cum gentibus ritibus eorum, cùm infirmis erã infirmus. &c. hoc nihil nocuit fidei suæ qua Deo viuebat. Christianus enim duplicem vitam habet: primò spiritualem, qua in fide Iesu Christi consistit, qua credimus nos saluari ex misericordia Dei propter Christum

Christum, Philipp. 3. Nostra conuersatio in cælis est. hæc vita cõsistit in fide, timore, dilectione Dei, in fructibus Spiritussancti, ad Galat. 5. Rom. 14. Regnum Dei non est cibus & potus, sed est iustitia, pax & gaudium in Spiritusancto tales nouit Deus, qui sic in Spiritu viuunt, qui sunt eius. Est quoque alia vita Christiani, scilicet corporalis, qua viuimus in corpore, & cum hominibus vtimur legibus, ritibus, ac cęremonijs tanquam pędagogia, & disciplina qua coërcentur carnales, 1. Timot. 1. Lex posita est iniustis & adulteris. Et hæc corporalis vita, siue leges & ritus, non impediunt alteram, id est, spiritualem vitam, qua soli Deò viuimus. Nam Euangelium non est mundana politia, sed est vita spiritualis in fide, regnans coràm Deo: attamẽ sinit hîc vti legibus omnium gentium, & iubet etiam obedire magistratui, Ro. 13. & illorum creaturis, id est, ordinationibus, ritibus, legibus & præceptis. Igitur Euangelium & fides benè secum patitur leges, ritus, & cęremonias, si in debitum finem ordinantur.

Apostolus increpat Galatas, quòd à Christo exciderint, inquiens Galat. 5. Si in lege iustificamini, id est, vultis iustificari, euacuati estis à Christo, à gratia excidistis. & 1. Timoth. 4. inquit futurum, vt quidam discessuri sint à fide, attendentes spiritibus erroris: sed excidere à Christo, à gratia & fide Christi, est iuxta mentem Apostoli, quandò hoc tribuitur cultibus, operibus, cæremonijs, traditionibus, legibus &c. quod Christo debetur: nempè dum illis tribuitur remissio peccatorum, & iustificatio coràm Deo. Hoc enim soli Christo debetur, propter hunc Deus Pater promisit se nostrî misereri velle, & non propter opera, leges, ac traditiones nostras. Ideò perniciosus error est, tribuere his legibus & cæremonijs iustificationem, quamuis semper error iste hæsit in mundo, nec Prophetæ, neque Christus aut Apostoli 3.

poterant in toto eradicare illum errorem.

Sic Iudæi doctrina iustificationis plurimum offendebantur, quando correcti à Prophetis & Doctoribus, quòd legi tribuebant iustificationem, & quòd per opera legis consequerentur remissionem peccatorum, & quod hac fiducia suæ iustitiæ, cultum cumulabant & sacrificia. Ideò occidebant Prophetas, Christum & Apostolos, obstinati in hoc errore. Tales igitur euacuantur à Christo, à fide discedunt: volentes suam iustitiam statuere ideò Dei non erant capaces, Rom. 10.

CAPVT IX.

ARGVMENTA.

1. *Quid significet hoc verbum Gratia, & quid sit.*
2. *Quibus detur.*
3. *Quomodò sit causa, quòd omnia opera nostra Deo placeant, & sint meritoria.*

1 HOc verbum, gratia, largè significat auxilium Spiritussancti, seu actionem diuinam in nobis: & sic accipimus gratiã, in nobis: & sic accipimus Gratiã, quandò dicimus, nihil possumus sine gratia Dei, id est, auxilio Dei. Sic orare, benefacere, esse constantem in fide, vincere pericula & tentationes &c. facimus adiutorio gratiæ Dei. Sic inquit Apostolus Phil. 4. Omnia possum in eo qui me confortat. & 1. Corint. 15. Gratia Dei sum id quod sum. Rom. 8. Ipse spiritus iuuat infirmitatem nostram. Aliquandò etiam, gratia, significat largè relaxationem pœnarum debitarum pro peccatis. Et sic capimus cum dicimus: Hodiè est patrocinium in hac Ecclesia, vadam vt promerear gratiam & indulgentiam, id est, remissionem

sionem pœnarum, secundùm taxationem Canonũ, vt erat in primitiua Ecclesia in vsu: nec hodiè in totum est abijciendum: vtinam hodiè Ecclesia seruaret hunc rigorem & disciplinam. Sed gratia, propriè est immerita Misericordia, Dilectio & Fauor Dei, quam nobis gratis Deus exhibet propter Christum, vt quandò Deus iure nos posset damnare, tùm propter peccatum originale, tùm actuale, attamen gratis nostrî miseretur propter Christum: Et qui sumus natura peccatores, iniusti propter annexum vitium, attamẽ reputamur iusti in Christo, & remittitur nobis peccatum: hoc iam est opus in Deo, quod mihi exhibetur, scilicet misericordia propter fidẽ in Christum. Presupponit hoc verbum, Gratia, peccatum, misericordia miseriam Ideò cupio Gratiam, quia peccator sum: misericordiam, quia malefeci: Qui se non putant peccatores, illi non cupiunt gratiam Dei, sicut de Iudæis iustitiarijs loquitur Paulus, Galat. 2 Non abijcio gratiam Christi. Et Lucæ 15. Gaudium est angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Ideò qui se intelligunt damnatos, & cupiunt misericordiam propter Christũ, illis exhibetur gratis Gratia, id est, non propter benefactum nostrum. Non enim habet causam & originem meriti in nobis, sed oritur & causam habet in Christo, propter quem hæc Gratia nobis distribuitur, & non propter nostrum opus operatum. Et sic arguit Paulus, Rom. 11. Si gratia ex operibus, iam gratia non est gratia. Et Rom. quarto: Ei qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. Est igitur Gratia, gratuita rẽ missio peccatorum, & acceptatio propter Christum, cùm qua est coniuncta donatio Spiritussancti.

Hæc Gratia exhibetur his, qui se agnoscunt peccatores, vt dictum est: retinetur quoque apud timentes Deum. Luc. 1. Et misericordia eius à progenie in progeniem timentibus eum. Roman. 8. Si secundùm

carnem vixeritis, moriemini. Et ideò qui Deum non timent,& secundùm carnem ambulant, non retinēt Dei fauorem & gratiam, donec resipiscant & pœnitentiam egerint veram,id est, cessationem à peccatis: & tunc Deus iterum gratis exhibet hanc gratiam & remissionem,vt licet Deus exigat contritionem,cōfessionem & fructus pœnitentiæ non propter illa opera, tamen confert gratiam, scilicet propter Christum: Nam semper hoc reseruatur Gratiæ,quia gratis donatur.

Augmentatio quidem Gratiæ fieri potest, prout gratia pro auxilio Dei accipitur, sicut in Sanctis patet, qui secundùm diuersos gradus vsi sunt gratia Dei. Sic dicit Apostolus primæ Corint.15. Plus omnibus laboraui,non ego autem, sed gratia Dei mecum. Ibi Deus suum auxilium non æquo gradu dispensat, sed diuerso. Sed Gratia propriè hoc sibi retinet semper, quia gratis exhibetur, id est, ex misericordia, etiamsi Deus iuuat Sanctos, vt multiplices fructus ferant, atque illa gratia abundet: & hoc est gratia, id est, gratis donatur, licet propriè meritum potiùs operum gratiæ augmentetur, quàm ipsa gratia. Exhibetur ergo gratia timentibus Deum, vt dictum est.

Et quamuis nemo mereri potest Gratiam, disponi tamen ad illam nos iubet Scriptura. Sic clamat Ioannes Matthæi 3. Parate viam Domini, &c. Et Esaiæ.55 Derelinquat impius viam suam, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius. Et Zachar. 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Et quatenùs homo hoc possit,Deus exhibet generale auxilium, quo excitat hominem,& ostium pulsat: Vbi homo si audierit, & pœnitentiam egerit, vel faciens quantùm in illo fuerit, tunc Deus gratis, non propter nostram dispositionem, etsi illa exigatur, necessariò exhibet gratiam. Sunt enim prædicationes, flagella,infirmitates,&c. quibus vocantur.

Gratia

Gratia est causa remissionis siue iustificationis, est causa præmij operum iustificatorum, & causa salutis æternæ. Causa iustificationis, ad Roman. 3. Iustificati gratis gratia ipsius, id est, propter Christum, vel ipso Deo miserante: & propriè gratia, id est, ipsa Dei misericordia, iustificat & reputat iustum. Fides dicitur iustificare, quia accipit (fassen) & sibi applicat Gratiam, non autem inquantum est virtus in se. Et sic omnes Theologi tribuunt Gratiæ iustificationem. Et tamen fides non est gratia, sicuti non est Deus fides, neque Dei misericordia, sed virtus qua accipitur Gratia, ideò dicitur iustificare, immò plures mali habent fidem informem, sed non habent gratiam: & Dæmones credunt, non tamen habent gratiam. Iacob. 2. Et Ioannes Baptista habuit gratiam in vtero matris. Lucæ primo, non tamen fidem actualem. Deindè gratia causa est præmiorum pro nostris operibus, id est, quòd Deus remunerat opera nostra, sicut dicit Apostolus primæ Corinth. tertio. Vnusquisque mercedem accipiet secundùm suum laborem. Et Matthæi 16. & 25. Hoc non oritur ab operibus nostris, sed à gratuita Dei voluntate, misericordia & gratia, à qua oritur promissio præmiorum. Ideò semper docuit Ecclesia, opera esse meritoria ex gratia & misericordia, id est, Deum nobis nihil debere, etiamsi omnia fecerimus, Lucæ XVII. attamen quòd promisit præmium operibus, ibi causa est sua misericordia & Christus, non in ipsa opera. Fide acceptat peccatorem, & personam iustificat: Deindè & opera eius sunt grata & meritoria, sed ex gratia, vt dictum est. Sic si quis calicem aquæ frigidæ dederit habebit mercedem suam, Matthæi decimo. Postremò, Gratia est causa vitæ æternæ & gloriæ, Roman. 6. Gratia vel donum vita æterna. Nisi hæc Gratia & misericordia à Christo esset impetrata, nemo vnquam saluaretur: solus Christus illam meruit, & 3.

nemo illam mereri potest. Quòd autem Deus compensat opera nostra vita æterna, & his præmijs quæ nec auris audiuit, &c. Esaiæ XLVI. gratuita est misericordia, non debitum, Etsi ibi est aliquod debitũ, hoc fundatur in promissione & verbo Dei, quoniam ipse promisit, & non in nostro opere operato. Ex gratia igitur sunt opera nostra meritoria gloriæ, non autem de condigno hoc merentur, sicuti mercenarius præmium suum.

S. Bernardus. Sic inquit sanctus Bernardus sermone primo de annunciatione: Necesse est primò omnium credere, quòd remissionem peccatorum habere non poteris, nisi per indulgentiam Dei Deindè, quòd nihil queas habere boni operis, nisi & hoc dederit ipse. Postremò, quod vitam æternam nullis potes operibus promereri, nisi & gratis detur. Hoc docet Scriptura & Patres de Gratia.

Apertum igitur est mendacium, quo grauatur Ecclesia, quòd suis operibus operatis ex condigno velit mereri gloriam. Datur ergò Gratia gratis, non propter nostrum meritum, sed propter Christi meritum: & qui se agnoscunt peccatores, ac timent Dominũ, illis exhibetur, ab ijsque tenetur, Postremò, causa est iustificationis, præmiationis bonorum operum, atque gloriæ æternæ. Hæc simpliciſsimè de Gratia notanda sunt.

CAPVT X.

ARGVMENTA.

1. *Quid faciat hominis opus bonum, eò quòd homo est peccator.*
2. *Ad quid Deus præcepit nobis facere opera bona.*
3. *Quod sit præmium operum bonorum.*

Christus

CHristus inquit Matth. 7. Omnis arbor mala, fructus malos facit: Quia ergo nos in peccatis concipimur & nascimur, Psalmo 50. sequitur quòd opus nostrum à nostra natura profectum, nõ potest dici bonum: oportet igitur vt ab alio dicatur bonum, quàm à nobis. Fit autem homo arbor bona, primò fide in Christum Iesum, quę Fides impetrat gratiam & fauorem Dei, & facit vt tunc opus placeat DEO Nam sine fide Christi impossibile est, aliquod opus Deo placere, Hebr. 11. Rectificatur igitur homo & mutatur fide Christi, quæ facit, vt opera illius, licet adhuc carne fragili fiant, attamen reputantur bona & iusta propter Christum: & sic ex gratia est, & ex Diuina imputatione, quòd opus sit bonum & acceptum, non naturali sua dignitate & conditione. Et sic dicebat Propheta Iob 9. Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti. Et Psalmo 142. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Imputatione ergo diuina, ex gratia opus nostrum dicitur bonum, Ephes. 2. Eramus natura filij irę, sed misericordia & gratia saluati estis per fidem, conditi ad bona opera, quę ordinat Deus vt in illis ambulemus.

Deus exigit à nobis interiora & exteriora opera & virtutes. Interiora sunt, fides, dilectio, timor Dei: hęc sunt meliora & potissima opera, & notantur in prima tabula Moysis. Primò fides, vt toto corde illi fidamus: nam verax & fidelis est, & seruat certò omnia quæ dixit & promisit: deindè, vt eum toto corde diligamus. Nam omne bonum venit ab ipso, & tamen nos non meruimus, sed ipse donat gratuitè ex misericordia & gratia. Postremò, vt illum timeamus, nam punit malos. Hæc omnia patent Exod. 20. Ego Deus zelotes, visitans, &c. Hęc sunt opera Spiritualia interiora & potissima, sine quibus 2.

parùm prosunt exteriora: & illa vbique exigit Scriptura. Matth. 6. Primum quærite regnum Dei. Roman. 14. Regnum Dei non est potus & cibus, sed iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto. Sic etiã sunt opera potiora motus cordis, patientia, misericordia, gratiarum actio, &c. Et illa omnia cumprimis exigit à nobis Deus, quare arguuntur Pharisæi, Matthæi 23. qui mentham, anethum & cyminum decimant, & maiora legis relinquunt, iudicium erga seipsos, fidem erga Deum, misericordiam erga proximum. Alia sunt opera exteriora, quæ quoque Deus exigit, & sunt fructus interiorum virtutum, vt sunt præcepta secundæ Tabulæ. Et ad illa rediguntur orare, ieiunare, psallere, vigilare, prædicare, &c. Sicut dicit Apostolus 1. Corinth. 9. Castigabo corpus meum. Sic tres pueri abstinebant se à cibo Regio. Danielis primo. Et filij obedientes Rechab, Ieremiæ 35. Sed hæc exteriora sunt serui, interiora verò quasi Domini & præcipui: præferuntur præcepta Domini traditionibus humanis. Sed præcipit & exigit Deus hæc opera primò ad laudem & gratiarum actionem sibi pro acceptis beneficijs, sicuti ait Apostolus Philip. 1. Repleti fructu iustitiæ ad laudem Dei. Deindè in exemplum & vtilitatem proximi. Matthæi 5. Sic luceat lux vestra coràm hominibus. Et 1. Pet. 2. Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, & Matthæi. 25. Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. Postremò ad domandam carnem, vt superbia per humilitatem, gula per ieiunium, tentatio per orationem. Colos. 4. Mortificate membra vestra. Et 1. Cor. 9. Castigo corpus meum. Sic per bona opera retinemus acceptam iustitiam. Rom. 8. Si secundùm carnem vixeritis, &c. Sine igitur bonis operibus non retinetur gratia accepta. Ideò inquit Christus Ioã. 5. Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Hoc

Hoc sciendum, quòd opera nostra ex se vel sua na- 5.
turali bonitate, dignitate, conditione nihil merentur. Nam sic inquit Christus Lucæ xvii. Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus. Nam hoc quod debuimus facere, fecimus. Nùm habet gratiam Dominus seruo? non puto. Hisce verbis omne meritum CHRISTVS adimit operibus, prout à nobis, aut per se factis. Iam nemo gloriari debet de suis factis aut præsumere, sicuti fecit Pharisæus, Lucæ 18. nam DEVS nobis nihil debet. Sed quòd docemus & speramus præmium operum, causa & origo non sunt opera nostra facta, sed diuina bonitas & misericordia, quæ gratuitè promisit præmium tale, & nostra opera reputat digna præmio æterno propter Christum: hæc pia Dei voluntas & promissio, causa est præmiorum. Ideò nõ ab operibus operatis, vt à nobis speramus præmium, sed quatenùs ipse promisit propter verbum suum. Et ideò dicuntur opera meritoria ex gratia, id est, misericordia, non ex dignitate, auß Gottes zusa e/ non effectiua dignitate. Sic enim Petrus quærit, Mat. 19. ac Lucæ 18. inquiens: Eccè nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergò erit nobis? id est, quid merentur opera nostra? Et Christus inquit & iurat Matth. 19. Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, fide scilicet & opere, & reliquistis domum, fratres, sorores, patrem & matrem, filios aut agros propter nomen meum, id est, facto vel voluntate, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Et Lucas inquit: Multò plura accipiet in hoc tempore, & in seculo futuro vitã æternam. Ecce hîc stat Dei promissio, quæ est causa præmiorum atq; vitæ æternæ, non opera ipsa operata. Nunquàm talia opera illorum meruissent, nisi Christus sic promisisset. Sic omnia opera nostra ex promissione & gratia sunt meritoria: quòd autem sic acceptentur, & tanta

gloria æterna compensentur, Christus in causa est, qui nobis sua morte hanc acquisiuit gratiam, & misericordiam, quòd sic placeant DEO opera nostra, atque recompensentur gloria ęterna. Ita Apostolus 1. Tim. 4. inquit: Pietas (id est, fides in Deum, & dilectio in proximum) ad omnia vtilis, habens promissionem vitæ quæ nunc est, & futurę. Nam Deus opera nostra coronat corporalibus & spiritualibus præmijs, augmentat fidem, dilectionem, spem, timorē, misericordiam & cæteros fructus Spiritussancti, Galat. quinto. Subindè & corporalia, id est, sanitatem, fortunam rerum, custoditionem à damnis, augmentum, obedientiam filiorum, vires, gloriam, honores, pacem, concordiam, pluuiam suis temporibus, vt Leuit. 16. & Deut. 28. Sed hęc sunt minima & inferiora: in futura autem dabit, quæ nec auris audiuit, nec oculus vidit, &c. Omnia ibi gloria ęterna compensabit inenarrabiliter: maiora præmia reseruat DEVS pijs in futura gloria æternaliter.

Sic etiam mala opera pœnas pręsentes habent & æternas, Diaboli tyrannidem, qui impios in potestate habet, & impellit in omnis generis errores ac flagitia, ac pœnas corporales, bella, incendia, & alias calamitates: Extinguunt mala opera fidem, charitatem, & merentur indurationem, & peccatum peccato punitur. Postremò damnatio æterna sequetur, iuxta illud Ioannis 5. Qui mala egerunt, procedent in resurrectionem iudicij, & ibunt in ignem aut supplicium ęternum, Matthæi 25. Ex gratia igitur & promissione opera accipiunt gloriam ęternam, & nō ex dignitate. sic inquit Apostolus 1. Corinth. 3. Vnusquisque mercedem accipiet secundùm suum laborem. Hoc tamen ex gratia propriè, nec iustificatio, nec regnum à nobis potest mereri, sed ex gratia distribuitur.

Caput

CAP. XI.

ARGVMENTA.

1. *Quomodò opera nos iustificant.*
2. *Quomodò placant Deum.*
3. *Quomodò satisfaciunt, & in quem finem hæc tria Ecclesia tribuit operibus.*

SCriptura loquitur dupliciter de iustificatione: Primò, prout peccator acceptatur pro iusto coram Deo, & peccata remittũtur: nam solus Deus est qui iustificat, & de immundo facit mundum: ideò opus solius DEI est, iustificare peccatorem, non angeli, neque hominis. Facit autem Deus hoc gratis per medium fidei, ita quòd non respicit præcedentia merita vel demerita, sed gratis ex misericordia propter Christum. Sic Romanorum 3. & Galat. 3. inquit Apostolus: Arbitramur hominem iustificari fide absque operibus legis. Actor. 15. Fide purificans corda. Sed illa fide iustificatur homo, qua dolet de peccatis & cessat, & petit veniam propter Christum: non autem illa fides, quæ est sine pœnitentia, neque cessat peccare: talis non consequitur misericordiam, neque iustificat: ideò illa particula, gratis, non excludit pœnitentiam, sacramenta, fidem, bona opera, sed totam causam iustificationis transfert in CHRISTVM, in misericordiam Dei, vt promissio sit certa, Romanorum quarto. 1. Iob. 14.

Est ergò iustificatio opus extra nos, vbi nos non operamur, sed tantùm patimur & accipimus. Sicut terra pluuiam non gignit, nec vllo opere suo aut viribus acquirere potest, sed tantùm cœlesti dono desuper recipit. Sic per gratuitam imputationem propter Christum, qui meruit nobis hãc imputationem nostrã, gratis iustificamur: vt quanuis pœnitentia & fides

fides in nobis exigantur vt accipiant, nõ tamen sunt causa iustificationis, sed gratuita DEI misericordia propter Christum: non igitur consistit in merito nostro. Altero modo loquitur Scriptura de iustificatione, prout à nobis fit virtute primæ iustificationis, quæ est fructus atque testis, quòd verè apprehendimus iustitiam. Et de illa loquitur Apostolus Iacobus 2. quòd fides Abrahæ operibus est consummata, & Abraham operibus iustificatus est, offerens filium suum Isaac, Gen. 22. Et sic ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm. Operibus enim sequentibus fidem, ostenditur, quòd vera & perfecta sit iustitia accepta, quæ opera si non sequuntur, signum est quòd hæc fides vel iustificatio non sit consummata & completa. Sic Raab meretrix ex operibus est iustificata, Iosuæ 2. Vt ergò corpus sinè spiritu mortuũ est, sic Fides sine operibus. Et quoniam maior pars iactat fidẽ, non tamen habet opera: ideò quoties docetur, quoniam opera iustificãt, de illis operibus intelligendum est, quæ sequi debent iustificationem & fidem, quæ ostendunt integram & viuam esse iustificationem, non vt iustificent, sicut nos DEVS gratis, imputatiuè, ex misericordia propter fidẽ in Christum, primò & initialiter iustificat. Terra, accepto imbre desupèr, fructificat: sin autem, signum est malitiæ & sterilitatis: testantur autem opera iustificationem, & augmentant in nobis, sicut docet Apostolus Philip. 2 vt charitas abundet magis, id est, accepta à Deo charitas, per nostrũ vsum & exercitium debet abundare. Sic primæ Thessal quarto: Sic ambuletis, vt abundetis magis. 2. Corinth. 9. Vt abundetis in omne opus bonum. Et iterum: Potens est DEVS omnem gratiam abundare facere in vobis. Et secundę Petri tertio: Crescite in gratia & cognitione saluatoris nostri Iesu Christi. Sic enim docent Patres, quod sola illa sterilis fides non sufficiat ad iustifi-

iustificationem, sed opera quoque exiguntur, vt plena sit & consummata fides. Et hanc iustitiam vbique docet Scriptura, quæ sequi debet primam. 2. Petri 2. Cuius liuore sanati sumus, vt nunc iustitiæ viuamus &c. Seruus gratis acceptatur à Domino, & operibus præcedentibus non meruit: sed tamen nunc debet operari susceptus.

Quòd opera placant iram Dei, cum distinctione docet Ecclesia. Est enim ira DEI, qua punit æternaliter scilicet incredulos, Ioannis VIII. Si non creditis quia ego sum, in peccatis vestris moriemini. A tali igitur ira Deus non placatur, nisi per fidem in Iesum Christum: nam dedit Filium, vt omnis qui credit in illum, non pereat: qui ergò non credit, iam iudicatus est, Ioannis tertio. Nullum ergò opus hominis placat Deũ ab æterna illa ira, nisi fides in Christum. 2.

Est quoquè alia ira Dei, qua in prę̨senti punit peccatores credulos, quorum pœnitentię̨ opera placant & mitigant iram Dei à pœna, quam statuit infligere Deus. Sic enim Niniuitarum opera placabant Deum Ionæ tertio. Sic humiliatio Dauid & oratio placauit Deum, vt cessaret pestilentia, 2. Reg. 24. Sic eleëmosyna Nabuchodonosor Regis placauit Deum, vt mitigaret illius pœnam, Daniel. 4. A temporaria igitur pœna, belli, pestilentię̨, famis ac aliarum infirmitatum, quibus Deus nos aliquandò visitat, & peccata nostra punit, hæc ira potest placari operibus pœnitentiæ, id est, temporaria pœna. Sed quoad iram & punitionem æternam, nullũ opus Deum placare potest præter vnicum Domini nostri Iesu Christi, placatur DEVS à pœna æterna: sed opera fidelium placant Deum, quoad pœnam temporariã, pro peccatis promeritã ex misericordia & gratia, non dignitate.

De satisfactione, quatenùs opera bona pro peccatis satisfaciant, sic cũ distinctione docetur: habentur in peccato duo, offensio Dei, deindè iusta correctio, 3.

quam

quam meruit peccatum. Offensionem Dei nemo placare potest, aut illi satisfacere, præter solum Christum: nullum opus hominis nec angeli hoc potuit. Ideò Christus mortuus est pro peccatis nostris pro tali reconciliatione, Rom. 4. Et quoniam nullus potuit hominum, posuit Deus pater super illum iniquitatem omnium nostrûm, Esaiæ 53. Igitur offensæ Diuinæ & pœnæ æternæ nullus hominum potest satisfacere. Hoc enim reseruatur Christo: hęc remittuntur gratis ex misericordia propter Christum credenti & pœnitenti.

Est quoquè alia satisfactio, quam exigit Deus, sine qua suam satisfactionem Christus non vult distribuere, vt est recõciliatio fratris, Matt. 5. restitutio ablati, Exod. 20. Non furtum facies: restitutio famæ, Non falsum testimonium dices: & sicut exhibuistis mẽbra vestra inseruire iniustitię & iniquitati, ita nũc exhibete seruire iustitię & sanctitati, Rom. 6. & Ioan. Mat. 3. dignos exigit fructus pœnitẽtiæ contra crapulam iciuniũ, cõtra auaritiã Eleemosynã, cõtra superbiã & luxuriam orationẽ vult Deus, ne ampliùs peccemus, Ioan. 8. Et huiusmodi satisfactiones docet Ecclesia ad liberationẽ à temporarijs pœnis sed ꝑ peccatis corã Deo est vnica satisfactio, id est, mors Christi sed illa nulli distribuitur, nisi obediat & satisfaciat quoq;, sicut dictũ est. Satisfactio igitur de pœnis peccatorũ, intelligenda est, & de ciuili satisfactione erga proximum, nõ de culpa peccaticorã Deo. Et quanuis omnes Doctores Ecclesiæ doceant, non solùm mentis, sed & operis pœnalem satisfactionem, & quatenùs illa sit necessaria, & placeat, hoc tamen non intelligunt de dignitate operum, sed quatenùs ita acceptentur ex misericordia propter Christum, qui talem imputationem meruit, ita quòd hoc relinquatur saluum, quia Christi mors satisfecit pro peccatis totius mundi, Ioan. 2.

Duplex

Duplex est opus bonum: propitiatorium, id est, quod meretur remissionem & salutem omnibus: hoc vnicum in mundo, id est mors Christi. Aliud opus dicitur Eucharisticum, id est, laus, quo Deum honoramus, confitemur, inuocamus, gratias agimus, quo seruimus proximo, & carnem nostram castigamus: Hæc omnia sunt opera Christiani iustificati, sed non illa opera propitiatoria, sed laudis, &c. & non merentur iustificationem, sed retinent.

CAP. XII

ARGVMENTA.

1. *Quid sit condignum præmium & æquale bonorum operum.*
2. *Quid sit præmium gratiæ, & quantùm se extendat.*
3. *Quare Deus adeò largus est in distribuendis præmijs.*

AEquum & condignum præmium est & dicitur, quod respondet secundùm rigorem iustitiæ labori, sicut mercenarius pro labore suo accipit condignum meritum & præmium, de quo dicit scriptura Deutero. 24. Non negabis mercedem indigentis & pauperis. Tobię 4. Quicunq; tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarij tui apud te non retineatur & moretur. Et sic Luc. 10. & 1. Timoth. 5 Dignus est operarius mercede sua, & Ro. 4. merces donatur secundùm meritū, & non ex gratia: respondet igitur hoc prępium secundùm humanam & diuinam iustitiam labori. Et sic nullum est nobis præmium coram DEO. Nam cùm omnia fecerimus, adhuc serui inutiles sumus, Luc. 17. 1.

Præmium

2. Præmium gratiæ est, quòd sic dicitur, quia non respicit opus factum, sed gratuitã Dei promissionem: quoniam ex gratia & misericordia est promissa remuneratio à Deo, qui verax est: Ideò est præmium operi, alioqui nullum esset. Est autem gratiæ præmiũ duplex, essentiale, id est, Heupt gut vnd lohn / Et accidentale, der zugegeben lohn oder zugabe. Essentiale præmium (heupt gut) dicitur, quia solus Christus hoc meruit sua passione, nempè remissionẽ peccatorum & vitam æternam. Hoc autem distribuitur ex misericordia gratis propter Christum credenti sine proprio merito in iustificatione Rom. 3. Gratis iustificati estis per sanguinem ipsius. Ephes. 2. Gratia saluati estis per fidem, & non ex vobis. De hoc merito Christi dicit Apostolus Roma. 8. Qui dedit filium, omnia cum filio donauit. Hoc meritum Christi omnibus æqualiter qui credunt, dispensatur. Matthæi 20. Singuli acceperunt denarios suos. Siue igitur sint pauperes vel diuites, serui aut domini, vir aut mulier omnes ex æquo accipiunt, qui credunt in nomine eius. Hoc igitur essentiale meritum nemo potest suis viribus mereri, nempè remissionem & vitam æternam: Sed gratis donatur credenti. Nam caput nostrũ Christus hoc meruit, & donat ex misericordia gratis membris. Distribuit benè ex misericordia & promissione credentibus & pœnitentibus, sed propriè solus Christus meruit hoc, non opera nostra. In hoc Christi merito gaudet & quieta est conscientia, sicut dicit Bernardus Bernardus: Christus regnum duplici iure possidet: semel, quòd passus & meruit: deindè, quia filius Dei. Sed quoniam ius alterius non indiget, ideò totũ mihi gratis donat: Et in eum finem dicitur, quòd cœlum mereri non possumus & remissionem. Nam hæc sunt præmia pro labore alterius, id est, Christi, à quo oportet distribuatur, quicunque illorum fit particeps:

ceps: distribuit ergo CHRISTVS gratis hæc.

Deindè est accidentale præmium, quòd distribuitur etiam ex gratia Christi, propter opera nostra ex fide sequentia, vt sunt labores, martyria, persecutiones, castigationes corporis, orationes, ieiunium, vigilia, eleemosyna, quæ omnia propter DEVM, & Fidem fiunt, sicuti etiam ordines, religiones, Cęremonię. Sunt quoquè nostræ virtutes, paupertas Spiritus, misericordia, mundities cordis, Esuries Iustitiæ, Matthæi quinto. Est obseruantia præceptorum DEI. Matth. 19. Omnia illa ex sua dignitate non merentur cœlum, sed multa alia accidentalia præmia in hac, & pòst hanc vitam spiritualiter & corporaliter & 1. Corinthiorum 3. Vnusquisque mercedem accipiet secundùm suum laborem. Vt ergò sunt gradus operum, ita præmiorum. Sicut differt stella à stella in claritate & magnitudine, 1. Corinthiorum 15. Sic erit resurrectio mortuorum, vbi alter altero clarior & opulentior erit in gloria. Dona igitur varia, id est, gaben distribuuntur fidelibus secundùm gradus laborum, sed meritum salutis in Christum transfertur.

In hoc ergò Accidentali præmio non erimus omnes pares, sicut in Essentiali: sed reddet hîc DEVS vnicuique iuxta opera sua, Matthęi 16. vt qui plurimùm seminauerint, plurimùm & metant. Sic plus fulgebunt S. Apostoli, Martyres, Confessores, qui sunt stellæ maiores & clariores, quã simplices Confessores & fideles. Et sic nullum opus manebit irremuneratum, nec etiam impunitum: Et sic sunt multæ mansiones in domo Patris, Ioannis 14. De hoc præmio etiam gloriabatur Apostolus 2. Timoth. 4. inquiens: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, Fidem seruaui: ideò reposita est mihi corona iustitię. Nullus igitur Apostolorum siue Martyrum suo opere meruit sibi remissionem peccatorum, & 2. Cor. 9.

vitam æternam. Hoc omnes de plenitudine Christi accipimus. Hoc est illud capitale bonum & prȩmium nostrum pro salute consequenda: attamen accidentalia prȩmia quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, vt Esaiæ 48. ex gratia meruerunt, iuxta gradus laborum & passionum. Diligenter ergò hæc præmia & merita distinguenda sunt, vt cuilibet quod suum est, applicetur. Nam inquit Christus: Merces vestra copiosa est in cælo, Matth. 5. Et Hierem. 31. Quiescat vox tua, quia est merces operi tuo. Et Sapient. 10. Reddet Deus mercedem laborum tuorum &c. Igitur non sunt audiendi, qui omne præmium & meritum abijciunt: Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, Hebr. sexto. At inquiunt carnales: Sufficit mihi Essentiale præmium, quod gratis recipio propter Christum, id est, remissionem & vitam, non curo accidentale. Et si satis habeo in Essentiali, ad quid opus erit accidentali? Respondeo: Essentiale præmium donatur gratis, vt dictum est, sed non retinetur absque bonis operibus & obseruantia præceptorum. Si secundùm carnem vixeritis, inquit Apostolus Romanorum 8. moriemini: Quoties igitur quis agit malè & peccat, signum profert, quia iustitiam & essentiale præmium vel perdidit, vel non habet. Deindè cui offertur præmium essentiale Christi, ilicò ei præcipitur, vt fructibus iustitiæ laudet Deũ, Philip. 1. Postremò, qui non agit gratias Deo pro accepto beneficio, is meritò priuatur omni præmio tàm essentiali quàm accidentali.

3. Quòd Deus propter Christum sua misericordia distribuit tùm essentiale tùm accidentale præmium, nulla est causa in nobis, sed totalis in eo, vt laudetur gloria gratiæ suæ, Ephes. 1. Igitur quicquid accipimus vel habemus, hoc totum est donum gratiæ illius, quia vltra hoc quod ipse donat, bona etiã opera

per

per nos facit. Esa.26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine, etiam coronat dona sua ad laudem & gloriam suam.

CAPVT XIII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit peccatum in homine.*
2. *Quæ sit causa peccati.*
3. *De discrimine peccatorum.*

HOC verbum peccatum, dupliciter capitur in Scriptura: Vno modo, pro peccato originis, quod est aliud nihil, quã carentia originalis iustitiæ, quæ in homine & natura nostra inesse deberet. Nam in tali iustitia originali creatus est primus homo Adam & Eua. At postquàm peccârunt Genes.3. perdiderunt illam, & natura sic in eis corrupta est: Et hęc corruptio nunc est perpetuus morbus naturę, sic vt humana voluntas non potest per sese ex natura sua illum morbum tollere, sicut nec mortem, quę est actus proprijssimus istius corruptionis: Nec natura est morbus ille, Deus enim creauit naturam bonam: sed ille morbus cõnascitur homini ex peccato & inobedientia primorum parentum, in quibus natura, vt in radice, est infecta morbo illo: & sic peccatũ per vniuersam massam currit, teste Augustino. Insupèr illius morbi fructus sunt peccata actualia, superbia, auaritia, luxuria, &c. cogitata, dicta, facta contra legem Dei: Sunt quoq; ignoratio Dei, carere fide, dilectione, timore, humilitate, patiẽtia, misericordia, &c. quę nunc natura, tali morbo corrupta, ex se efficere nõ potest: exindè est, ꝙ interior ille naturæ morbus polluit externas actiones, vt Deo non placeant. Etsi nondũ sanctificati habeãt quędã honesta opera, sicut

habuit Cicero, Aristoteles, & cæteri gentium philosophi, non tamen placent DEO, eò quòd nondùm persona est sanctificata. Persona enim & opus distãt, vt si persona primùm non fuerit sanctificata, opus eius, etsi honestum sit, attamen propter illum morbum naturæ, Deo non placet: si autem fides in Christum, accesserit honesto operi, hæc fides sanctificat personam, & facit quòd DEO placet opus, eò quòd persona iam placet, primùm per fidem sanctificata: Et sic opus iustificati, sua habebit prędmia in hac vita, & post hanc vitam. Non iustificatorum autem opera etsi temporale habent præmium, non tamen æternum Exigit tamen Deus etiam in impijs externa illa honesta opera, propter trãquillitatem hominum, & quatenùs institui & doceri possunt de Euangelio, & Deus quoquè egregijs præmijs corporalibus, etiam in infidelibus, adornat hanc iustitiam carnis, vti de obstetricibus Exo. 2. Econtrà violationem legis
Exo. 14. externæ, pædagogiæ & honestatis, punit grauibus pœnis corporalibus, sicuti patet in Pharaone, Domitiano, Diocleciano, & cæt. Sumitur ergò hoc nomen, peccatum, primò pro originis vitio, Deindè pro actu, cogitatione, locutione & operatione, contra legem Dei, hoc enim quod DEVS exhibuit, est peccatum: & quod præcepit, bonũ opus. ad sua enim præcepta rediguntur omnia opera huiusmodi.

Causa peccati non est Deus: non enim Deus vult
2. peccatum, vt Psalm. quinto. Non enim volẽs iniquitatem Deus tu es. Sunt autem causæ peccati, voluntas Diaboli & voluntas hominis, & primo voluntas Diaboli: nam ideò Diabolus dicitur pater mendacij, Ioan 8. & loqui ex proprijs. Si pater mendacij, ergo & causa: quòd ex proprijs loquitur, fit, quatenùs natura à vitio verè discernitur. Naturam condidit bonam & conseruat DEVS, ipse autem Diabolus ex proprio vitio loquitur, & non à natura, in qua conditus

ditus est. Diabolus etiam corrumpit voluntatem hominis, quæ voluntas nostra, dum illi consentit, fit vnà cum voluntate Diaboli causa peccati, & nō ipse Deus, qui vtriusque naturam condidit bonam. Naturam à Deo esse ortam, & conseruari ab illo vt bonam, & tamen voluntatem Diaboli & hominis esse causam peccati, non pugnant: Quia voluntas conata vti sua libertate, potuit abuti sese, quæ à DEO auerteretur. Sic inquit Apostolus Romanorum 5. Per hominem intrauit peccatum in mundum, non dicit, per DEVM. Voluntas enim hominis, etiam nunc pòst peccatum, habet libertatem deligendi ea, quæ sunt subiecta rationi ad ciuilem iustitiam consequendam. hęc enim libertas connascitur naturæ, quam peccatum non tollit. Sic inquit Apostolus Romanorum 2. Cùm gentes legem non haberent &cæt. Et si scriptura dicit Exodi 7. Ego indurabo cor Pharaonis & per prophetam Esaiam, Ego creans mala, ergò est causa peccati Deus: hoc solum intelligendum est de permissione, & non voluntate efficaci: nam Deus non priuat voluntatem sua naturali cognata libertate: Ideò Deus permittit & non cogit. Et sic dum dicitur, omnia necessariò fieri, non ad hęc refertur, vt illa quæ sunt subiecta humanæ rationi & naturaliter cognata, vt necessariò fieri cogerentur: manet semper voluntati sua naturalis libertas, quæ potest ire, stare, sedere, quiescere, &c. Summa, omnia opera facere, quæ cognata sunt naturæ: sed intelligitur de illis rebus ac gubernationibus diuinis. Illa enim fiunt, sicuti à Deo ordinantur, mouentur & disponuntur, Actor. 17. In DEO viuimus, & mouemur, & sumus: non enim Deus cogit peccare. Sed voluntas, si naturali libertate abutitur, & conuertit se ad peccatum, hoc non dicitur necessariò peccare. Sic potest etiam voluntas ad bonum se con-

uertere, adiutorio tamen diuino. iuuat enim DEVS naturalem libertatem, vt ad bonum se possit conuertere: non est ergò Deus causa peccati, sed Diabolus & hominis voluntas.

3. Diserimen est inter peccatum mortale & veniale. Mortale sic dicitur, quòd dignum sit morte æterna, quod protinùs dum fit, fugat gratiam Dei, id est, fauorem ab homine. Et est voluntaria transgressio legis diuinæ ac præceptorum Dei, dum assentimus concupiscentiæ carnis, & perpetramus actũ, id quod prohibet Apostolus Romanorum 6. nè regnet concupiscentia carnis, Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis, &c. Et 1. Corinth. 6. Neque molles neque adulteri, &c. Ephe. 5. Hoc scitote, quòd nullus fornicator, auarus. &cæt. hæc ergò peccata sunt quæ priuant regno Dei: ideò dicuntur mortalia. Veniale peccatum, quod per negligentiam ex humana fragilitate fit, vt est incauta locutio, risus, &cæt. Matthæi 12. De omni verbo ocioso &c. Attamen gradum exactissimè constituere inter peccata mortalia & venialia, difficile est, & cauendum, nè aut pauidi ad desperationem adigamur, aut duriores reddantur securi. Est tamen aliquis gradus tenendus.

Fit quoquè omne peccatum mortale etiam venia dignum, si quis pœnituerit propter Christum ex misericordia, quanuis & hoc verum sit, quòd maior conatus & contritio exigatur pro venia impetranda qui mortaliter peccârit, quàm qui venialiter, licèt remissio non fiat propter nostrum conatũ & contritionem, sed ex misericordia gratis propter Christum. Etiam tunc dicitur homo esse in peccato mortali, quandiù sine pœnitentia viuit in peccato, vt sunt adulteri, vsurarij, &c. qui non intendunt cessare.

Caput

CAPVT XIIII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit homo vetus, & qui eius fructus.*
2. *Quid homo nouus, & qui eius fructus.*
3. *Quomodò quotidiè debemus mori secundùm veterem hominem, & nasci in nouum.*

CArnalis, vetus, naturalis, exterior homo, homo peccati, corpus peccati dicitur, qui nō habet Spiritum sanctum, qui in illos suos fructus efficiat, Galat. 5. Fructus Spiritus sunt Fides, charitas, mansuetudo, &cæt. Sed prout est in vitiata sua natura conceptus & genitus in peccatis, vt Psal. 50. absq; omni Fide, Gratia, spe & timore Dei, solū filius Adæ existens, & hunc vocat Apostolus etiam animalem hominem 1. Corinth. 2. eò quòd non sapit, scilicet, naturaliter quæ Dei sunt. Ideò homo carnalis & vetus dicitur. Spiritus autem sanctus dat nouam mentem & aliam à naturali. Fructus igitur istius hominis, nihil sunt nisi peccata interna & externa. Interna, vt concupiscentia praua, superbia, inuidia, mala voluntas &cæt. Externa sunt flagitia, contumeliæ, cædes, furtum, adulterium, periurium, sicut Apostolus opera carnis notat Gal. 5. Et de illis inquit Rom. 8. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt, quia nihil nisi carnalia sapiunt. 1.

Homo nouus, noua creatura, homo spiritualis, homo internus, filius DEI dicitur, qui in baptismo perfusus est Spiritu sancto, atque ab illo sanctificatus, de quo Paulus 1. Corinth. 6. Eratis aliquandò fornicarij, molles, auari, &c nunc autem abluti estis, & sanctificati estis in nomine Domini nostri IESV Christi. Sic Apostolus vocat fideles, sanctificatos, & vocatos, sanctos. 1. Corinth. 1. Hæc autē sanctificatio 2.

fit per fidem in Christum, vbi persona primùm iustificatur, deindè actus & opera. Fructus ergò noui hominis dona Spiritussancti Galat. 5. fructus spiritus, id est, interna Fides, Dilectio, Timor Dei, gaudium, Pax, & id genus virtutes: Etiam externa opera bona, oratio, ieiunium, eleemosyna, &cæt. Ideò. 1. Ioan. 4. Qui diligit fratrem suum, ex Deo natus est. Et 1. Ioan. 3. Qui natus est ex Deo, non peccat. Quoties igitur videmus flagitia & peccata huiusmodi, signum est q̃ nondùm ille sit nouus homo, sed adhuc adhæret veteri Adamo. Talis igitur homo nouus & sanctificatus, potest Dei adiutorio seruare præcepta: & exigit etiam Deus illa à iustificatis, ac confert spiritū suum vt illa seruemus. Omnis igitur ex Deo natus, perfusus Spiritusancto, vincit mundū, 1 Ioan 3. Rogat præterea Apostolus pro Ephesijs suis, vt Deus illis donet corroborari per spiritum eius, id est, gratiam & misericordiam in interiore homine. Sola enim Dei gratia & misericordia per fidem facit sanctum & iustum coram Deo hominem interiorem, nullum corporale externum in toto mundo potest spiritum sanctificare & iustum facere præter fidem verbi Dei, per quam Deus iustificat, Roman 3. Et sic dicitur, quod nec locus, nec cibus aut potius attingit spiritū, eum sancti ficādo præter fidē & gratiam: quare anima solùm viuit verbo Dei, illo satiatur & tenetur. ideò clamat ꝓpheta Psal. 118. Viuifica me secundùm verbum tuum. Sic spiritus liber est, vbicūq; etiam sit corpus vel captiuum, aut in loco vel sancto aut prophano, comedat vel bibat: hęc ad externum pertinent hominem. At corde creditur ad iustitiam, Rom. 10. Et in hunc finem dicebat Apostolus 1. Corinth. 12. Ego liber sum in omnibus, quoad spiritum; attamen quia corpus quoq; habet, & vt illud regat benè ad institutū Christi, quarè oportet hîc conuersari cum hominbus, & corpus hoc domari operibus, ieiunio & vigilia, laboribus

ribus &c. Et ideò subiunxit Apostolus, seruum me omnibus feci. Corpus igitur indiget operibus, locis vestimentis, quæ etiam sic esse debent in Christiano homine exteriori, vt existant sinè peccato, Cor. 9. Castigo corpus meum &c.

Præcipitur nobis, vt mortificemus veterem hominem, & nouum induamus, Ephes. 4. Exuite veterem hominem, & nouum induite, qui secundùm Deum creatus est, id est, ad similitudinem Dei in iustitia & sanctitate & veritate, vt sicut Deus iustus, sanctus & verax est, ità & sit nouus homo: hoc autem omne donet sanctificans Spiritus sanctus. Ad colloss. 3. Expoliantes veterem hominem cum suis actibus, id est, carnis operibus, Galat. 5. & induite nouum hominem, qui renouatur in agnitione Dei secundùm imaginē Dei. nam illa agnitio speculū est in quo cernitur Deus. Gen. 1 Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, id est, sapientem, iustum, veracem: talem & fecit Deus Adam, sed non retinuit Adam, sed perdidit per peccatum: At denuò est nobis reddita per Christum, qui vera & naturalis imago Dei fuit, Hebræor. 1. propter quem Deus alios homines vocat imaginem suam, & propter ipsum Christum nos consequimur iustitiam, sanctitatem, &cæt. id est, tales reputamur. Induere ergò nouum hominem, est pristinam cōuersationem deponere, & iam in nouitate spiritus ambulare. Ephes. 4 examplificat, dicens: Qui furabatur, iam non furetur amplius: qui irascebatur, qui luxuriebatur, &c. & Roman. 6. Sicutí exhibuistis membra vestra &cæt. Quantò igitur vetus homo corrumpitur, tantò nouus generatur, 2. Cori. 4. Licèt is qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is qui intùs est, renouatur de die in diem: quantò decrescūt vitia, tantò accrescunt virtutes. Vult ergò Deus, vt facta carnis per Spiritum mortificemus. Romā. 8. Si secundùm carnem vixeritis, &cæt.

CAPVT XV.

ARGVMENTA.

1. *Vndè dicatur libertas Christiana.*
2. *In quo consistat libertas conscientiæ, & in quo carnis.*
3. *Quòd hæc libertas nõ liberat à tributo dominorum, nec à statutorum in Ecclesiæ obedientia ad Dei laudem ordinatorum.*

1. CHristiana libertas ideò sic dicitur, quia per Christi beneficium ad hanc vocati sumus: eius mors causa est huius libertatis. Vndè Ioan. 8. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Nam nullus imperator, Papa, rex, princeps, sacerdos, Episcopus, nullus Angelorum aut Prophetarum atq; hominum donare potuit hanc nobis libertatem, prẽter solũ Christum nostrum redemptorem & liberatorem, ideò inquit Apostolus Gal. 5. Iam non estis serui, sed liberi, ad quam libertatem vocauit nos Christus. Igitur à beneficio Christi vocatur libertas Christiana.

2. Scriptura commemorat duplicem libertatem, Cõscientiæ scilicet & carnis, & conscientiæ inculcat, carnis autem prohibet.

Quatuor graduum primus.

Est autem libertas conscientiæ quadruplex, & quatuor gradibus compræhenditur. Primus est spiritualis: nam conscientiam liberat & pacificat in homine, quòd Deus non propter legem, sed gratis propter Christum, ex misericordia donat remissionem, & imputat gratiam. Hoc sic definitum est à patre, quoniam propter Christũ vult iustificare. Iustificati gratis &c. Act. 10. Huic omnes prophetę testimoniũ &c. Et sic sumus à lege operũ liberati, vt ibi non quęramus iustificationem & salutẽ, sed à sanguine Christi, idq; gratis ex misericordia: non verò sic, vt opera non fiant, sed

Rom. 3.

ant, sed vt non ibí iustitia ligetur, id est in lege operum, à qua liberati sumus. Valet igitur hæc libertas in certamine conscientiæ in iudicio, quæ maximè consolatur, sed carnales hanc non intelligunt. Est hæc libertas contrà maledictionem legis, vt Deut. 27 Maledictus homo &c.

Secundus gradus libertatis conscientiæ est, quia in Baptismo donatur Spiritussanctus, qui nos liberat ac defendit à sæuitia diaboli, ne nos, quantùm velit, impugnet. Sic liberi sumus à dæmone ope Spiritussancti, & de hac libertate loquitur Apostolus 2. Cor. 3. Vbi Spiritus Domini, ibi libertas: scilicet à diaboli tyrannide. Et, Christus Ioan. 14. inquiens, Non relinquam vos Orphanos. Isti duo gradus pertinent ad firmandam & consolandam conscientiam, & sunt potissimi in hoc mundo, nam liberant conscientiam ab angustijs: quandò non propter legem iustificant, sed gratis: Et liberant à tyrannide Diaboli. Gradus II.

Tertius gradus dicitur plena & perfecta libertas, quæ non potest haberi in hac vita, quæ erit ab omni vitio & cupiditate & molestia carnis, qua beati in patria gaudebunt. Rom. 8. Liberabitur creatura à seruitute carnis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Quartus gradus est liberatio à seruitute legalium, circuncisione, oblationibus, diebus festis, &c. de qua loquitur Apostolus Galat. 5. Si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit, id est, ea intentione, vt vos circuncisio iustificet. Nam hoc Deus propter Christum facit, & Col 2. Quandò mortui estis ab elementis huius mundi, id est, legalibus, hostijs & cæremonijs, quid adhuc tanquàm viuentes in mundo, illa obseruatis? dicentes: Ne tetigeritis, scilicet immunda iuxta legem, neque gustaueritis iuxta legem cibum prohibitum, carnes suillas. &c. Nemo vos iudicet in cibo & potu, aut per dies festos. Et dicitur hæc Euangelica libertas, quoniam ab his liberat Fides in Christum, III. IIII.

ſtum, quæ docet quòd propter Chriſtum iuſtifica-
mur, & non propter opera atque Cęremonias legis:
ademit illis Deus iuſtificationẽ, & tranſtulit in Chri
ſtum, & nos ab illis liberauit. Sed libertas carnis ſic
dicitur, quòd homo velamen ſuæ nequitiæ quærit,
vt illud excuſet, ſicut carnales dicunt, Deus abroga-
uit legem, liber ſum Chriſtianus. Sed decalogus eſt
ſcriptus in lege, ergo non teneor ad opus aliquod vel
præceptum legis: ſic furtum & adulterium non eſt
peccatum &c. Sic de cibo & potu atq; traditionibus
prælatorum Eccleſię loquuntur. Sed prohibet ſcri-
ptura hanc libertatem, inquiens, Vocati eſtis ad liber
tatem, Gal. 5. & 1. Pet. 2. tanquam liberi &c. Illam li-
bertatem plerique iactant, quando ſit minima inter
omnes gradus.

3. Quòd libertas Chriſtiana non ſit, quæ libertatem
quærit tributi, nemorum, aquarum, &c. apertè ex ſcri
ptura habetur, Rom. 13. Cui tributum, tributum. Et
Chriſtus ſoluit didrachma, Matt. 17. Sunt enim hæc
ſtipendia regentium. Et Deus prohibet furtum, Exo.
20. Ideò libertas Chriſtiana, huc ſe non extendit, ſi-
cut abuſi ſunt ruſtici noſtro tempore. Deindè non li-
berat nos libertas Chriſtiana à traditionibus Eccle-
ſiæ, quæ in laudem Dei & bonum ordinem ordinatæ
ſunt, ſicuti iubet Apoſtolus omnia fieri ſecundùm
ordinem, 1. Cor. 14. non liberat, inquit, ne ſeruentur,
ſed quatenus hic iuſtificatio non requiratur: alioqui
in alium finem ſunt ſeruandæ, ſicut Apoſtolus præ-
dicator maximus libertatis Chriſti, iubet ſeruare tra
ditiones, & in illis ſtare, 2. Theſſal. 2. & Actor. 15. & 16.
præcipit ciuitatibus ſeruare decreta patrum, quia nõ
ſunt præter neceſſitatem violandæ: Et Petrus iubet
nos eſſe ſubiectos omni humanæ creaturæ propter
Deum, 1. Pet. 2. Ergo non tollit libertas Euangelica
tributum, neque ſtatuta Eccleſiæ. Prædicatur liber-
tas traditionum, ne beneficium Chriſti transferatur

in tra-

in traditiones, id est, ne homines putent se mereri remissionem, & iustos pronunciari propter has traditiones: Aut ne sentiant fidem inutilem esse sine traditionibus ac talibus obseruationibus, ex qua persuasione ruent conscientiæ in desperationem, & amittent veram Fidem & Christi notitiam: Vel ne putent simpliciores aut ineruditi hanc obseuantiã traditionum esse perfectionem Euangelicam, nempè cibum piscium &c. quia verus cultus & Christiana perfectio, sunt Fides, Dilectio, timor, & opera vocationis, &c. Etiam vt consulatur conscientijs, quæ si putabunt hos ritus planè esse necessarios, nũquam acquiescent. Quis enim vnquam obseruauit omnes traditiones? Sed cùm in vita humana opus sit certis cęremonijs, ritibus, locis ac operibus, hoc fine, vt omnia honestè & ordine fiant in Ecclesia: nequaquam abolet Cęremonias Euangelium atq; præcepta humana, modò salutis & iustificationis ratio in illis nõ collocetur, sed in Christo: Nam sic essent impiæ & doctrinæ Dæmoniorum traditiones. Est igitur obseruantia illa aliud nihil, nisi externa disciplina & pædagogia, quæ in necessitatis casu, modò absit contemptus, potest ex Euangelica libertate prætermitti, aut relaxari.

CAPVT XVI.

ARGVMENTA.

1. *Vndè sacra scriptura dicitur Litera & Spiritus.*
2. *Quòd Litera occidit, & spiritus viuificat.*
3. *Quarè Scriptura vtitur figuratiuis sermonib.*

Litera dicitur lex diuina siue lex Mosaica, quia literis fuit inscripta in tabulis lapideis Exodi 20. digito Dei, & manet litera, quia nihil ampliùs tribuit legenti, nisi fides in Christum accesserit quæ 1.

impetrat

impetrat gratiam, qua facit homo quæ lex exigit. Nã sine gratia, id est, Dei adiutorio homo legem facere non potest: Litera igitur significat & dicitur omnis cogitatio, locutio, obseruatio operis, vel conatus rationis sine Spiritusancto. Spiritus dicitur lex Dei, ideò, quòd Spirituſſanctus excitat in cordibus motus spirituales nouos, legi Dei consentientes, vt est Fides, dilectio, timor, charitas, benignitas, pax, &c. Ca. lat. 5. fructus spiritus &c. Nam nisi Spirituſſanctus excitaret hos nouos motus in cordibus nostris, vt liberè & voluntariè consentiamus legi Dei, nedũ lex Mosaica, sed & Euangelium est litera.

2. Dicit Apostolus 2. Corinthior. 3. quòd litera occidat, Spiritus autem viuificet. Lex Moysis sic occidit, quia exigit & iubet satisfactionem, & maledicit non obseruantem, Deuteronom. XXVII. Nec lex hoc donat quod exigit, nempè virtutem & adiutorium faciendi legem. Et caro nostra est inimica, & non subiecta legi Dei, Rom. 8. Non potest ex suis viribus legem Dei seruare, & sic relinquitur conscientia anguſtiata & propinqua desperationi, & illud dicitur occidere. Nam tametsi lex quandam efficit disciplinam externam, qua cohibentur peccatores & iniusti, non liberat tamen à morte, & semper accusat conscientias lex, quatenus illi non satisfit: ob id occidit conscientias. Spiritus autem viuificat sic, quandò conscientia apprænendit Christum operatione Spirituſſancti, quæ fides docet gratuitam remissionem peccatorum propter Christum, id est, quòd Deus vult reputare peccatorem gratis, propter fidem in Christum, iustum, ac tanquàm legi satisfeciſſet, probum, tunc liberantur corda à terroribus, & conscientia fit læta ac consolata, & tanquàm de profundo lacu exurgit, & lætatur in Christo. Et sic dicitur viuificare mortuam penè conscientiam, propter exactam obseruationem legis.

Et sic

Et sic discernit Apostolus 2. Corinth. 3. Vetus & nouum testamentum, vt vetus vocet literam & administrationem mortis, econtrà nouum Testamentum seu Euangelium, administrationem Spiritus & vitæ. Nam Euangelium offert Spiritum sanctum credenti, qui dat adiutorium homini, vt possit satisfacere & implere legem. Litera quidem ostendit peccatum, Rom. 3. At Euangelium seu Spiritussanctus ostendit, quomodò remittitur. Ideò rectè dixit Augustinus: Lex ideò data est, vt quæratur: gratia verò ideò, vt lex adimpleatur. Et sic propriè dicitur, litera occidit, Spiritus autem viuificat.

Orthodoxi patres variũ sensum (deutung) Scripturæ notarunt, tùm propter ornatum sermonis, tùm mysticum intellectum. Ornamus aliquem sermonem, sicut corpus annulo vel catenis & id genus elenodijs, sicut & Christus & sancti vsi sunt similibus. Sic Ioan. Baptista Lucæ 3. nominat Iudæos genimina viperarum, & Paulus Pseudoprophetas canes, Coloss. tertio, & Christus discipulos sal terræ, Matthæi quinto, & Christus se vitem, Ioan. 15. Quæ omnia propter simplices notantur, qui mysteria non capiunt: quare corporalibus similitudinibus oportet illos manu duci. Sic & habent sensum quadruplicem scripturæ: literalem, allegoricum, anagogicum & tropologicum: Litera docet gesta, vt Genes. 1. fiat lux, scilicet illa corporalis in mũdo: Allegoria, quid credas fiat lux, id est, Christus, qui est lux mundi, Io. 8. Tropologia, quid agas, fiat lux, id est, Christus quẽ imitemur. Anagogia, quid speres fiat lux, id est, Christus, qui illum sequitur, non confundetur in æternũ, Rom. 10.

Dicitur quoque lex etiam spiritualis, sicut inquit Apostolus Roman. septimo, Lex spiritualis est, ego autem carnalis: quia requirit motus spirituales siue actus spiritus, vt veram fiduciam, dilectionem & verum ti-

rum timorem, non tantùm externam politicam disci plinam? exigit etiam obseruantiam præceptorum pri mæ tabulæ, quę de motibus cordis erga Deum sunt: hoc enim plerosque decipit, vt dum fit mentio de iu. stificatione, quòd potiùs respiciunt ad præcepta se. cundæ tabulæ quàm primę, scilicet. quia non es mœ. chus, fur, occisor, &c. ergò iustus es propter hæc præ. cepta quæ seruasti. Sed quando primum Deus est æ. stimandus, & quatenus coram illo subsistimus, id est, quatenus fiducia in eo collocetur, & diligatur & ti. meatur, hoc quia pauci facimus, ergò de iustificatio. ne non rectè iudicamus: Primò enim exigit Deus ob seruantiam præceptorum primæ tabulę: hic notan. tur motus spirituales cordis, & accipitur iustificatio. Deindè sequi debent necessariò præcepta secundæ tabulæ, quę integrè etiam non pręstabimus, nisi pri. mò gratiam acceperimus iustificationis per præce. pta primæ tabulæ.

CAPVT XVII.

ARGVMENTA.

1. *Quandò sacra scriptura lex est, & quandò Eu angelium.*
2. *Quatenus vtrunque doceri debet, & ordinè scilicet primò lex, deindè Euangelium.*
3. *Quòd nedum manu, sed etiam intùs spiritu vo lunt impleri.*

1. NOTA sacra scriptura aliâs lex est, aliâs Euangelium Lex est scriptura, quoties peccatum ostendit, arguit, iram & iusti. tiam Dei punientem proponit. Nã lex sermo est, quo recta pręcipiuntur, & ma la vetantur, sicut Exod. 20. & Deuter. 4. dicitur quòd vnus credendus sit Deus. hoc lex veluti rectum præ. cipit:

cipit: deindè, Non furtum facies: hîc malum prohibetur. Euangelium autem est promissio gratiæ atq; condonatio peccati, quòd conscientiam terrore percussam iterum releuat & solatur, Deiq; misericordiam offert & proponit. Nam Euangelium est sermo de Christo, id est, bonum nuncium & pacis de Christo propter nos incarnato & passo, resuscitato, idque in salutem nostram, quòd hæc omnia fecerit, vt credentes in eum, saluemur. Ad Rom. 1. Virtus Dei in salutem omni credenti. Ex illis igitur officijs scriptura cognoscitur, quandò lex sit, & quandò Euangelium.

Sic literæ aut hîstoriæ sacræ aliâs legis, aliâs Euangelij exempla sunt, & Moyses est simul legislator, simul & Euangelista, vt cùm inquit in primo legis præcepto, Non adorabis Deos alienos: & in secundo, Exod. 20.
Non iurabis vanè per ipsum nomen Dei: adiunxit, Non enim habebit insontem &c. Et Deuter. 27. Maledictus qui non permanet in sermonibus, id est, non seruat quæ scripta sunt in libro legis huius, &c. Hic legis pręco est: at fit etiam Euangelista, quandò inquit: Dominus facit misericordiam in millia qui- Exod 20.
seruant eius præcepta: & Exod. 34. Dominator Do- & 34.
minus Deus, miserator & clemens &c. hîc enim quid Deut. 5.
aliud est, nisi nuda & Euangelica concio? Si ad legem pertinet, quandò Nathan obiurgat: Dauidem de adulterio & homicidio, 2. Reg. 12. at paulò pòst compuncto Dauide, ait: Transtulit Dominus peccatum tuum: non morieris, quibus verbis pòst terrorem legis denuò fuit consolatus. Ita in Euangelio quando Christus insectatur hypocrisin, Matthæi 23. & peccata, si non remiserimus offensam proximo, Matthæi 18. Ad Euangelium autem pertinent exempla gratiæ Dei, Lucæ 19. de Zachæo, Matthæi 9. de Telonario, & Matthæi 8. de Centurione. Sic quoque in Apostolicis literis videtur, vt quoties scripturam

legimus, vel terrorem vel misericordiam reperimus, ibi vulnus & medicinã, legem & Euangelium discernimus & cognoscimus. Non ergo ex libris veteri testamento inscriptis agnoscitur lex, & ex libris Euangelistarum & Apostolorum Euangelium: sed ex ipsis verbis & exemplis, quæ in prædictis libris omnibus continentur, in quem finem scilicet sint dicta, scripta & facta: & vtrunque in altero reperitur, id est, in libris veteris testamenti nedum Lex, sed & Euangelium: id est, promissiones habentur, & in Euangelio lex quoque reperitur, id est, correctiones, comminationes, & id genus reliqua. In hoc facilè discernuntur libri veteris & noui testamenti, quòd libri noui testamenti Euangelistarum & Apostolorum, testantur Christum exhibitum: At veteris, exhibendum & promissum. Et literæ noui testamenti, promissiones de gratia, iustitia, vita æterna clariùs explicant, quàm illa quondam Mosaicæ & Propheticę: ibi obscuriùs, hîc apertiùs: lux successit auroræ, nocti dies, Christus Moysi: & Christus apertiùs declarat legem Moysis Matt. 5. 6. 7. In vtroque tamen testamento reperitur Christus.

2. Legitur Exod. 25. Arcæ duo Cherubin imposita esse, id est, angelos duos, qui vultibus se intuebantur, quod figurabat legem & Euangelium, vt scilicet Euangelium absque lege, vel è diuerso, feliciter legatur, doceatur, credatur. Sic duas dedit tabulas Moysi, in quibus docet de fide, dilectione & timore: idque in prima, in altera verò de operibus erga proximum. Et Apostoli primò docuerunt fidem in Dei misericordiam, deindè & obedientiam legis, sicut patet Rom. 11. in quo capite docuit ab initio ad finem vsq; fidem & gratiam, mox deindè in sequentibus opera. Ideò vtrunque est simul prædicandum & docendum, lex & Euangelium: alioqui non docetur feliciter vtrunque. Sic Esai. 40. coniunxit legem & Euangelium:

lium: lex, omnis caro fœnum: Euangelium, & reuelabitur gloria Domini. Et Christus Marci 1. Pœnitemini, inquit, & credite Euangelio. Non igitur sola fides, gratia, misericordia, remissio peccatorum, sub prætextu Euangelicæ concionis est coram simplicibus & rudibus iactanda: Sed & altera quoque pars scripturæ, nempè de obseruantia legis, operum, timoris, pœnitentiæ, obedientiæ, & id genus reliqua, est inculcanda populo, ne in securitatem ducatur, sicut hodiè videmus, & putet esse pacem ibi, vbi non est. Fides enim de gratia & remissione, nihil est absque pœnitentia, vtrunque ergo doceri debet & notari.

Error Iudæorum est, quòd lex solùm exigat manum id est, opus externum in obseruantia præceptorum, nihil interim de cordis motibus cogitantes, vt scilicet non manu quispiam occideret, opere non adulteraretur, &c. Atqui Christus in expositione legis Matth. 5. & 6. exigit etiam cor atque affectus, vt nedùm non occidas, sed etiam ne vel corde, vel ore irascaris: nedùm non mœcheris opere, sed non concupiscas etiam animo alienam mulierem. Igitur lex vult spiritu impleri, vt est spiritualis, Rom. 6. Igitur & in Euangelio datur Spiritussanctus, qui per fidem purificat cor, & donat potestatem obseruandi præcepta, id est, ipse infundit motus cordis consentientes legi Dei, scilicet fidem, dilectionem, timorem, &c. quibus lex seruatur & impletur. Nam hos motus caro ex se efficere non potest. Vult autem cuique assistere Spiritussanctus & adiuuare, vt præcepta seruentur, modò quis illum non recuset & contemnat. Igitur non excusantur, qui dicunt, Non possum seruare diuina præcepta. 3.

CAPVT XVIII.

ARGVMENTA.

1. *Quarè Deus segregauit populum Iudaicum à cæteris gentibus.*
2. *In quem finem illis dedit legem, cæremonias, & hostias præcepit.*
3. *Quomodò semper sub vna fide varij ritus & cæremoniæ sine periculo sint obseruatæ.*

1. POst lapsum primi parentis, Gen. 3. statim ex gratuita misericordia Deus promisit saluatorem futurum, Christū scilicet: Ipsum semen conteret caput tuū, vbi serpenti deceptrici Adæ maledixit, & homini iterum se daturū in tempore redemptorē promisit. Hanc igitur promissionem voluit Deus tenere & credere Adam & Euam, ac omnes posteros eius. Et sic fide istius ptomissionis diuinæ consolarentur de recuperanda salute æterna, quā peccando perdiderant, cùm de paradiso expulsi fuerant, propter illud promissum semen, id est, Christū. Et in hac fide Adam & Eua & quotquot pij erant, detinebantur & consolabantur, & spem habuerunt salutis recuperandæ propter promissum Christū, vsq; ad tempus Moysis per multa tempora. Et licet essent Idololatrę plures ab Adam vsq; ad Moysen, erant tamen pij & fideles, in quibus vixit & permansit fides huius promissionis Diuinæ. Et quandò maior pars hominum in mundo cœpit idololatrare, tunc segregauit sibi Deus populum specialem à cæteris gentibus, scilicet Abrahā, Isaac & Iacob, & pios aliquot illorū filios: & hoc primò, vt esset aliquis populus qui crederet & conseruaret hanc promissionē de semine Christo factam: & eandem promissionē replicauit Abrahamo, Dauidi &c. quò essent certiores: deindè, vt esset certus populus

pulus in quo nasceretur Christus. Nã factus est Christus filius Ahrahę, filius Dauid secundum carnem, Ro. 1. Postremò, vt esset populus, apud quem vera testimonia de vero Deo essent: nam gentes colebant falsos Deos, idola, &c. Psal 113. Dij gentium Dæmonia. Et quia Iudæi sic erant electus Dei populus, & propter supradicta testimonia: ideò multis miraculis Deus ornauit hunc populum, sicut patet quantis miraculis est eductus ex Aegypto, etiam in deserto, quæ & quanta fecit Deus cum illis: propter has igitur causas Deus sibi segregauit populum illum.

Deus hunc populum subiecit varijs legibus, sacrificijs, & cæremonijs, quib. coërceretur caro ad reuocandum ab idololatria. Nam Aegyptij, inter quos fuerant nati & educati Iudæi, colebant sicut Deos, agnum, bouem, hircum: & ideò nefas existimabant, dicta animalia immolare: ideò dicebant ad Moysen Exo. 8. Si mactauerimus ea quæ colunt Aegyptij, coram eis lapidibus obruemur. Et ideò per oppositum præcepit Dominus ista animalia sibi immolare, ne inciderent in idololatriam, & huiusmodi animalia pro Dijs reputarent. Deindè, ne putarent se inferiores gentibus, qui diuersa sacrificia suis dijs immolabant, vt & ipsi essent occupati, & sic Deum vnum colerent in figura veri sacrificij, mactandi in fine temporum, scilicet Christi: figurabat enim mors animalium, mortem futuri Christi. Vide latiùs Lyram super Leuit. 1.

Sed hæc Iudæorũ sacrificia pro peccatis populi, Sacerdotis, Principis, sicuti patet Leuit per multa capitula, non merebantur verè iustificationem & remissionem. Hebr 10. Impossibile est sanguine hircorum, taurorũ & vitulorum deleri peccata. Igitur per illam solam fidem in futurum Christum illis promissum, verè remittebantur eis peccata. Et ideò quoad iustificationem, nullum est discrimen noui & veteris te-

ſtamenti, quia vtriq; fide in Chriſtum iuſtificamur, non lege operũ. Ro 3. Arbitramur hominẽ &c. & Gal. 2. Si ex lege iuſtitia, Chriſtus gratis venit in mundũ.

Merebantur tamen hæc ſacrificia & cultus Iudæorum ciuiliter, hoc eſt, coram illa Eccleſia remiſſionẽ à ſordibus carnis, quòd mundificabantur & reputabantur mundi, & oſtendebant ſe eſſe partem populi, ne à politia Moyſis excluderentur, erant quoq; hæc ſacrificia, ſigna confeſsionis & ſacrificia laudis, quibus Deo gratias agebant pro acceptis beneficijs: & profitebantur ſe illum inuocare Deum, qui eis hoc verbum dederat, & de Aegypto liberauerat, eoſq; cuſtodiret & ſanaret.

Cæterùm pijs & credentibus omnes illi cultus in lege erant bona opera, quibus fidem ſuam exercebant, & quatenus crederent futurũ Chriſtum occidẽdum pro totius mundi ſalute, ſicut etiã Dauid alludit Pſal. 50. Adſperges me Domine hyſopo: etiam varijs præmijs Deus ornauit huiuſmodi ſacrificia & cultũ, liberando illos ab inimicis, donando terram lacte & melle fluentem. Non tamen talibus obſeruatiunculis legis iuſtificabantur coram Deo, ſed fiducia miſericordiæ eius promiſſæ per Chriſtum venturum, ob id vbique Apoſtolus detrahit legi iuſtificationem, & transfert in Chriſtum, Rom. 3. Gal. 3. & 4.

Sed plurimum offendit Iudæos ea doctrina iuſtificationis, qui æſtimabant ſe conſequi remiſſionẽ & ſalutem propter ſuos cultus & opera legis atque ſacrificia, ideò perſequebantur & occidebant Prophetas omnes Chriſto iuſtificationem tribuentes, ſic gẽtes & Iudæi occiderunt ſanctos homines, & Chriſtum ipſum & Apoſtolos propter hanc fidem. Quare & hodiè fit tumultus ab his qui ignorant rationem iuſtificationis, & hanc tribuunt ſuis cultibus, & cumulant in eum finem diuerſos cultus, ordines & cæremonias: illi dùm audiunt quòd propter hæc non iuſtificantur

stificantur coràm Deo, sed propter Christum, fremunt dentibus: Igitur ex illo fonte ortæ sunt variæ persuasiones de Ecclesiasticis ritibus: oportet igitur esse edoctum & confirmatum exemplo Prophetarū: cæterùm in alium finem sacri ritus ad ordinem, ad Dei laudem, ad exercitium corporis & fidei &c. nihil derogant, quandò & sic Deo placent, & sua habent præmia.

Licet varij ritus atq; diuersi sint atq; fuerunt in vtroq; testamento, vna tamen semper est & fuit fides 3.
in Christum iustificatorem. Lex Mosaica habebat promissionem regni Israël, id est, terram sanctam & ciuilem iustitiam. Sed Euangelium & nouum testamentum habet promissionem vitę æternę, & veram adfert coràm Deo iustitiam à peccatis. Habuit lex circuncisionem &varios ritus & sacrificia, habet Euangelium Baptismum, sacrificium corporis proprij, Rom. 12. & varia pietatis opera. Etsi ritus sunt diuersi & mutati, non tamen fides. Sic Dauid, Abraham & similes, suis vtebantur ritibus & legibus. Fide tamen placebant Deo. Ita quoq; & nos nostris vtimur cæremonijs, ritibus sanctis, fide tamen in Christum placemus Deo & iustificamur: nostra enim conuersatio in cœlo est, Philipp. tertio. Nihil enim periculi erit adempta opinione iustitię, quæ soli Christo reseruatur.

CAPVT XIX.

ARGVMENTA.

1. *Undè sit causa electionis, vtrùm ex lege, an nostra actione.*
2. *Qui sint certi, quòd sint de numero prædestinatorum.*
3. *Quid faciat cõscientia, dùm anxiatur de prædestinatione.*



Rędestinatio est diuina electio, qua Deus eligit quos vult ad salutem antè mundi constitutionẽ, Eph. 1. Cuius causa est gratuita illius promissio, non lex ipsa aut nostra actio, sed gratuita eius misericordia est causa electionis, Ro 9 Non est currentis neq; volentis, sed miserentis Dei & Rom. 8. Quos prædestinauit, hos & vocauit. Causa igitur diuinę electionis est Dei misericordia, voluntas & beneplacitum.

2. Si Dei misericordia est causa electionis, & ipsa causa non est in homine, cur non omnes eliguntur? Respondeo: causa reprobationis est benè in homine, quia nos non suscipimus promissionem salutis propter Christum, non omnes obediunt Euangelio & fidei, Romanorum decimo. Promissio enim salutis, vniuersalis est: ab hac nemo excluditur. Matthæi vndecimo Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. & 1. Timoth secundo. Deus vult omnes homines saluos fieri. Et Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in illum, & c. Vbiqúe Euangelium & scriptura exprimunt vniuersalem promissionem salutis, & neminem excludunt. Rom. 3. Non est distinctio Græci, & Iudæi, omnes qui credunt in illum, &c. Euangelium de Christo, ad omnes pertinet, & Deus vult omnes saluos fieri. Ideò quòd non omnes saluantur, causa non est in Deo, sed in nobis: quia non credimus Euangelio & promissioni salutis, ipse enim vult omnes saluos fieri. Nemo igitur hic facere debet particularem promissionem, & dubitare, num sit de numero saluandorũ ac prædestinatorum. Nam promissio salutis, vniuersalis est, Venite ad me omnes. Deindè, quòd, esse de numero saluandorum seu electorum, non est propter nostram dignitatem, sed quia promissionem

1. Tim. 2.

Matth. 11.

accepit

accepit & apprẹhendit, id est, quia credit in Christũ, & eius verbo credit & obedit: cum illa fide promissionis Spiritussanctus est efficax, id est, qui in Christum credit, illi donatur Spiritussanctus, q i postea suos fructus operatur in illo electo, Galat. 5. vt retineat illam electionis gratiam. Si quis autem non credit in Christum, & cõremnit oblatam promissionem salutis propter Christum, is derelinquitur, vt secùs agat quàm debeat, & decernitur illi pœna quam meretur. Non tamẽ cogit Deus, vt quis vel suscipiat aut reijciat fidem & promissionem salutis: offertur gratis promissio salutis per Euangelium, & gloria credentium, & pœna impiorum denunciatur: & voluntas habet naturalem suam libertatem sibi congenitam, qua non priuatur etiam pòst peccatum, qua si promissionem salutis acceptat, accepit illam: sin autem illam contempserit, meritò reprobatur. A verbo Dei igitur debet ordiri prædestinatio, quia fides ex auditu, Rom. 10. Si quis ergo fide verbum promissionis & salutis propter Christum appræhenderit, de numero saluandorum est: neque enim de voluntate diuina extra verbum vel sine verbo iudicare debemus. Inutiles ergò quæstiones & cogitationes de prædestinatione, quia extra verbum Dei & scripturam imaginantur, relinquendæ sunt: perturbant enim conscientiam, & dubiam relinquunt. Salubrius est, simpliciter credere verbo Dei, & illi obedire per innocentiam vitæ, quàm profundè de prẹdestinatione disputare: primum docet & iubet scriptura, non autem alterum.

Sæpè conscientia angitur carnalibus argumentis 3.
& cogitationibus, scilicet, si ad salutem sum prædestinatus, saluabor: sin autem, damnabor, qualiscunq; etiam sit vita & opera. In tali cogitatione conscientia debet currere ad promissionem salutis vniuersalem, scilicet. Venite ad me omnes Matth. 11. & 9 Non Luc. 5.

veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Et hoc præcipuè cogitate, quòd promissio salutis est gratuita: Deindè vniuersalis, id est, Deus non respicit in tali electione merita nostra: nam eius misericordia & gratia, causa est electionis, & ad omnes clamat Euangelium: ideò nemo seipsum hîc excludere debet, sed firmissimè credere, se esse de numero saluandorum: & liberabitur conscientia à multis inutilibus cogitationibus & periculis. Et quia promissio salutis liberè offertur omnibus, & tamen stat cum libertate voluntatis, in quam partem se inflectere velit: ideò non oportet totaliter hoc in Deum reijcere, si sum prædestinatus, saluabor: sin autem, &c Oblata gratia, prædestinatio, electio non cogit: si quis autem se applicauerit fide ad promissionem salutis, statim adest Spiritussanctus, & cum tali est efficax, perficit fidem & opera, dilectionem, timorem & alios motus spirituales legi Dei consentientes.

Tropi illi Rom. 9. Cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Et iterùm, Indurabo cor Pharaonis, & consimiles significant permissionem diuinam, non voluntatem efficacem aut cogentem, quia voluntas non priuatur sua naturali libertate. Ideò Deus permittit indurari cor Pharaonis, non autem cogit: si voluntas Pharaonis voluisset vti sua naturali libertate, potuisset cessisse verbo Moysis, &c. vel secundùm Originem, figura dicendi est, Indurabo cor Pharaonis &c, quasi diceret: indulgentia & pietas Domini fecit seruum contumaciorem, & facilitas veniæ parentum, est causa delinquendi filijs: vbi tamen nec Dominus, nec parentes cogunt, sed propria & peruersa illorum voluntas facit eos impios

Certa igitur est promissio salutis & gratuita & vniuersalis, modò quis apprehendat fidem in Christum. Nam propter hanc fidem in Christum, & ob nullam aliam, offertur promissio salutis. Apostolus dicit

dicit ad Galat.3. Omnes vos vnum estis per fidem in Christum. Non etiam vult Deus non imputare peccatum, si quis solùm velit se commitere suæ misericordiæ, secluſa fide in Christum. Sic aliqui volebant dicere ex verbis prophetæ Psal. 31. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, &c. nam sic gratis venisset & laborâsset Christus, Galat.2. Non ergò vult Deus secludi Christum, immò quòd non imputat peccatum, ex misericordia propter Christum, est propter solam fidem in Christum, & ob nullam aliam fidem. Ideò vbique Apostoli adiungunt in negotio fidei & salutis Iesum Christum, propter illum nobis offertur Euangelium & salus, & nobis denunciatur eius verbum, quod si quis acceptauerit, certus erit de salute.

CAP. XX

ARGVMENTA.

1. *Quàm habeat homo liberam voluntatem naturaliter.*
2. *Quæ sit spiritualis libertas sanctificati hominis.*
3. *Quomodò voluntas nostra est causa contingentiæ rerum.*

HOMo primus fuit creatus cum originali iustitia, homo rectus, & non corruptæ naturæ, quia originali iustitia potuisset Deo verè obediuisse, timuisse & dilexisse, & sine peccato fuisse. Sed peccans ex persuasione serpentis Genes. 3 perdidit illam iustitiam originalē, & natura ipsa infecta est atq; vitiata, ità vt nunc homo post peccatum ex sua natura & voluntate non possit Deū verè diligere, timere, aut illi credere, nec quippiā boni cogitare, multò minùs fa- 1.

nùs facere, 2 Corin. 3. Nisi adiutorio alieno, scilicet Spiritus sancti, excitetur adiuueturq;, & hoc maximè in his rebus atq; virtutibus Deum referentibus. Manet tamen & manet in homine pòst peccatum, & nondùm sanctificato naturalis quædam libertas aut liberum arbitrium, quam naturæ conditor cõtulit, & naturã sic ornauit, sicut adest magnitudo donorum in summis ingenijs, scientia in Aristotele, in Scipione magnitudo animi &c. & talia sunt peculiaria dona & opera Dei, sicuti oculi, aures, &c. Quibus Deus naturam ornauit, & hæc non priuauit peccatum. Ea igitur naturali libertate potest homo efficere & facere ea, quæ rationi nostræ subiecta sunt, vel huc vel illuc ire, hoc genus cibi aut vestimenti eligere, dormire, sedere, &c. Sic libertatem carnalis atque ciuilis iustitiæ efficiendæ, id est, seruare leges imperiales ac superiorum. Item etiam seruare legem quoad factum, scilicet continere manus à furto, homicidio, adulterio &c. Sic loqui, tacere, colere, argumẽtari &c. summa, quæ naturali rationi sunt subiecta, ibi pòst peccatum manet voluntati naturalis libertas. Exigit quoquè Deus externa illa atque honesta opera rationi subiecta, etiam in impijs propter tranquillitatem hominum, & egregijs præmijs adornat hanc carnis iustitiam. Sic præmiata est humanitas Obstetricum Aegypti, Exod. 1. Et iustitia quam fecit, atq; seruitium Nabuchodonosor, Ezech 29. Punit quoquè Deus grauissimis pœnis corporalibus violatores legis externç, sicut docet repentina submissio Pharaonis, propter interfectos masculos in Aegypto, Exod. 14. Sic multorum Tyrannorum punitiones etiam apud infideles. In impijs & nondùm sanctificatis benefacta corporaliter præmiantur, & malefacta puniuntur. Habet igitur homo naturalem illam voluntatis libertatem, quo iustitiam carnis potest efficere, sicut dicit Apostolus Rom. 2. Cùm gentes legem non habe-

haberent &c. Habet quoquè illam libertatem in externis actibus.

Spiritualis libertas, quæ sic dicitur, quia de internis motibus cordis est, non solùm de externis actibus, est, quandò voluntas adiuuatur per gratiam & adiutorium Spiritussancti, vt possit in bonum internum consentire, scilicet verè corde diligere, timere Deum, & ipsi fidere: habere mansuetudinem, misericordiam erga proximum, atque alios fructus Spiritussancti, Galat. 5. Nam sine tali adiutorio & gratia non potest volũtas naturali sua libertate habere vel efficere 1. Cor. 2 Animalis homo non percipit ea quę sunt Spiritus Dei, id est, naturalis homo non potest ex sua natura efficere fructus Spiritussancti: Nam peccatum hæret in natura, quod facit, ne integram obedientiam præstemus Legi Dei, ex toto corde diligendo & fidendo. Et quoniam humana voluntas per se ex natura sua non potest tollere hanc corruptionem naturæ, sicuti nec mortem, quæ est proprijssimus effectus istius corruptionis, Rom. 6. Stipendium peccati mors: Ideò quandò negatur aut extenuatur libertas vel liberum arbitrium, respicitur ad illos externos motus, & non ad exteriora facta, eò quòd sine spiritusancto non potest efficere spirituales effectus, quos Deus requirit, scilicet verum timorem, veram fiduciam misericordiæ Dei, obedientiam, tolerantiã afflictionum, dilectionem Dei, & similes motus: & sic, quoad illos motus, dicitur, quia homo non habet liberum arbitrium: nam tales in natura corrupta non sunt. Nec homo ex se efficere potest sua naturali libertate. oportet igitur vt donentur à Spiritussancto tales motus interiores, qui postquàm cõsentiunt legi & actibus exterioribus, opus placet & integrum est. Insuper voluntas renouata Spiritussancto, non est penitùs ociosa & sine actione sed adiuuatur, vt veriùs fiat libera, & aliquid potest in ex-

2.

ternis

in externis lapsibus cauēdis,& faciendis pijs actionibus. Nā Spiritussanctus nō ꝓmittitur nec datur ocio sis. Iuuat ergò Spiritussanctus nostram voluntatem in pia actione. Quarè falsum est deliramentum Manichæorum, qui nullam actionem tribuebant voluntati, ne adiuuante quidem Spiritusancto, quasi nihil interesset inter statuam & voluntatem. Et quoniam voluntas nostra adiuuatur Spiritusancto,& cumipso agit,vt 1.Corin.15. Non ego,sed gratia Dei mecum: igitur & præmium est operi ex gratia &misericordia propter Christum,licet Gratia sit potissima actio voluntatum reliquarum.

Ipsa quoq; naturalis libertas voluntatis, etiā pòst peccatum est causa contingentię nostrarum actionū. Contingens enim est illud, quod, priusquàm esset, produci potuit, & non produci,accidens fieri, vel nō accidens fieri, sicut cras aliquem lecturum, vel non lecturū. Et quoniam voluntas retinet illam libertatem ad ea quę sunt subiecta rationi, ad ciuilem iustitiam exigendam,ob id est causa contingentię nostrarum actionum.

Deus enim tametsi præuidet,qui omnia nouit certitudinaliter,apud quē est præteritum,pręsens,& futurū tempus idem,quia ęternus.Iacobi5.Apud quem nō est transmutatio : non tamen tollit modū agendi inditū naturę, neq; priuat voluntatē naturali libertate sua,qua in creatione eam donauit. Determinat tamen Deus actiones sicut fiunt,permittit vt volūtas Saulis sic agat,& nō impellit vt secùs agat,sed decernit vbi Saulem repressurus sit,si secùs egerit. Deus tamen non cogit voluntatē. Omnia quoq; necessariò fieri intelliguntur de rebus, actionibus, & gubernationibus diuinis,quę nō sunt subiecta rationi humanæ:illa enim fiunt, sicut à Deo ordinantur, mouentur & disponūtur.Act 17.In Deo viuimus,mouemur, & sumus,&c. Pluere,mori,&c.& id genus reliquæ actiones,non sunt in nostra potestate. Ca.

CAPVT XXI.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit Christi Euangelium.*
2. *Quarè nobis reuelatum.*
3. *Quid doceat potissimùm.*

EVangelium est sermo de Christo, quo beneficium illius nobis denunciatur, sicut inquit Apostolus 1. Corint. 15. Notum vobis facio (erynnere) Euangelium meum, quod prædicaui vobis, ꝙ Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundùm quod prædixit scriptura Esai. 53. Oblatus est &c. Et resurrexit, & visus est post resurrectionē, scilicet propter iustificationem nostram, Rom. 4. id est, vt nos nunc propter ipsum iusti reputemur, & inueniamur in accusatione peccati, Diaboli & mortis. Sic Ioannis 3. Sic pater dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in illum, nō pereat, sed habeat vitam æternam. Hęc sunt tria immensa beneficia Christi quæ nobis denunciantur, vt credamus in illum, & illa acceptemus. Et quartum, scilicet si quid petierimus patrem in nomine eius, illud sub iuramento promisit: Amen amen, inquit, dico vobis: Si quid petieritis &c. Ioan. 16. Hæc sunt læta conscientiæ & lætum nuncium, multò lętiùs quàm erat bonum nuncium Iudæorum, quòd Dauid prostrâsset magnum illum Goliath, 1. Reg. 17.

Quia natura nostra oppressa peccato & ignorantia propter lapsum Adæ, non potest ex se statuere, ꝙ Deus velit ignoscere peccata, & dare vitam peccatori inimico: Imaginamur enim quòd Deus iustus & seuerus sit, quòd retineat peccatum, & non dimittat

medium

medium, sicuti homo inuidus facit. Deindè nec homo illam remissionem capere potest ex lege, eò quòd lex suis satisfactoribus promittit præmia, Deut 26. Leuitic 16. Exod 20 si quis perfectè legem seruârit, & maledicit neglectores, Deut. 17. Ideò ex lege scire non potest, quod Deus velit gratis ignoscere.

Ideò Deus reuelat ab initio se velle nobis ignoscere ac restituere ad vitam æternam, & hoc propter suâ misericordiam, gratis propter CHRISTVM, & non propter legis obseruantiam. Sic Genes. 3. promittit semen, id est, Christum, Galat. tertio. Quod semen est causa & fons, quòd serpens nihil efficit in nobis, non nostra opera sunt causa, etsi exigantur etiam: Sic Abrahamo dicitur Genes. 22. In semine tuo benedicentur &c. Igitur propter ipsum Christum vult misereri gratis, id est, ex misericordia, & quatenùs certi de hoc essemus ad accipiendum veniam, dedit ipsum filium vnigenitum victimam pro nobis, Esaiæ 53. Galat. primo, vt nunc propter ipsum nostri velit misereri. Et signanter dicitur, Gratis, propter Christum: non vt hæc particula, Gratis, excludat fidem præcedentem, & obedientiam legis sequentem, aut vt excludat pœnitentiam & fidem, sed causam iustificationis & salutis adimit nostrę dignitati fidei & operum, & transfert in CHRISTVM, vt promissio, quod vult ignoscì propter Christum, sit certa. Romanorum 4. Credere, pœnitere, operari oportet, scilicet quia cùm omnia fecerimus nos, seruiimus inutiles, Luc. 17. id est, non debetur nobis iustificatio propter nostra opera operata, sed transfertur in Christum: propter illum promissa est misericordia. Hoc mysterium Dei, quod vult Deus ignoscì propter Christum, accepit & gloriatur Dauid se accepisse & intellexisse Psalm. 50. Occulta sapientiæ tuæ manifestâsti mihi. & Christus Matthæi 2. gratias agit Patri, quod absconderit hæc à sapientibus & pruden-

prudentibus, & reuelârit ea paruulis. Et Paulus 1. Corinth. 2. Loquimur Dei sapientiam, quæ abscondita est, mundo scilicet, quam nemo principum huius seculi cognouit: alioqui nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent. Scriptum est Esai. 64. quòd oculus non vidit, nec auris audiuit &c. quæ præparauit Deus diligentibus illum, id est, Iesum Christum, & in eum credentibus. Vt igitur hoc mysterium toti mundo denuncietur, mandat Apostolis Marci vltimo: Ite in mundum vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, &c. Magna gratia, publica illa denunciatio: maximus contemptus, non obedire Euangelio, Romanorum 10. & contemnere oblatam gratiam. Hæc igitur gratia promittitur & denunciatur omnibus: Ite, inquit, in mundum vniuersum: vt pœnitentia etiam omnibus denunciatur. Ga- Rom. 11.
lat. 3. Conclusit Deus omnes sub peccato, vt omnibus misereatur. Sic etiam est vniuersalis promissio. Marc. 1. inquit Christus: Pœnitemini, & credite Euangelio, id est, quotquot auditis, quia Pater vult ignoscere peccata propter Christum: pœnitemini, cessate peccare, accedite & accipite hanc oblatam gratiam, vt saluemini. Est igitur Euangelium, prædicatio pœnitentiæ & reconciliationis propter Christum, propter quem etiam pronunciamur iusti, id est, accepti, & donatur nobis Spiritus sanctus & vita æterna: Igitur Euangelium est sermo, quo beneficium Christi nobis denunciatur. Reuelatio ergò illa Euangelij magna est, & cum omni gratitudine amplexanda, quã Gentes & Iudæi nondùm sciunt, neq; agnoscũt.

Euangelium docet primò & potissimùm iustitiam 3.
spiritualem, æternam, id est, non alligatam certis locis & personis, qualia sunt cæremoniæ, & iudicialia ac traditiones & Leuitici cultus: sed spiritualia opera, scilicet fiduciam DEI, timorem, inuocationem, dilectionem, gratiarũ actionem, confessionem, charitatem

tatem proximi, castitatem, mortificationem concu-piscētiæ, munditiam cordis, humiliationem &c. Hęc sunt veri & proprij effectus vitæ spiritualis, quos docet & exigit Euangelium. Sic Rom. 14 Regnum Dei, inquit Apostolus, Non est cibus & potus, sed iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto. Hos motus spirituales excitat Spitituss anctus, vitam, & iustitiā æternam pariens in corde. Galat. 5. Fructus spiritus sunt &c. Verus igitur cultus ac potissimus, non est rituum externorum obseruatio, sed spirituales motus cordis, vt fides, inuocatio, patientia, dilectio proximi, gaudium conscientiæ, &c. sine illis interioribus motibus ac spiritualibus parùm prosunt externæ obser-uationes cæremoniarum &c.

Deindè Euangelium sicut non abolet naturas hominum, ita neq; res politicas & leges abolet, quia sine disciplina politica, natura hominum conseruari non potest. Insuper non requirit vnam aliquam certam formam, scilicet Moysaicam politiam, sed cōcedit in genere vti politijs omnium gētium, quæ ratione constitutæ sunt : Nam Euangelium docet de vita spirituali, & de rebus ęternis, de vita & iniustitia ętena in animis. Luc. 17. Regnum Dei intra vos est, & nō venit cum obseruatione. Hoc cumprimis quęrere iubet Christus Mat. 6. Primùm quęrite regnum Dei & iustitiam eius, id est, fidem, timorem, patientiam, dilectionem &c. Hîc Euangelium nō abolet cęremonias & ritus propter finē ordinis, 1. Cor 14. Omnia aūt honestè & secundū ordinē fiant in vobis &c. abolet aūt, quoad iustificationem, quę in Christum transfertur.

Deindè docet Euangelium, vt externi fructus & opera respondeant internis motibus Spiritus sancti, vt fidei veræ in Christum respondeat opus, ne incantationes & delusiones diaboli obseruentur : Dilectioni, opus & res ipsa. 1, Ioan. 3. non diligamus verbo &c. Igitur qui odit, inuidus est, &c. Sic timori respon-

deat,

deat: ne peccem: patientiæ, vt tolerem aduersa &c. Igitur exigit Euangelium, vt ad veram pietatem & iustitiam vitam nostram instituamus. Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, illa confessio operum est: ideò dicit Matthæus, Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, &c. Et Luc. 6. Quid dicitis & vocatis me, Domine Domine, & non facitis quæ dico vobis?

Istis bonis operibus retinetur iustificatio & promissio salutis, deindè præmijs corporalibus & spiritualibus in hac & post hanc vitam ornamur, 1. Corint. 3. Vnusquisque iuxta laborem suum mercedem accipiet, scilicet secundùm gradus operum. 1. Corint. 15. Differt stella à stella, &c. Differt DEVS optima prœmia sanctis ad futuram vitam. Vult enim hîc exerceri eos ad mortificādum veterem hominem, Ephes. quarto. Postremò corpus castigatur operibus bonis, oratione, ieiunio, eleemosyna, &c. Quarè Euangelium non solùm docet credere, sed etiam operari pia & bona opera, veram ac internam iustitiam primò, deindè fructus externos fidei, charitatis, timoris: Et hi fructus testantur, interiores motus spirituales esse præsentes.

Etsi hoc verum sit, quòd quasdam cæremonias, genus cibi & vestimenti & feriarum nō doceat Euangelium: attamen propter iustitiam, si seruarentur, & cultum præcipuum DEI, vel ad laudem Dei, ad mortificationem carnis, vel seruitium proximi, non abolet ea Euangelium: potissimus tamen cultus sunt motus interni. Sic Christus non reijcit decimam anethi & cymini, sed arguit quòd maiora, id est, cordis motus negligerentur, id est, iustitia, fides, & misericordia, &c. Matt. 23. Sunt enim hæc instituta à patribus non ad iustificationem, sed propter alia opera & motus internos spirituales ac directiones cordis, q̄ sub illis fiūt: Et illa maximè exigit Deus, quòd docet

Euangelium, id est, internum cultum & virtutes. Qui ergò illa externa abijcit, quid agit nisi vt etiam intùs perturbet directionem cordis, maximè assueti illis traditionibus? Sic incensum, dirigit cor & excitat, vt se sicut fumus eleuet ad Deum: Sic sub alijs cæremonijs agimus causam Dei, quem inuocamus, honoramus, & fidem nostram protestamur, & deuotionem excitamus, atque animum erigimus. Hæc enim Deo placent, quæ sub illis aguntur cæremonijs, & illa assumuntur. Ideò oculos & mentem non oportet figere in id, quod videtur & auditur: sed in hoc, quod sub illis geritur & prætenditur, &c.

CAP. XXII.

ARGVMENTA.

1. *Quarè Deus dedit promissiones hominibus.*
2. *Quæ sit propria promissio Euangelij.*
3. *Quæ promissio sit propria legi siue operibus.*

DEVS fecit promissiones varias, & facit eas denunciari per verbum suum propter infirmitatem nostram, ne desperemus in tribulatione, scilicet peccati, quod angustiat conscientiam: mundi, qui pressura sua persequitur: & mortis, quæ minatur æternam damnationem. Voluit ergò Deus consolari & confortari fragilem nostram naturam, vt in omni casu vitæ haberemus, quò confugeremus. Ideò promisit ex gratuita sua misericordia nobis opem, vt in tali promissione consolaremur. Sic ait Apostolus Rom. 15. Quęcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patiētiam & consolationem scripturarum, spem habeamus. Nisi enim fecisset nobis Deus promissiones de sua gratia, ope & auxilio distribuendo, quis posset consistere à facie furoris?

roris? Ideò petijt Dauid Psalm. 118 Secundùm misericordiam tuam, scilicet promissam, viuifica me. Et iterùm: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, id est, promissiones, super mel ori meo. Omnium igitur promissionum, nè de illis dubitaremus, dedit nobis Deus pignus Christum filium, propter quem certissimè contingunt, quia Deus mentiri nō potest, quia dedit etiam nobis filium suum in pignus.

Sunt in scriptura duplices promissiones Dei: vna fit propter fidem in Iesum Christum filium Dei, altera fit propter obedientiam legis & bonorum operum ex fide. Promissio Euangelij hæc est, vt omnis qui credit, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter nostram iustitiam imputandam nobis gratis in accusatione Dæmonis, legis & peccati, Roman. 4. Et quòd Deus pater omnia nobis donat, quæ petimus propter filium Christum: qui sic credit omnia illa de Christo in Euangelio expressa, illi promittitur remissio peccatorum, & vita gratis propter Christum, & non propter opera nostra operata: Fides enim antè omne opus hanc accipit promissionem.

Sic Adam propter semen futurum, id est, Christum non propter suā pœnitentiā & opera, licèt & illa exigantur, accepit promissionem iustificationis. Et Abraham in semine suo secundùm carnem, id est, Christo, qui est hoc semen, Galat. tertio, accepit promissionem hæreditatis, non propter circuncisionem vel legem. Nam hæc promissio antecessit annos quadringentos & triginta dationem legis Moysis in monte Sinai, Exod. 20. Galat. 5. Sic Moysi dicitur Exod. 18. Prophetam suscitabo &c, qui illum nō audiērit, ego vltor existam, &c. Et Matth 17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite, & quoniam hæc promissio fit propter personā Christi, quòd propter illum vult DEVS nobis ignosci

gratis,ideò dicitur hæc promissio propria Euangelij, quia gratis,id est,sine merito operum nostrorum,sed ppter filium,vult nos reputare iustos. Nō enim possumus hoc mereri à Domino,nempè iustificationem & salutem,ideò hoc ad merendum imposuit filio suo Esai.53. Ipse peccata nostra portauit, 1. Petr.2. super ligno, ob id gratis nobis distribuitur propter ipsum Christum, non vt particula,Gratis,excludat fidem, pœnitentiam,& opera,hæc enim exiguntur,sed ideò gratis,quia nō propter nostra opera,sed ppter Christi opus hoc nobis distribuitur. Et quia sine merito nostro hoc accipimus, ideò ex parte nostra gratis accipimus,licet non donetur gratis ex parte Christi,nā ipse vulneratus est propter peccata nostra,Esai.53. Et hæc promissio salutis & iustitiæ, ideò transfertur in Christum, & nostris adimitur operibus, vt promissio sit firma,Rom.4. Nunquàm quieta & firma esset conscientia,si iustificatio à nostris pēderet operibus:nunquàm enim satis operamur. At quoniā propter Christum distribuitur iustitia & salus, ideò secura est conscientia credens huic promissioni,propter Christum cupiens misericordiam.

2. Sic inquit Paulus,arbitramur hominem iustificari fide sine operibus legis,Rom.3 Et Petrus Actorum 10.Huic omnes Prophetæ testimoniū perhibent, &c. & Psalm.52. Deus in nomine tuo saluum me fac Act. 4. Non est nomen aliud sub cœlo, &c. Lucæ vltimo, prædicare in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum,id est,propter nomen suum nos iustificamur gratis Oportet igitur semper tenere hanc particulam, Gratis,in animo, vt dubitatio excludatur,& sic firma fides promissionis firmæ. Et ne Euangelium transformetur in legē,si esset promissio conditionalis, scilicet vt tunc haberemus remissionem peccatorum quando legi satisfecerimus. Est igitur promissio

promissio Euangelij propria, quòd gratis remittuntur peccata, gratis pronunciamur iusti, id est, reconciliati, & accepti: & quòd propter Christum efficiamur hæredes vitæ æternæ. Ad hanc igitur promissionem nihil faciũt opera nostra, nisi quòd media sunt, quæ gratuitam accipiunt gratiam.

Promissio est legis, qua lex sequi debet necessariò 3.
fidem, alioquin iustificatio non retinetur, Rom. 8. Si secundùm carnem vixeritis: & in obedientia legis & operibus, non vult Deus gratis sibi seruiri & legem impleri, sed pro illis offert & promittit mercedem temporalem & æternam, Exod. 20. Deuter 28. Leuit. 16. Matth 19. Marci 10. Luc. 18. Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis & in tempore hoc, & in futuro seculo vitam æternam. Et pietas habet promissionem præsentis vitæ & futuræ, 1. Tim. 4. Sic omnia opera nostra habent præmium & gratia, tamen propterea quia fiunt ab illis qui in Christum filium DEI credunt, quæ fides sanctificat arborem, id est, personam: Et sunt varia præmia secundùm gradus laborum, vt sæpè diximus, 1. Corin. 3. Matth. 25. Ioannis 5. Et procedent qui bona fecerunt, &c.

Et quoniam filij & hęredes sumus per fidem, ideò hæc opera nostra beneficio Christi ex gratia compensantur gloria æterna: quod nullo modo fieret, si non primùm essemus per fidem accepti & hæredes, sicuti labor & obedientia filiorum erga parentes, tametsi gratus est parentibus, nullo tamen pacto mereretur filius hæreditatem, nisi primùm sit natus hæres. Attamen contumaces filij possent exhæredari: sic qui non obedientia legis testantur fidem suam erga DEVM patrem. Vt pius pater promittit obedienti filio hæreditatem, licet illi debeatur, quia natus hæres: sic operibus nostris promittitur vita æterna, quæ tamen aliâs gratis donatur propter fidem in

Christum, quæ facit nos hæredes Regni Dei.

Sic duplici beneficio Christi ornamur, promittitur nobis salus & remissio credentibus in Christum gratis, deindè operibus nostris ex misericordia & gratia præmium in cœlo. quod nec auris audiuit, nec oculus vidit, & sic alterum ab altero pendet, & sequi debet, modò distinctè & ordine illa pensemus, & gratias Deo agamus: nihil nostris adimitur operibus, modò etiam non exequentur Christo.

Quòd verò dicitur, quòd fides & opera nostra cõpensantur gloria æterna, ideò fit, quia fides viua non est sine opere, sicut nec ignis sine calore: quãdò ergò viua fides accipit iustificationem, fit quòd simul etiã ópera accipiũt. Sed quoniã & fides & opera fiunt pol luta carne, iustificatio transfertur in Christũ. Nec pugnant: fides gratis accipit promissionem Euangelij propter Christum, &, obediendia præceptorum accipit præmium: nam vtrunque est ex gratia, id est, gratis propter Dei bonitatem donantur, non propter opera operata, quæ causa non sunt, sed diuina misericordia. Ideó fides viua accipit gratis remissionem, & opera charitatis gratis præmium. Ergò gratia vel donum est vita æterna, Rom. sexto, Ideo fiducia misericordiæ diuinæ accipit gratis promissiones tàm Euangelij quàm legis. Accipit ergò fides promissionem propriam Euangelĩj, scilicet, quòd gratis propter personam Christi iustificamur, & non ob propria nostra merita, deindè nostra opera habent sua præmia iterùm ex gratia in cœlo & in hac vita, & coronãtur tàm fides quàm opera ex gratia, gloria æterna. Et quoniam fides est primum opus hominis, Ioannis sexto. Hoc est opus DEI, vt credatis in eum quem misit ille: & illa apprehendit CHRISTVM, id est, remissionem, Spiritum sanctum, promissionem salutis antè omnia opera: deindè obedientia legis sequitur, qua retinẽtur hæc accepta bona

& ita fit, quòd tandem hæc omnia recompensantur præmijs varijs in hac & pòst hanc vitam, &c.

CAPVT XXIII.

ARGVMENTA.

1. *Quis sit Christus in sua persona.*
2. *Quare donatus sit nobis peccatoribus.*
3. *Quapropter ipsum accipimus à Deo patre.*

CHristus est verus Dei & Mariæ virginis filius: filius Dei ab æterno à patre genitus, Marię filius in tempore gratię natus: Primum, Christum esse filium Dei, vbiq; testatur scriptura, & maximè Ioannes Euangelista vrget totum suum Euangeliū pro illo articulo, ita quòd Euangelium suum incipit & concludit cum fide, quòd Christus sit filius Dei: In principio, inquit, erat verbū, id est, principio omnium creaturarum, ergo æternus, non habens principium cum creaturis, Ioā. 1. & 2. cap Hęc scripta sunt, vt credatis quoniam Iesus est Christus filius Dei, vt hoc credentes, vitam habeatis in nomine eius. Et 1. Ioan. 4. Omnis qui confessus fuerit quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Et idē 5. cap. Hęc est fides quæ vincit mundum, id est, peccatum, mortem, diabolum, tyrannidem mundi, qui credit quoniam Iesus est filius Dei. Maximè hoc credendum est contra Arrianos hęreticos. Deindè quòd Mariæ sit filius secundùm humanitatem, simul scriptura tota & omnes Euangelistæ testantur. Matt. 1. De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Et Ioan. 1. Verbum caro factum. Gal. 4. Natum de muliere. Sic in symbolo dicimus, Natus ex Maria virgine &c. Est igitur Christus in sua persona, Dei & virginis filius. 1.

Ideò datus est hominibus in mundo, vt quæreret & saluum faceret quod perierat, Luc. 19. Et quia totus mundus & natura nostra oppressa fuit damna-

tione & peccato, sicut dicit Propheta Psalm. quinto, Omnes declinauerunt, & inutiles facti sunt, & Paulus Rom. 3. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei: Ideò datus est omnibus hominibus, vt illorum sit redemptor à peccato & saluator. Nam pater posuit in eo iniquitatem omnium nostrûm, Esaię 53. Factus est hostia & propitiatio pro peccatis totius mundi, 1. Io. 2. Mortuus est propter peccata nostra, Rom. 4. Ideò ipse est agnus ille paschalis oblatus pro peccatis nostris ac totius mundi, 1. Corinth. 5. Qui solus potuit nos reconciliare patri.

2. Nisi Christus semetipsum obtulisset hostiam pro peccato, Galat. 1. nullum esset in mundo remedium contrà peccata, nulla remissio, nulla salus, nullus fauor & misericordia Dei erga nos, nullum subsidium Dei contrà dęmonem & sathanam, ille enim plenam in nos haberet potestatem: ideò quòd sumus filij & in gratia Dei, quòd remittit peccatum, protegit, nutrit, saluat, totum ex merito istius hostiæ est, scilicet Christi. Ipse morte sua omnia reconciliauit patri, & aperuit regna cœlorum, & agnus solus est qui tollit peccata mundi. Ioan. 1.

3. Propter ipsum Christum pater cœlestis tria nobis promisit, si in illum crediderimus, & vt illa sint nobis certissima, mortem & ipsum Christum in pignus istarum promissionum dedit.

Promissio prima. Primò promisit misericordiam suam, vt propter nomen Christi filij sui remitterentur nobis peccata, si pœnituerimus & cessauerimus, gratis sine nostro merito, sed propter illius meritum, quòd mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter iustitiam nostram, Roman. quarto, quàm Deus pater vult nobis imputare in accusatione legis, peccati, & mortis. Hanc promisionē vbique denunciant Apostoli, Roman. 3 gratis iustificati in sanguine eius. Petrus Actor. 10. Huic omnea Prophetę testimonium perhibent

hibent, remissionem peccatorum &c. Sic Lucæ vltimo Christus ipse dicit, quòd prædicari debeat pœnitentia & remissio peccatorũ in nomine eius. Signanter dixit, in nomine eius, quia propter ipsum Christũ stat firma promissio, & nõ propter nostra merita, quę semper sunt incerta & insufficientia. Ideò Deus vult nobis remittere peccata propter Christum, vt simus certi in Christo. Roma. 4. qualitercunq; etiam se habeat nostra conditio.

Pœnitere, confiteri, fructus pœnitentię agere debemus, sed fiduciam remissionis transferre in Christum, quia propter illum, & non propter nostram pœnitentiam, est promissa & certa salus, licet & opera nostra necessariò fieri oporteat, hoc est, pœnitentiam & cessationem à vitijs: Nam Fides quæ cupit remissionem illam promissam propter Christum, nõ delectatur in peccatis: quòd si delectatur adhuc in vitijs, iam non est vera fides, neq; capit iustitiam, & de illis dicitur Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, &c. propter firmam igitur consolationem & certitudinem de remissione peccatorum, conscientia remittitur ad Christum, & non ad propria opera & merita. nos enim serui inutiles manebimus, quantumcunq; etiam pœnituerimus, & opera fecerimus, nihil nobis debetur, Lucæ 17. Igitur si ad propria opera respexerimus, sumus incerti. Certi autem in Christo, quia propter ipsum vult Deus pater remittere peccata. Roma. 3. quem constituit propitiatorem in sanguine eius.

Promissio 2.

Secundò promisit nobis pater exaudire & donare, quicquid petierimus eũ in nomine filij sui, hoc ipsemet Christus testatur Ioã. 16. cum iuramento, ne dubitemus, inquiens: Amen amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, idest, propter nomen meum, non propter nostra verba, clamores, gestus, inclinationes, &c. Hæc enim exi-

guntur

guntur & fieri debent, sed causa non sunt propter quam nos exaudiat pater, sed ipse Christus: propter illum nos vult exaudire. ob id Ecclesia concludit omnes collectas & orationes, per Dominum nostrum Iesum Christum &c. Sic 1. Ioan. 5. Hęc est fiducia, inquit Apostolus, quā habemus ad Deum, quia quodcunq; petierimus secundùm voluntatem eius, audit nos. Notanter autem dicit, secundùm voluntatem eius, id est, quæ Deus vult vt ab ipso petantur: quòd si petitio non erit secundùm eius voluntatem, ibi non exaudiet: & vt esset nobis certa forma orandi, quàm orationem Deus vult exaudire propter Christū pręscripsit illam Matt. 6. Pater noster qui es in cœlis &c. In omni igitur tribulatione & necessitate vult Deus pater hîc in pręsenti nos exaudire propter Christum, & nos certi sumus propter pignus Christum.

Promissio 3.

Tertiò promisit Deus pater propter ipsum vitam æternam 1. Ioan. quinto. Deus dedit nobis vitam æternam in filio. qui habet filium, habet vitam æternam: qui non habet filium, vitam non habet, id est, qui non credit in filium Dei, is non est, neq; habet filium Dei: sed qui credit in illum, illius proprius est cum omnibus donis. Rom. 8. Qui dedit filium, quomodò non omnia cum filio? Ergo quia vita æterna posita est in filio, & qui filium habet, etiam vitam æternam. Sic Ioan 3. sicut exaltauit Moyses serpentem &c. propter Christum igitur nobis donatur salus, nō propter obseruantiam nostram legis. Etsi illa necessariò sequi debet, quòd sine illa hæc promissio vitæ non retinetur. Rom. 8. Si secundùm carnem vixeritis, moriemini: vult tamē Deus ornari nostram obedientiam legis, ex gratia propter Christum, præmijs in hac & pòst hanc vitam, & omnia compensare gloria æterna: Sed certitudo habetur in Christo filio Dei, vt laudetur gloria gratię eius Eph. 1. Iocunda est hæc doctrina conscientię, quòd sciat promissiones Dei fore

fore certas propter Christum, & non ob nostra merita. Ideò dicebat Propheta Psal.113. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Sed propterea non auocari nos patiamur à studio bonorum operum: hoc neglecto, promissiones nihil erunt, etiamsi non propter illa sint efficacia. Exigit enim Deus illa ad laudem & gloriam suam, Phil. 1. Sunt quoque gratiæ nostrę, & sua habebunt præmia.

CAPVT XXIIII.

ARGVMENTA.

1. *Quòd Christi mors vnica sufficit ad tollendum omnia peccata, præterita, præsentia & futura.*
2. *Quomodò efficacia illius mortis distribuitur per media.*
3. *Quòd media licet exigantur, non tamẽ sunt pars salutis nostræ, sed solus Christus est totus & vnicus Saluator, cui totum tribuitur: & solùm ipsius opera, & non nostra, vincunt peccatum, mortem & Sathanam.*

APostolus inquit, 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi, id est, pro omnibus peccatis quæ in mundo vnquam facta sunt aut fieri possunt, solus Christus est propitiatio: Nam illum posuit Deus propitiatorem in sanguine eius Rom 3. Sic Esa 53. In eo posuit iniquitatem omnium nostrũ, quotquot in mũdo sunt, tàm originale quàm actuale. vnica igitur mors Christi, semel facta, Rom 6. sufficit ad tollendum omnia peccata, pręterita, præsentia & futura, inquit Lyra, Ro. 6. Hic agnus igitur Dei tollit 1.

tollit peccata omnia mundi, Ioan.1 Qui ideò est immolatus, vt sit sacrificium omnium credentium coràm Deo, cuius efficacia est, quòd sit remissio certa, ac sufficienter promerita omnibus cupientibus. Natiuitas, mors, passio, resurrectio, ascensio, ieiunium, oratio, legis impletio per Christum, hæc opera nos saluant, & peccata remittunt, non nostra opera. Non ergo Christus est saluator ad Baptismum vsque, vbi non post Baptismum operibus nostris mereri debeamus remissionem & vitam: sed semper est vnicus saluator, & propter ipsum atque opera eius remittuntur omnia peccata propter nomẽ eius. Act. 10. Lucæ 24. Prædicari in nomine eius pœnitentiam &c. & non propter nostra merita, quia nos semper serui inutiles, Lucæ 17. nec opera nostra possunt mereri vitam æternam. excedit enim hoc facultatem naturæ nostrę, ideo ex gratia datur salus propter Christum Sic quoque inquit Apostolus Roman. 6, Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius: ideò quoties peccando sumus inimici Dei, oportet recõciliari nos per mortem filij eius, non nostra merita vel opera, quanuis necessariò exigantur. Et latiùs inquit Paulus: Multò magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius. Vtrunque commemorat Apostolus, remissionem & salutem: & illa duo Christo soli tribuit, quòd habeamus ea per mortem eius.

2. Licet Christus solus sit hostia pro peccatis totius mundi, (nam solus Christus passus & mortuus est pro peccatis totius mundi, & nullus aliorum sanctorum vel Martyrum mortuus est pro peccatis nostris: illi confessione Fidei mortui sunt: sed solus Christus habet hunc titulum & gloriam, quoniam pro peccatis nostris, id est, totius mũdi mortuus est, Ro 4. 1. Io. 2.) attamen efficacia mortis Christi, non distribuitur nisi per media, quæ sunt pœnitentia, cessatio à vi-

tijs,

tijs, desperatio de propria iustitia, sanctitate, & merito bonorum operum, & Fides in Christum, iuxta illud Marci 1. Pœnitemini, & credite Euangelio. Quicunque ergo cupit sibi participari huius efficaciam mortis Christi, is oportet habeat hæc media, fidem viuã quę habet adiunctam pœnitentiã: pœnitentia includit negationem Idolorum & omnium vitiorum, & contemptum propriæ iustitiæ. Fides includit fructus Spiritus & omnia pia opera, quæ sequi debent necessariò, Gal. 5. Per hæc media vult Deus distribui merita mortis Christi. Et quoniam non omnes obediunt Euangelio, Roma. 10. neque pœnitent neque credunt in Christum, ideò fit, quòd efficaciam illius mortis Christi & sacrificij non omnes participant: satis & sufficiens est virtus passionis Christi, etiam pro mille mundis, quantum ad sufficientiam: efficaciam tamen non omnes accipiunt, eò quòd recusant contemnunt illa media. Et hoc etiam expressit Christus Mat. 26. Sanguis qui effunditur pro vobis & multis, quoad sufficientiam: sed quoad efficaciam, non omnes capiunt. In causa est, quia media cõtemnunt. Qui ergo non pœnitet, neque credit in Christum, tãtum abest vt fiat particeps beneficij Christi, Ioan. 3. Qui credit, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est, id est, condemnatus, illi nihil proderit mors Christi.

Media illa, id est, pœnitentia & Fides, licet exigantur maximè ad distributionem, non tamen sunt causæ vel pars remissionis & salutis, Ita quòd simul meritum passionis & mortis Christi, & nostrum meritum, id est, pœnitentiæ & fidei, tollerent peccatum. & mererentur salutem: sed totum Christo tribuitur, & efficacię mortis eius & suis operibus, Primò, quia opera nostra suã iam habent sententiam à Christo latam. Lucę XVII. Quandò feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus. Si serui inu- 3.

iiles,

tiles, ergo non sunt pars causæ iustificationis & salutis. Deindè, quòd concluſum est, quia Deus propter ſolum nomen Christi & propter ipſum ex miſericordia nos vult ſine merito noſtro, id est, gratis iuſtificari & ſaluari. Act. 10. Huic omnes prophetę &c. Et hoc ideò ſic concluſum est à Deo, vt ſimus certi de remiſſione, Roman. 4. Promiſſio ideò ex fide, id est, propter fidem est, nempè ſalutis & remiſſionis, vt ſit firma. Si enim penderet à noſtra conditione operum iuſtificatio & ſalus, nunquam eſſemus certi, nunquā poſſemus ſatisfacere ad illa accipienda, ideò gratis donatur credenti. Et licet media illa non ſint cauſa & fons iuſtificationis, compenſatur tamen gloria æterna & gratia vel miſericordia propter Chriſtum, & ingentibus præmijs in hac & pòſt hanc vitam, non propter ſuam dignitatem & efficaciam, ſed propter Dei bonitatem & miſericordiam propter Chriſtum, qui ſic coronat ſua dona in nobis. Igitur ex promiſſione, quia iuſtificati iam per fidem illa faciunt, ſic condecorantur: attamen non poſſunt dici pars meriti cum Chriſti merito. Iuſtificationis Chriſti mors & opus, ex natura & dignitate habet efficaciam meriti remiſſionis, & vitę. Noſtra opera ex imputatione & miſericordia, quibus ex naturali bonitate nihil debetur, quia impura & imperfecta ſunt, etiam in iuſtificatis: quare non poſſunt ſtare & concurrere propriè cū merito Chriſti, Solus ergo Chriſtus, vnicus & ſolus & totus & integer est ſaluator: illi ſoli debetur honor, gloria, & actio gratiarum, & ſuis laboribus debentur omnia, nobis autem cōfuſio, Daniel. 9. Quare opera & media ſi maximè exigantur, non ſunt tamen vel cauſa, vel pars cauſæ. Verùm vnica mors Chriſti. Hæc doctrina quietat & humiliat conſcientiā: quietat & firmat, quia audit quòd propter Chriſtum donatur iuſtificatio & ſalus, & non propter noſtra merita: ideò nemo debet deſperare: Deindè humiliat,

miliat, ne nimium præsumamus de nostra iustitia, ne similes fiamus Phariseo Luc. XVIII qui præsumebat de operibus suis. Vult enim Deus, vt laudetur gloria gratiæ suæ, Ephes. 1 Opera nostra licet non sint pars meriti effectiuè ad salutem acquirendam cum Christi merito: sunt tamen pars, & exiguntur cum gratia ad distributionem accipiendam, & vt illa distributio retineatur. Nam sine pœnitentia & Fide salus & iustitia non distribuuntur.

CAPVT XXV.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit quod omnium primò in nobis apprehendit Christi merita, Fides an opera.*
2. *Quarè Fides antè omne opus accipit talia Christi beneficia.*
3. *Quòd obseruantia præceptorum retinet beneficia Christi, & quòd Christi gratia facit vt obseruentur præcepta.*

APOSTolus inquit, Heb. 11. Impossibile est Deo placere sine Fide: ex quo consequitur, quòd Fides oportet sit primum omnium in homine antè omne opus, eò quòd impossibile sit vt quis Deo placeat sine Fide. Accedentē igitur ad Deum oportet credere. Sequi autem debent fidem opera Deo accepta, non præcedere: quare & Gentium & Iudæorum opera reprobantur, quia sine Fide in Christum fiunt, etsi temporale accipiunt præmium, nihil tamen meriti habent in gloria. Est igitur Fides primum opus hominis, dùm homo assentit verbo Dei, credit promissioni & obedit: Nam Fides quanuis sit donum Dei, attamen & nostrum assensum exigit. Roman. 10. Fides ex auditu. Primum ergo hominis 1.

opus, sacrificium quod Deo placeat, est Fides in Christum: ergo & illam Deus antè omnia respicit: & primò docetur, sicuti arbor, quæ primò plantatur, & deindè fructus expectantur. Quoniam ergo Fides primum opus est, quo Deum accedimus, ideò fit quòd per solam Fidem in verbum Dei, efficimur participes, per Sacramanta à Deo instituta meritorum & fructuum passionis Dominicæ antè omne opus, vel obseruantiam præceptorum: id quod claret in Baptismo, vbi puer baptizatus antè omne opus fit particeps beneficij Christi, & adultus gratis iustificatur Fide absque operibus legis & meritis præcedentibus, Rom. 3. Ideò sola fides initio participat merita Christi antè omne opus. Et quia antequam seruātur præcepta, oportet adesse gratiam, id est, adiutorium Dei, Fides autem accipit illam gratiam, (nam Fides verbi secum portat spiritumsanctum) ergò fides sola antè opus accipit distributionem.

2. Quòd Fides antè omne opus accipit beneficia Christi, prima ratio est, vt gratiæ per Christum partæ præconium maneat integrum: Nam si Deus deberet permoueri nostro aliquo officio vel opere, ceu antecedenti quodam merito, vt distribueret suæ passionis merita, iam non esset pura & tota hæc gratia, sed in parte meritum nostrum. at dicit Apostolus Rom. 6. Gratia vel donum Dei, vita æterna: Et 3. cap. Gratia ipsius gratis iustificati estis. Deindè, ne mercenarij efficiamur, & oculo nequam ad mercedem respiciamus, & non ad puram & nudam DEI misericordiam dependētes, dum illi seruiamus, aut quòd Deus propter semetipsum non diligamus, sed propter eius dona, scilicet cœlum: aut timeamus, propter infernum. Deus vult propter se amari & timeri, potiùs quàm propter sua dona. Si ergo per opera nostra volimus accipere Christi merita seu beneficia, hoc esset abijcere laudem gloriæ gratiæ suæ. Ephes. 1. Quo-

niam

niam ergo gratia saluati sumus, Ephes. 2. & gratia Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, Act. 15. ideò Fides antè omne opus accipit hæc Christi merita in baptismo. Ex quo patet quòd obseruatio præceptorum sine Fide, vt in Iudæis fit, non facit participes meritorum & operum Christi, nec merentur gratiam iustificationis, sed acceptio & participatio meritorum Christi, iam facta & apprehensa, id est, Gratia Dei hæc facit obseruari præcepta, id est, opera non merentur iustificationis gratiam vel distributionem beneficiorum Christi, sed ipsa gratia iam gratis collata, facit postea obseruantiam præceptorum, sicut merita hominis non meruerunt electionem, de qua dicit Apostolus Ephes. 1. Elegit nos in Christo antè constitutionem mundi antè omne opus nostrum. Sed quia iam gratis electi, vt essemus sancti & bona operaremur: ideò gratia, non merita nostra, primum tenebit locum. Fides ergo antè omnia opera accipit distributionem beneficiorum Christi. Nam hæc distributio fit ex gratia, id est, misericordia propter Christum gratis, non propter nostra merita: & hoc probare maximè nititur Apostolus in omnibus suis Epistolis, præcipuè ad Rò & Gal. 3. ait: *Si ex lege est hæreditas aut iustitia, iam non ex promissione. Deus autem Abrahæ promisit, &c.*

Iustificatorum opera maximè sunt necessaria ad salutem eo fine, quòd acceptam gratiam & distributionem meritorum Christi in adultis retinent & custodiunt. Nam si obseruantia præceptorũ Dei & piorum non sequantur Fidẽ, quæ iam accepit Christi beneficia, tunc non retinetur. Ro. 8. *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini: Si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* & Ephes. 5. *Hoc scitote, quòd nullus immundus, auarus, &c.* & 1. Cor 6. *Qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt.* Ergo in illũ finem exiguntur bona opera & obseruatio præ- 3.

ceptorum, vt retineatur iustificatio & accepta Chri. sti beneficia, nõ illa primùm accipiant, (fatſen) hoc enim Fidei est officium. Sed quia nihil proderit, acce. pisse gratiam & beneficium, si non retinetur, quare vt sectæ vrgent, ne acceptionem beneficiorũ Christi demus operibus, sed fidei antè omne opus: ita nos vr gemus & exigimus opera bona & obseruantiam præ ceptorum ad retentionem meritorum Christi, ne si illa denuò deperderentur, grauius & peius quiddam nobis contingat Ioan. 5. Ecce sanus factus es: iam no li peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Diffe. runt hæc duo verba, accipere & retinere. Primum fi. dei tribuitur, alterum obseruantiæ præceptorum vel dilectioni. Insuper pia opera nedùm retinent Christi beneficia, sed & sua habent præmia, in hac & post hanc vitam 1. Corinth. 3. Vnusquisq; mercedem acci. piet secundùm suum laborem: Mat. 16. Filius homi. nis venturus est in gloria patris sui cum angelis su. is: & tunc reddet vnicuique secundùm opera eius. Fe rocientem quoque carnem subiugant, sunt q; sacrifi. cia nostra in laudẽ & gratiarũ actionem. Et hoc quo. que notandum est, vt cautè audiatur quòd Fides ac. cipiat distributionem: Nam hoc de Fide viua, quę ad iunctã habet pœnitentiam, quæ non excluditur, in telligendũ est. Deindè, quòd necessariò sequi debeat obedientia legis & obseruatio præceptorum, ita quòd non subsistamus in sola illa fiducia sine obedi tia legis: hæc esset inanis & sterilis fiducia, &c. Sum. ma, vita nostra corporalis gratis accipitur sine meri. to, & hæc per cibum & potum retinetur: cibus & po. tus non dant vitam, sed retinent. Sic Fides gratis ac. cipit vitam spiritualem & distributionem merito. rum Christi, sed opera sequentia retinent: vt vita non retinetur sine cibo, sic nec iustificatio sine operibus & præceptum est Apostoli, 2. Cor 6. ne gratiam Dei in vanum suscipiamus. Notandũ item, quòd scriptura

sæpe

sæpè dicit, timore Christi, charitate Christi, &c. Hoc vult, quòd Deus Christus ꝓpter semetipsum diligatur & timeatur potiùs, quàm propter cœlum aut infernum, vt ipse nobis plus sit quàm eius dona.

CAPVT XXVI.

ARGVMENTA.

1. *Quarè Christus post resurrectionem tàm sæpe salutat Apostolos pace, & optat illis.*
2. *Quibus modis & vijs Christus sit pax nostra, quando in pressura mundi viuimus.*
3. *Quòd hæc pax conscientiæ ad carnem non est trahenda.*

FRequens fuit in ore Christi hæc salutatio, Pax vobis, id quod patet Ioã 20. Nã quisq; artifex lubens loquitur de opere suo facto: & quoniam Christus opere passionis suę & natiuitatis impetrauit toti mundo pacem, ideò de illa loquitur, & illa salutat Apostolos. Facit autem hoc ideò, vt nunc distribuat illam quàm antea impetrauit. Verbo autẽ illo distribuit pacem, & fides quæ credit verbo, appræhendit. Nã dona Christi non propterea mea sunt, quia impetrata sunt: hac enim ratione essent & Turcarũ & Sathanæ: sed quia verbo mihi distribuitur, & à me Fide acceptatur, id est, dum credo quia hoc sic est, quòd Christus mihi veram pacem corã Deo impetrauit: Si sic credidero, donum oblatum recipio, & ero & sum particeps: sin incredulus fuero, donum respuo, & nil mihi proderit. Sic maiori parti mundi non proderit Christus, eò quòd non credunt illius mortem esse vitam nostram & pacẽ. 1. Cor. 1 Nos prædicamus Christum crucifixum, &c. vocatis sanctis, Dei virtutem: Ideò tàm maximè vrgent Euangelistę & prę omnibus exigunt Fidem in Christum ꝓpter distributionẽ. Di- 1.

ſtribuit ergo Chriſtus nobis omnibus cùm Apoſtolis ſuam conquiſitam pacem, in verbo illo, Pax vobis, Modò & nos credamus, & illam acceptemus.

I. Chriſtus eſt nobis pax contra tria, ſcilicet legem Moyſis, peccatum, & mundum: in his tribus conſcientia, conſcientia dico, habet pacem propter Chriſtum. Primò, inquit Apoſtolus ad Eph. 2. Ipſe Chriſtus eſt pax noſtra, ſcilicet contra legē & Moyſen. Lex enim vrget & angit conſcientiā, terret & exigit obſeruantiam p̄ceptorum vtriuſq; tabulę, & maledicit ac damnat omnes tranſgreſſores, quó fit, vt conſcientia anguſtietur & damnetur per legem, quam nunquam ſeruauit. occiditur, & in bello relinquitur per legem conſcientia: nam quis perfectè impleuit legem? Contra hanc damnationem legis, Chriſtus eſt pax noſtræ conſcientiæ, qui dicit, Noli deſperare, ſed pœnite & crede in me, Ego ſum, qui Pro peccatis tuis mortuus ſum. Ego perfectè & ex toto corde ſeruaui legem. Crede in me, & propter me imputaberis à Deo tanquam iuſtus, ac ſi legem obſeruaſſes: non ergo reſurrexi propter iuſtificationem tuam imputatiuam in accuſatione Moyſis & legis. Is eſt ſpiritus, quoniam viuificat conſcientiam quam lex occidit, 2. Cor 3. Et ſic Chriſtus à damnatione legis liberat, & conſcientiā quietat: non quidē, ne fiat lex, immò maximè exigitur à iuſtificatis: verū Spiritus. S. adiutoriū ſecum confert. Si vis ad vitā ingredi ſerua mandata. Dilectio propter acceptum beneficium Chriſti ſeruat legem.

Exod. 20. Deut. 27. Rom. 4. Matt. 5. Matt. 19.

II. Chriſtus pax eſt conſcientiæ contrà preſſuram mūdi: varia tormenta Martyrum, confeſſorum & fidelium legimus à Tyrannis illata, quæ cū gaudio ſancti fideles pertulerunt læti & pacifici in conſcientia, intus habentes cōſolationē & ſpem futuri gaudij, quod Chriſtus impetrauit, id eſt, regnum cœlorum: ideò momentaneam pœnam, vel diuitias, vel honores, nō curarūt. Niſi enim hanc Chriſti pacē in corde habuiſſent,

ſent,

sent, Martyres non potuissent perseuerantes fuisse in tam crudelibus tormentis & varijs. Et sic loquitur Apostolus Rom. 8. Non sunt condignæ passiones prę sentis tēporis ad futuram gloriam. & iterū, Quis separabit nos à charitate Dei? an gladius, afflictio, nuditas, angustia, persecutio? &c. Et Christus inquit Ioan. 16. In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem, id est, internam cōsolationem mentis in omnibus pressuris propter nomen meum, Matthæi 5. & Luc. 12 Capilli capitis vestri numerati sunt. & Matt. 10. Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam non possunt occidere, &c. Sic Christus est pax cordis in tribulatione p̄senti, quæ habebit finē suum, Christus autem manet in æternum. Et Ioan. inquit: Maior est Dens corde nostro, & nouit omnia Et iterū 16. ca. Tristitia vestra vertetur in gaudium. Habet & mulier pariens inter pressuram quoddam gaudium cordis, quia Deo generat fructum quod gaudium etiam lenit tormentum. Sic omnes sancti sunt, qui laborant in mundo, &c. at Christus est pax conscientiæ. 1. Ioan. 3.

Tertiò Christus est pax conscientię contrà peccatū. nam conscientia dum respicit peccata, illorum magnus est numerus: si bona opera, pauca vel nulla. At intrat Christus in mediū: & inquit: Cōfidite, quia ego vici mundum: etsi peccata sunt multa & magna, abundantior tamen est gratia propter me promissa, Rom. 5. Si exigua sunt bona opera tua, noli desperare, propter nomen meum, promissa est salus, Ioan. 3. Act. 10. Non ergo propter peccata debemus desperare, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris, Rom. 4. hæc mors non est gratis facta, nec propterea desperandum est, quia pauca bona opera fecimus: Nā salus non propter mea opera, sed propter Christum est promissa, Actor. 15. Per gratiam Domini nostri IESV Christi credimus saluari, &c. Sic pendet III. Ioan. 16.

medius Christus, vt non cum latrone malo desperemus, nec cũ bono præsumamus, sed Christũ vera fiducia inspiciamus: propter illũ enim firma est promissio. Efficacior est sanguis Christi, quàm vel peccata mea, vel bona opera. Sic enim est Christus pax nostra, quoad peccatata & quoad opera bona, vt in hora mortis in neutro horũ sistamus, sed nudè & firma fiducia respiciamus in Christum in cruce pendentem, sicut inquit Apostolus Galat. 6. Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi &c.

3. Hęc doctrina vt maximè suauis & consolatoria est conscientiæ tribulatæ, non tamen trahenda est ad carnem. vt quis liberè velit peccare per luxuriam, superbiam, gulam, &c. eò quia gratia efficacior est peccato, aut quòd nullum velit opus bonũ facere: quia propter Christum, & non propter opera nostra, donatur salus: vel quia illam salutem nec impediunt peccata, nec promouent bona opera: Absit hoc, Christus non est iustificator impiorum, infidelium, impœnitentium, sed pœnitentium & à peccatis cessantium, Psalm. 50. Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. & Lucæ 1. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Neque Saluator illorum est Christus, qui Fidem suam, dum vixerint, post Baptismum bonis operibus & præceptis Dei nõ testantur exigit Deus necessariò bona opera & obedientiam præceptorum suorum: licet hæc non saluant, retinent tamen pacem, id est, Christum, & sunt fructus iustitiæ, quos facere tenemur ad laudem Dei atq; gratiarum actionẽ, Phil. 1. & accipient sua præmia ingentia, 1. Cor. 3. nam Deus ita ex sua liberali & gratuita misericordia vult compensare tàm Fidem quàm opera nostra gloria æterna, etsi hoc neq; Fides, neque opera nostra ex sua dignitate merentur.

CAPVT

CAPVT XXVII.

ARGVMENTA.

1. *Quæ sit maxima scientia, & optima sapientia hominis.*
2. *Quomodò rectè cognoscitur Christus.*
3. *Quatenùs cognitio Christi non est trahenda ad carnem.*

APostolus 1. Cor. 2. inquit: Nihil iudicaui me scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, quem denunciaui vobis non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, sed in simplicitate spiritus, vt fides nostra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Multi gloriantur de sapiẽtia mundana, sicuti Philippus de rebus naturalibus, stellarũ cursibus, disciplinis liberalibus, & Rhetoricis coloribus, sed quandò nulla harum scientiarum humanarum saluat coram Deo æternaliter animam, sequitur indè quòd illa optima & maxima sapientia esse nequit. Nam talis sapientia stultitia coram Deo est, sicut scriptum est Esa. 19. Perdam sapientiam sapientum. Abdie 1. Vbi sapiens, vbi scriba, vbi inquisitor huius seculi? Loquitur de illis, qui Dominum non glorificauerunt suis scientijs, sed euanuerunt in suis cogitationibus: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, Rom. 1. Sapientia igitur sapientiarum est, cognoscere Christum, sicut propheta Hierem. dicit 9. cap. Nemo glorietur in sua sapientia &c. Scire & agnoscere Christum, est scire hoc secretum Dei, quòd Deus vult propter Christum condonare peccata, & donare salutem æternam pœnitentibus & credentibus: & quòd ipsius opera, non nostra, nos iustificant & saluant, si crediderimus. Hanc sapientiam nemo huius seculi principum agnouit. 1. Corinth. 2. nobis autem

1. 1. Cor. 1.

autem reuelauit, inquit Apostolus, per Spiritum suum Deus. Et hęc scientia etiam fuit Dauidi reuelata, Psal. 50. Occulta sapientiæ tuæ manifestâsti mihi. Matth. 11. Confiteor tibi pater, quia abscondisti hęc à sapientibus & prudentibus, &c. Hæc igitur sola scientia est ad salutem necessaria, quæ vel sola sine alijs

2. sufficit, & sine qua aliæ nihil proderunt.

Christus sic verè & rectè agnoscitur, si enim agnoscis & acceptas pro tua iustitia, pro tua sanctificatione, & pro tua redemptione, si ex corde credis, quòd

1. Cor. 1. ideò tibi sit datus à Deo Christus, sicut Apostolus dixit, quòd donatus sit nobis Christus à Deo ad quatuor, vt sit nostra sapientia cōtra doctos philosophos

Rom. 10. nostra iustitia contra Iudęos, qui propriam statuunt, nostra sanctificatio, ne quis pręsumat se natura propria sanctū: nostra redēptio, ne quis glorietur de operibus suis, vt semetipsum saluare possit, & mereri cælum. In hos fines si Christus agnoscitur & creditur, tunc scitur: & hoc est summum scire christiani hominis, atque hæc Fides facit christianum. Primo Chri-

I. stus est nostra sapientia coram patre, qui sumus vt oues errātes, Esa. 53. & 1. Cor. 1. inquit Apostolus, quoniam mundus per sapientiā Deum non cognouit, id est, oēs philosophi, Deū non glorificauerūt & laudarunt rectè sua sapientia, placuit Deo, per stultū sermonē saluos facere credentes, nempe ꝙ Christus crucifixus, est virtus Dei ad saluandū. Ad hoc credendū, Iudęi petūt signa de cęlo: Greci hoc cupiūt ꝓbatum per humanā philosophiam: at nos simplicissima fide

Rom. 4. credimus verbo, Mortuus est pro peccatis nostris, & credimus huic diuinę sapientię, ꝙ tali via Deus vult per Christū saluos facere credētes: Etsi nos in nostra persona nō sumus sapientes corā Deo, in Christo tamen sumus sapientiores omnibus philosophis & doctoribus mundi In Christo reconditus est thesaurus

II. sapientię Dei. Deindè Christus ex nostra iustitia corā Deo:

Deo: Nostra non potest subsistere, ideò nisi aliena, id est, Christi, iustitia reputabimur iusti, nunquā erimus iusti: at nobis credentibus, illius iustitia nostra erit. Et hanc cupit Apostolus ad Phil 3. cap. Non habens meam iustitiam quę ex lege est, sed quę ex Euangelio est, scilicet Iesu Christi, ideò Iudæi ex lege volentes propriam iustitiam statuere, iustitię Dei non subij- Rom.10. ciuntur. Et hæc est iustitia Dei, quę testificata est à le- Rom.3. ge & prophetis, & illa iustitia Dei, id est Christi, datur omnibus qui credunt in Iesum Christū: hac oportet saluentur quotquot saluantur. nam & illa facit, vt & nos reputemur iusti. Ioan. 1. de plenitudine eius &c. Illa enim iustitia Dei extra nos est, & donatur nobis per Fidem, sicut pluuia terræ donatur: in illa iustitia scilicet Christi, quoniā mea est per Fidē, iustus & sanctus sum, nullum habeo peccatum vel scrupulū conscientiæ, aut timorem, aut mortem: nam Christus est sine omni peccato, morte & Sathana liber. Et is mihi donatus est cum omnibns suis donis, Rom. 8. Qui dedit filium, quomodò non omnia cū Filio? quo fit, vt quanuis caro me accusat, & iustitia mea impura est & imperfecta, attamen spiritus lætus est, quia aliam iustitiam præter propriam habet, id est, Christi. ideò inquit propheta Psalm. 121. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum &cæt. ideò Christianus nescit propriam iustitiam, de illa nō gloriatur, quanuis etiam exigatur: sed in hac Christi iustitia gaudet & lætatur. Est ergò Christus iustitia nostra coram Deo & Sathana. Patet ergò, quàm sit periculosa fiducia bonorū operū, hoc est quęrere riuulum, & relinquere fontem. Ideò Apostoli vehementer vrgent & inculcant hanc Christi iustitiā qua saluamur & nō propriā. Tertiò, Christus est nostra sanctificatio. Ni- III. hil naturam nostram potest sanctificare, neq; cibus, neq; potus, neq; vestitus, aut vllum opus, pręter Fidē Christi, 1. Cor. 6. Abluti & sanctificati estis in nomine Domini

Acto. 15. Domini nostri Iesu Christi. Fide purificans cor. Et Christus ait Ioan. 7 Pater, sanctifica eos per verbum tuum, nam sermo tuus veritas est. Per fidem ergò sanctificamur, locus solitarius, cibus moderatus, vestistitus &cęt. benè conducunt vt sanctitas retineatur. Sed ipse Christus per Fidem verbi sui nos sanctificat: Et nos in illo sumus sancti imputatiuè coràm Deo, quia nemo abinitio sanctus est reputatus, nisi qui crediderat. Et quotquot sanctificati sunt, hoc factum est

IIII. per fidem verbi Dei. Quartò, Christus est nostra redēptio & liberatio, scilicet à maledictione legis, quā ipse impleuit Matt. 5. & à peccato, quia ipse pro peccatis mortuus est, Roman. 5. & à Sathana, quia non habet in eo quicquam, Ioan. 14. Et quoniam nobis Christus sic datus est, nihil iuris in nos credentes atque pœnitentes habebunt vel lex vel peccatum. Nam inquit Ioannes 10. Nemo potest ea de manibus meis eripere, id est, oues meas. Non est igitur aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri &cęt. Felix ergò homo, cui datum est sic Christum agnoscere suam sapientiam, iustitiam, sanctificationem & redemptionem, vt solùm in Deo glorietur, & nihil arroget sibi de sua sapientia, iustitia aut perfectione: Sed pauci sunt qui hanc habent gratiam: sic simplicibus verbis Apostolus docuit Christum apud Corinthios suos, &c.

Insuper maximè cauendum est, ne talis suauis do-

3. ctrina conscientiæ trahatur ad carnem, sicut pleriq; dicunt: Si Christus est mea iustitia, ergò non curo habere propriam. Nam iubet etiam Christus & exigit nostram iustitiam, Matth 5. Nisi iustitia vestra abundauerit, &c. Et Paulus Ephes. 4. ait: Induite nouum hominem Vel qui dicunt, Christus est mea sanctitas, quid curo propriam? Nam & nostram exigit Deus, 1. Thess. 4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis &c. Et 1. Cor. 6. Nescitis quia corpora

vestra

vestra templum sunt Spirituſſancti? ergò Scriptura exigit & docet noſtram ſanctificationem tàm in anima quàm in corpore. Vel qui dicunt, Chriſtus me redemit, nulla ſunt opera mea, nullius meriti. Nam obedientia præceptorum vtriuſque Tabulę exigitur ab omnibus. Summa, niſi & nos fuerimus iuſti, ſancti, fructificantes in fide, non retinebimus Chriſti ſapientiam, iuſtitiam, ſanctitatem, redemptionē: & noſtram iuſtitiam vult Deus ingentibus pręmijs ornare & gloria æterna. Videat ergò quiſq;, ne hanc ſanā doctrinam in abuſum vertat. Empti enim eſtis precio magno, inquit Apoſtolus 1. Cor. 6. ideò glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Et Zacharias Luc. 1. In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo ſeruiamus omnibus diebus noſtris. At noſtra iuſtitia non quietat conſcientiam, ſed Chriſti: ideò vt firma ſit, transfertur in Chriſtum: Nos enim ſerui inutiles ſumus, Lucę 17. Primam iuſtitiam Chriſti ſolam vrgēt Luterani, nos Catholici vtranque. In perſona Chriſti maior eſt ſanctitas, quàm ſunt omnia bona opera, & ſanctitas omnium hominū totius mundi. In Chriſti perſona maior eſt iuſtitia, quàm omnium hominum totius mundi. Ideò propter Chriſti ſanctitatem, iuſtitiam, merita ſanguinis ſui, capimus ſalutem, & non propter opera noſtra bona & iuſtitiam. Deindè maior & multò amplior eſt in perſona Chriſti Gratia & redemptio, quàm eſt iniquitas & malitia totius mundi. Vnica mors eius, efficacior eſt peccatis totius mundi, morte, atque inferno. Ideò quicunq; in illum crediderit, illi dicitur Ioannis 16. Confide, quia ego vici mundum, id eſt, ea quæ in mundo ſunt, peccatum, mortē, Sathanam, &c. Hæc igitur eſt conſolatio fidelium. Ante omnia ergò Chriſtum, verbum, & opera paſſionis ſuæ oportet appræhendere fide, ſic ſcilicet, vt illum ſuſcipias tanquàm donum & propinam, quod vel, quam tibi Deus pater pro proprio gratis donat,

vt

vt tuus sit Christus, eiusque passio, meritum, opera, ac si tu ipse hæc feciſſes, quæ Christus pro te fecit: vt eius passio sit tua, ac si tu passus fuisses. Sic eius sapientia, iustitia, redemptio, &c. Esaiæ 9. Puer nobis natus est, filius datus est nobis. Rom. 8. Qui dedit nobis Filium, quomodò non omnia cum Filio? Ioan. 3. Vt vnigenitum suum daret, &c. Si nobis datus est, ergò noster: ergò & nostra sapientia, iustitia, redemptio. Hæc fides te Christianum facit, & liberat à peccato, morte & inferno: hæc fides dicitur iustitia, Rom. 4. Quandò ergò nunc sic Christum pro fundamento & capitali bono salutis nostræ habemus & apprehendimus, tunc sequitur alterum: nempe, vt Christum pro exemplo apprehendamus & imitemur, vt sicut ipse nobis benefecit, sic nos proximo nostro: Ipse fuit iustus, obediens, patiens, sanctus, diligens, non maledicens, &c. sic eum imitemur. 1. Petri 2. Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, &c. Et 1. Corint. 11. Imitatores mei estote. Prima apprehensio Christi per fidem, acquirit nobis essentiale bonũ, id est, remissionem peccatorum & vitam in Christo: altera, accidentale, hîc & in futuro, id est, specialia præmia. Sicut enim stella differt à stella, &c.

1. Cor. 15.

CAP. XXVIII

ARGVMENTA.

1. *In quo cõsistit regnũ Christi, et qui sint in illo.*
2. *Quid sit regnum Sathanæ, & qui sint in illo.*
3. *Quomodò non nocebit credentibus, etiamsi adhuc sentiunt regnum Sathanæ in motibus animi & corporis.*

1. CHristus coram Pilato dixit Ioan. 18. Regnum meum non est de hoc mundo, id est, non est carnale aut temporale: ergò sequitur quòd est spirituale. Est igitur Christi

Christi regnum spirituale, quo Christus corda regit hominum, quibus inserit fidem, dilectionem, timorem, sapientiam, humilitatem, spem, &c. & id genus fructus Spiritussancti, Galat. 5. In hoc regno Christus Rex est & pręsidet, atq; hîc influit in corda: de quo regno locuti sunt etiam Prophetæ, Psal. 71. Orietur in diebus eius iustitia & abundãtia pacis. Et Dan. 7. Regnum eius non corrumpetur, quia est perpetuum. Et Lucæ 1. inquit Angelus: Et regni eius non erit finis. Aeternaliter igitur reget electos suos. Nõ ergò Christi regnum carnale est, sicut putârũt Iudęi, & duo discipuli euntes in Emaus, Lucę vlti. & discipuli Acto. 1. & Matth. 20. Perpetuũ igitur est Christi regnum, nõ mutabile, sicut sunt traditiones, cęremoniæ, &c. sed est perpetua dilectio, iustitia, pax, &c. Nec est Christi regnum externa quędam administratio, sicut in cæremonijs, ac ciborum, vestimentorum, statutorum differentijs, &c. sed internus cultus, sicut inquit ipse Lucæ 17. Regnum Dei non venit cum obseruatione, sed intra vos est, scilicet in corde, vbi est fides, timor, dilectio, spes, &c. Et Rom. 14. Regnum Dei non est cibus aut potus, sed intùs: iustitia, pax & gaudium in Spiritusancto: hoc etiam regnum petimus quotidiè aduenire nobis & augmentari, Matth. 6. In hoc ergò Christi regno sunt, quotquot credunt & acceperunt Spiritumsanctum in Baptismo, qui suos in Illis operatur fructus, Galat. 5. & renouat cor, expellit sathanam cum vitijs suis, mortificat corpus, & inflammat ad ferenda & facienda omnia, quæ Deus exigit. Et Apostolus Colossen. 1. iubet omnes tales gratias agere Deo patri, quòd nos eripuerit de potestate tenebrarum. Nã natura nostra id ex se non potuit, & transtulit in regnum Filij dilectionis suæ, in quo habemus pacem, redemptionem à sathana, & remissionem à peccatis. Quotquot ergò abstinent à vitijs & in pœnitentia sunt, ad firmam fidem, timorem, dilectionẽ,

patien-

patientiam, castitatem, &c. tenent, omnes illi sunt in regno Christi spirituali. Et hoc quidem regnum ornatur & retinetur benè cæremonijs, regulis, statutis, &c. sed hæc non sunt regnum Christi: consistit ergò in corde hoc regnum: attamen foris cernitur vbi sit, à fructibus iustitiæ, &c.

Regnum sathanæ est, vbi non est fides Christi, vbi nondùm cor renouatum est Spiritu sancto: & ex illo regno nascuntur, quotquot ex prima natiuitate sunt & tam diu manent omnes filij Adam, donec liberentur per Christum. Ioan. 8. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Liberat enim quotquot in illum credunt. Ioan. 1. Dedit potestatem filios Dei fieri, &c. In illo igitur regno est aliud nihil nisi mendacium, homicidium, blasphemia, superbia, auaritia, &c. tota lerna vitiorum, vbi sathan rex trahit corda ad placitum, vt sua desideria perficiant, sicut Christus obiecit Iudæis, Ioan. 8. Vos ex patre diabolo estis, &c. Et ideò Apostolus nominat diabolum deum huius seculi, qui excæcat corda fidelium, 2. Corinth. 4. In hoc ergò sathanæ regno sunt, quotquot obtemperant carnalibus desiderijs & operibus carnis, Galat. 5. Et de illis dicit Apostolus 1. Corinth. 15. Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Et homines istius regni solùm quærunt opes, honores, voluptates atque carnalia: ideò directè opponuntur regnum Christi & regnum Sathanæ. Multò enim latius est regnum Sathanæ, quàm Christi: quia omne quod est in mundo, inquit Ioannes, 1. Ioan. 2. aut est superbia, vel luxuria, vel auaritia, &c. & nullus de tali regno introibit in regnum cœlorum, eò quòd diabolus nihil habet in Christo. A tali ergò regno liberamur, & in Christi regnum collocamur, quandò Christum credimus nostrum Dominum & saluatorem, Rom. 10. Propter quem gratuitè condonantur peccata, & iustificamur Rom. 3. de quo iubet Apostolus gratias agere.

Et

Ex quo solùm credentes & sine peccato existentes, sunt in regno Christi, igitur nullus hominũ erit in Christi regno? quis enim est sine motibus peccatorum, & quis gloriatur se mundum habere cor? Respondeo, in regno Sathanæ sunt homines differẽtes: quidam resistunt tentationibus & cupiditatibus carnis, & non obediunt, sed mortificant, non permittũt regnare peccatum in corpore: & licet sentiant regnũ Sathanæ in carne, non tamen consentiunt, sed fide pugnant. Ob id dicit Apostolus Rom. 8. eos nihil damnationis habere, &c. Tales in Christo sunt supra peccatum & Dæmonem. Nam Christus est rex animæ super omnia, & nos in ipso prævalemus peccato, ne damnare possit. Reliqui libenter & voluntariè subsunt regno Sathanæ, vt qui placent sibi in cupiditatibus carnis, Gala. 5. & illi dicuntur esse Christi regnum deuastatũ, quod diabolus possidet: etsi ore confitentur Christum, nihil tamen illis proderit, Tit. 1.

CAP. XXIX.

ARGVMENTA.

1. *Quid faciat hominem Christianum seu spiritualem,*
2. *Quòd fides secum patiatur officium ciuile & conditionem, statum, cæremonias & ritus, si desit superstitio.*
3. *Quæ sit Apostasia à fide.*

APostolus ad Galat. 5. inquit: In Christo Iesu neq; circuncisio aliquid valet, neque præputium, sed Fides quæ per dilectionem operatur: id est, Christianum non facit quòd quis sit in præputio, vel quòd sit circuncisus, sed quod in CHRITVM

credit. Sic tertio capite inquit: Omnes vos vnũ estis in Christo Iesu per fidem. Non est Iudæus neq; Græcus, non est seruus neque liber, non est masculus neque fœmina, hoc est, illa non faciunt Christianum, esse virum vel fœminam, laicum vel monachum, Cęsarem vel rusticum, Regem vel seruum: sed credere in Christum. Hæc fides facit omnes nos vnum in Christo, & ex æquo Christianos, non vestitus, locus, cibus, &c. Ideò inquit Petrus Actor. 10. In veritate comperi, quòd non est acceptor personarum Deus: Sed in omni gente qui timet eum, id est, credit in illum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Igitur nec sexus, nec patria facit Christianum: hęc enim omnia exteriora sunt, & non faciunt Christianum: sed fides intùs cordis, credere quòd Christi opera vincũt peccatum, sathanam, mortem, nosq; saluant, hæc faciunt Christianum. Sic fides in Christum, quoniam in spiritu & corde consistit, non in pedibus vel manibus vestitu vel cibo aut loco, neque in officio, quia hic Dominus, ille seruus: hic laicus, ille clericus: Fides inquam, quę Spiritum sanctificat & purgat, Actor. 15. Fide purgans corda: ea facit spiritualem, sanctum, Christianum: & sic oẽs credentes sunt spirituales, & & tales dici possunt: differunt tamen ratione officiorum, quòd aliud habet officium Papa, aliud Cæsar, 1. Corint. 12. Sicut in vno corpore sunt multa membra omnia tamen non eundem habent actum, &c. Retinent tamen & ad hoc conducunt externa illa, cibus, potus, vestitus, locus, sacerdotium, & id genus alia officia & cæremoniæ, quanuis spiritualem non faciunt: sub his tamen operibus exercetur spiritualitas & retinetur, quarè non sunt abijcienda. Hęc ergo Fides quę acceptat Christũ, vt Christus sua sit sapientia, propriam pro stultitia reputans: vt Christus sua sit iustitia, propriam pro impura & insufficienti existimans: vt Christus sua sit sanctificatio, seipsum & na-

turam

turam suam, agnoscens oppressam peccato: vt Christus sua sit vnica redēptio, iustificatio, quia sua morte solus meruit credentibus omnibus iustificationē & salutem, & qui nobis pœnitentibus gratis sine merito nostro distribuit suum beneficium: quisquis hoc credit, quòd scilicet Christus ꝓ peccatis nostris mortuus est, & resurrexit propter nostrā iustificationem, per hanc fidē accipit beneficia Christi, hęc fides sanctificat personā spiritualem ac Christianū facit. Sic arbor primò fit bona, & deindè fructus eius. Rom. 4. Matt. 7. 2.

Hæc fides quæ in solo Christi sanguine quærit remissionem & salutem, & nō in ꝓprio opere operato, potest secum ferre sexum, officium, imperatorem, rusticum, monachum, laicum, diuersum vestitū, cæremonias, ciborum discrimina: quia in his nō quęritur iustitia, remissio aut salus, nec capitale bonū, quod in Christū transfertur: sed sunt exercitia fidei & charitatis erga proximū, ad laudē & gloriā Dei. Et sic dicit Apostolus: Si qs vocatus est in pręputio, nō accersat circunciſionē, &c. Nam ad salutem nō iuuat, nec etiā salutem impedit, vt quis sit natus Iudæus vel Gentilis, sit Franciscanus aut Dominicanus: illa enim sunt exteriora. Igitur fides in Christi sanguine & eius operibus locat salutis fiduciam, & non in nostris hisce exterioribus. Non ideò saluor, quia habitu, loco solitario, diuerso cibo aut potu Monachus sum & Christianus: nec tamen hæc exteriora oberunt fidei, sed potiùs promouent, si sine superstitione & præsumptione salutis consequendæ fiunt. Euangelium non trahit personā ab ordine, ab officio, ab opere manuū, sed trahit animam à falsa intentione, & liberat conscientiā à falsa fide. Nam hęc est falsa fides, ꝙ operibus nostris nosmetipsos iustificare & saluare possimus, quandò ea opinione nostra opera facimus. Nā vera fides quærit salutis summam in solo sanguine Christi & eius meritis: attamē ꝑmittit manū in opere 1. Cor. 7.

personam in ordine vel religione, corpus in officio. Si primùm Iudæi crederent in Christum & baptizarentur, & posteà circuncciderent vel non circuncciderent, saltem ne præsumerent per hoc se posse bonos effici & saluari, sed solùm per gratiam Iesu Christi, sicut patres eorum fecerunt, Actor. 15. vbi Petrus dicit: Nunc ergò quid tentatis Deum, vt imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neq; Patres nostri, neq; nos portare potuimus? sed per gratiã Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos futuros quemadmodũ & illi, scilicet Gentes: significans, fidẽ in Christum, tollere omne discrimen inter Iudæum natum & Gentilem: tunc, inquam, res esset sine periculo. Similiter de discrimine ordinum, cæremoniarum, rituum dicendum est, quandò liberè hęc seruantur, non ea intentione, vt per hæc velint salui fieri, sed ad exercitium fidei & seruitium proximi, castigationem corporis, Deo ad laudem & gloriam, tunc sine periculo hæc omnia benè seruari possunt. Sunt enim hæc quasi testa externa. Fides autem nucleus est internus, quæ fides sic externis decoratur & ornatur, sed externa hæc non sunt nucleus.

3. Discessio à fide seu Apostasia, est non solùm publica negatio Christi, sicut Iudæi negãt: sed fit, quoties quis hoc tribuit suis operibus, quod Christo debetur. Nam de Christo dicitur Ioan. 1. Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Et Roma 4. Mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter iustificationẽ nostram. Et Petrus Actorum 15. Per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos fieri. Ergò si quis remissionem & salutem suis tribuit operibus, & ea intentione facit, is apostatatur à fide iustificationis Christi, ei gratis aut frustrà venit Christus. Ideò hæc intentio & falsa fides abijcienda est. Sic etiam Apostolus maximè laborabat cõtra Iudæos baptizatos, in Epistolis ad Romanos & Galatas, vt hãc

fiduciam

fiduciam operum ac legis seponerent. Et Petrus inquit: Huic omnes testimonium perhibent, &c. Hæc est enim gloria gratiæ Dei, qua laudari vult Deus, Eph. 1. Si autem hęc exteriora fiunt ad exercitium fidei & corporis in seruitium proximi ad laudē & gloriam Dei, nihil nocebunt: sola ergò mala intentio, id est, caput serpentis, amputandum est. Sancti Patres habuerunt & ordinârunt varios ordines, disciplinas, ac scholas ad exercitium in laudem Dei: (quemadmodum D. Hieronymus de opere Monachorum librum scripsit) non vt tales essent potissimus cultus Dei, ac si quis doceret puerum artem lanificiam, (vt olim Monachi operabantur) vt hęc ars esset via ad salutem & probitatem, & iuuenis hanc artem exerceret ea intentione, vt per illam oporteat eum saluari, & quòd sine hac arte nō haberet salutem: nonnè hîc stultus esset tàm magister, quàm discipulus? Sed si via ad salutem & probitatem fidei in Christum tribuitur, tunc artificiū sine periculo exercetur. At inquis: Sic similis erit laicus Sacerdoti vel Monacho, Respōdeo, illorum officia plurimùm differunt, sicut cœlū & terra: quia ergò Sàcerdos agit officium spiritus & salutis, Laicus verò officiū corporis & enutritionis, ideò plurimùm dissimiles sunt ratione officiorum, licet non Fidei. Liberè seruare ordinē, sic intelligendum est, ne talis obseruatio ligata sit ad opinionem iustitiæ & salutis, non vt contemnatur ex libertate carnis. Sic de alijs statutis, ritibus, &c. Ecclesiæ iudicandum est. Act. 10.

CAPVT XXX.

ARGVMENTA.

1. *Quomodò mors & supplicium Christi sit in redemptionem fidelium, sanctorum autem martyrium in testimonium fidei in Christum, & exhortationem constantiæ.*

2. *Quòd Christus sua morte meruit solus omnibus sanctis & hominibus hæc duo, remissionem peccatorum & cælum, quod nullus sanctorum suo martyrio sibi mereri potuit.*

3. *Quòd Christi mors meruit omnibus credentibus capitale bonum, sanctorum autem martyrium, accidentale in cælo secundùm gradus.*

1. PRopheta Esaias inquit capite 53. Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm, ergò solus ipse Christus mortuus est pro peccatis totius mundi, vel hominum in mundo: & nullus Martyrum passus est pro mundo aut singulari homine, vt suo martyrio illum saluaret. Quarè solus vnus est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit nobis semetipsum redemptionem pro omnibus, 1. Timoth. 2. & 1. Ioan. 2. Ipse est propiciatio pro peccatis totius mundi, quoniam mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter iustificationem nostram, Romanorum 4. Ergò mors & supplicium Christi, pro totius mundi redemptione est facta, quatenùs nos redimeret à potestate Sathanæ, mortis & inferni, ipse vnicus est saluator. Et quoniam hoc omnes qui salutem & iustitiam quærunt, credere debẽt, quoniam CHRISTVS mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter nostram iustificationem: ideò sancti Dei homines, quos Spiritus sanctus hac fide iustificauit & sanctificauit in testimonium, quòd hæc sit vera fides, saluans hominem, ipsi nedùm ore illam sunt confessi aut corde, sed etiam opere & martyrio ac morte, qua testificati sunt fidem suam nobis in exemplum constantiæ, sicut dicitur ad Hebr. 11. **Sancti per fidem vicerunt regna, &c.** Et iterum: Lapi-

dati

dati sunt, secti sunt, &c. Ideò multa millia testium, id est, sanctorum martyrum, habet nostra fides. Nec aduersùs eam prævalebunt portæ inferorum, Matthæi 16. Sed martyrium sanctorum licet sit testimonium fidei, nullatenùs tamen sancti alicuius mors & supplicium facta est pro redemptione totius mundi, sicuti vnica Christi mors. In solum Christum posuit Pater omnia nostra peccata, qui solus est victima pro salute totius mundi, sicut Christus ipse dicit Mat. 26. Hoc est corpus meũ, quod pro vobis traditur, & sanguis qui pro vobis effunditur, &c, Heb. 11.

2. Christus solus omnibus hominibus, & sanctis meruit hæc duo, reconciliationem, id est, remissionem & vitam: & nullum martyrium sancti alicuius, quantumcunque acerbum, hæc duo sibi mereri potuit. Nam sancti, puri homines sunt: Christus, Deus & homo: martyrium sanctorum, opus finitum: Christi mors, virtus infinita: ergò nemo putare debet, q; Sancti semetipsos suo martyrio saluârint. Sed oportet omnes confugere ad Christi sanguinem & mortem, de cuius plenitudine oportet accipere omnes, Ioan. 1. Etiam beata virgo virtute passionis Christi saluata est, nõ propria sanctitate: nam virtus passionis accipi vult fide in Christum, ideò inquit 1. Ioan. 1. Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato: ad Coloss. 1. Omnia pacificans per sanguinem crucis eius. Et 1. Petr. 1. Empti estis precioso sanguine Christi Ioan. 1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, &c. Nullus ergò martyrum potuit sibijpsi impetrare remissionem & vitam æternam, quanuis participationem. Sed hoc solum est in Christum trasslatum. In sanguine Christi saluati sunt ab initio mundi omnes sancti, prophetæ, martyres, virgines, confessores, viduæ, & hodiè quotquot viuentium saluantur: quia vnica victima est Christus. Nulla ergò pœna vel martyriũ cuiuscunq; sancti, æqualis est virtutis cũ morte

Christi: per illum complacuit Patri, reconciliari & pacificari omnia, id est, per sanguinem & crucem eius, siue quæ in cœlis sunt, siue quæ in terris, Colos. 1. Ergò omnis qui credit in illum, saluabitur Ioannis tertio.

3. Capitale bonum, scilicet remissionem peccatorũ & cælum, meruit omnibus solus Christus, vt dictum est: & hoc fide accipitur ante omne opus vel quodcunque martyrium, scilicet in Baptismo. Nam hæc fides cõmunicat nobis Christi bona: At inquis: Nunquid sunt frustrà tot crudelia supplicia passi martyres? nihil illis meruerunt? absit. Meruerunt enim ingentia præmia, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c. Esa. 64 Nam Apostolus ait 1. Corint. 3. Vnusquisque mercedem accipiet secundùm suum laborẽ, id est, secundùm gradus sui laboris & supplicij. Sed hoc præmium dicitur accidentale, seu additamẽtum vltra essentiale & capitale bonum, quod iam fide acceperunt sancti ante martyrium. Illi enim qui multa & diuersa passi sunt pro fide Christi, magna habebũt præmia Mat. 5. Merces vestra copiosa est in cęlo. Promittitquoq; illis Christus regnũ cœlorũ, qui persecutionẽ patiuntur propter iustitiã, id est, ipse promittit gratuita sua voluntate: non quòd ipsum martyrium hoc mereatur, sed ipse Deus ꝓpter Christum vult ita cõpensare ingentibus prẽmijs in cœlo martyrium & confessionem fidei, & cum ipso cœlo, quod solus ipse meruit. Non ergò frustrà passi sunt sancti martyres, nec erunt illis sua supplicia sine prẽmio. Sicut enim differt stella à stella in claritate & magnitudine, vt Apostolus ait 1. Cor. 15. Sic erit in resurrectione mortuorũ. Multę enim in cęlo sunt mãsiones, Ioan. 14. & vnicuiq; reddetur secundùm gradus laborũ suorum, Matt. 16. Sic duplici præmio coronat Deus fidelium opera, & maximè persecutiones & supplicia, quoad accidentale prẽmium: ergò in cælo erunt glorioſi & Apoſtoli

1. Cor. 2.

Apostoli & martyres, &c. Sed inquis: Sufficit mihi capitale præmium per solam fidem acquirendum, non curo accidentale: si tantùm habeo cœlum, præmia in cœlo non curo Respondeo, quòd existens sine peccato & credens in Christum, is apprehendit capitale bonum: deindè, qui iam iustificatus, facit etiam bona opera & patitur crudelia martyria, persecutiones, exilia: ille vltrà capitale bonum & promissionem, accipit etiam accidentale bonum, conronam iustitiæ, &c. adde quòd capitale bonum, id est, cœlum, non retinetur si quis secundùm carnem ambulat, Roma. 8. Vndè necessariò sequi debet obediētia legis in omnibus fidelibus: quòd si quis vocatur ad martyrium, id singulare donum est, ac suam habebit coronam &c.

Insuper meritum & donum sic intelliguntur, quia solus Christus meruit cœlum, remissionem peccatorum, gratiam Patris: quæ nos mereri non potuimus, sed gratis accepimus per fidem in Christum: attamē opera iustificatorum, merentur dona in hac & post hāc vitā. Dona ergo varia ex grātia confert Deus pro operibus nostris in cœlo & hic in terris. Meritum autem salutis, transfertur in solum Christum. Si ergo est aliquis, qui sentit se sine peccato esse, & nouit se veram & viuam habere fidem, is dicere potest: sufficit mihi essentiale bonum: sed vbi talis reperitur? Ergo nullus hoc dicere poterit. Nam non solùm Fides, sed etiam charitas exigitur. Fides essentiale præmium, charitas accidentale apprehendit: sed Fides & charitas nolunt separari & distingui. Porrò martyres dicuntur, quos tyranni capitis supplicio affecerūt propter fidem in Christum: Confessores autem sunt, quos hæretici multipliciter vexarunt, ac doctrinæ ipsorum contradixerunt, qua erudiebant Ecclesiam vniuersam, & ordinabant cultum Dei in orationibus & canticis suis.

CAPVT XXXI.

ARGVMENTA.

1. *Quomodò Christus pro peccatis nostris satisfecit suâ morte.*
2. *Quæsit Euangelica satisfactio, quam à nobis exigit Christus.*
3. *Quæsit Ecclesiæ satisfactio secundùm Canones, & olim fuerit in vsu.*

1. TOta Scriptura solùm vnum ostendit satisfactorem pro peccatis totius mundi, scilicet Christum. Esa. 53. Posuit Deus in eo iniquitatem omnium nostrũ, Col 1. Complacuit Patri, per eum recõciliari omnia per sanguinem crucis eius, siue quæ in cœlis, siue quę in terris sunt. 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. Et Ioan 1. Ecce agnus Dei: &c. Ideò à culpa & pœna æterna peccati solùm nos liberat satisfactio & mors Christi. Nam à culpa peccati & à pœna æterna liberari solùm cõtingit propter sanguinem Christi, & non opus hominis: neque diuelli debent culpa & pœna æterna, quòd ambo hæc Christi mortem respiciunt. Distingui quidem possunt remissio culpæ, & remissio temporalium pœnarum: Culpa propter sanguinem Christi tollitur, & ira vel pœna æterna: sed temporales pœnas, quas meruerunt peccata nostra, mitigamus per opera & fructus pœnitentię nostræ. 1. Corinth. 11. Si nos ipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur à Domino. Est igitur coràm Deo pro culpa & pœna æterna abolenda sola Christi satisfactio. Est autem triplex satisfactio: coram Deo, coram proximo, & coram Ecclesia.

2. Huius satisfactionis Christi nemo fit particeps, nisi

nisi qui & ipse secundùm Euangelium satisfaciat proximo suo. Exigit enim Deus satisfactionem à te erga proximum tuum, & illam docet Euangelium & Scriptura, vt Matth. 5. Vade reconciliari proximo tuo, Item restituere res alienas quas occupamus. Exo. 20. Non furtum facies. Item restituere famam: ibidem, Non falsum testimonium dices contra proximum tuum. Lucę 6. Remittite, & remittetur vobis: date, &c. Item Rom. 13. Nihil quicquam debeatis, nisi vt inuicem vos diligatis Et Matt. 7. Quod vultis vt vobis faciant homines, hoc & vos facite illis. Igitur Euangelium vbique ad huiusmodi satisfactionem proximi nos obligat, & illam sic exigit Christus, vt suam satisfactionem coram Deo patre non distribuat nobis, nisi & nos proximo satisfecerimus.

Porrò satisfactio quæ est erga Deum, creditur: quæ est erga proximum, necessariò exigitur ad salutem. Rursus suprà dicta satisfactio exigitur à iam iustificatis & fidelibus per fidem Christi: igitur non satisfacit pro peccatis coram Deo ad abolendam culpam & pœnam æternam. Hoc Christi morti solùm debetur, sed tamen valet ad mitigandas pœnas tēporarias, quas Deus infligere solet, vt famem, bellum, pestilentiam, incendium, morbum, &c. Deindè est dispositio ad accipiendum Christi satisfactionem, vt efficax in nobis sit ex gratia. Nam tametsi Fides accipit Christi beneficium, fides tamen vera non est, nec Christi beneficium est efficax, si non aderit & nostra satisfactio erga proximum, atq; pœnitentia.

Est quædam satisfactio coram Ecclesia, qua olim famosi peccatores non recipiebantur in Ecclesiam 3.
sine publica castigatione, quam castigationem vocabant Patres satisfactionem. Accesserunt & canones Patrum, quibus pro vno peccato septennis pœnitentia imponebatur, & minus & supra: Et sic publicæ spectacula pœnitentiæ, fuerunt externa quædam

dā diſciplina, qua cohibebantur & probabantur peccatores, num verè pœniterent, ac cæteri à peccatis terrerentur. Non autem putarunt Patres eo ritu ac publica pœnitētia mereri remiſſionem culpæ, ac pœnarum æternarum liberationem: hoc ſemper tranſtulerunt in Chriſtum ac eius mortem, attamen ad mitigationem pœnarum temporalium, ad coërcendam carnem, vt in poſterum minùs peccarent, & ad alios multos fines, præterquàm quòd eſſet precium pro peccatis, obſeruata fuit. Inſuper quòd noſtra pœnitentia operum mitigare poſſit iram Dei, hoc teſtatur ſcriptura vbiq; vt ſatisfactio Niniuitarū Ionę 3. Exēplum regis Ezechię, cui adijciuntur 15. anni, Eſa. 38. & 2. Reg 12. Dauid propria ſententia fuit filius mortis: ſed ad verbum, Peccaui, audit à Propheta, Tranſtulit Dominus peccatum tuum. Et 1. Cor. 11. Si noſ. ipſos iudicaremus, non iudicaremur à Domino. Ergo pœnę peccatorum temporales, quas pro peccatis meremur, non dico de illis pœnis, naturaliter propter peccatum nobis agnatis, vt mors, fames, &c. ſed de his, quæ peccatis actualibus meruimus, non exorigine contraximus, mitigantur noſtra ſatisfactione operum in hac vita. Nam propter orationes, ieiunia, eleemoſynas ac ſimilia bona opera, immò propter vnum bonum hominem & ſanctum, Deus parcit toti ciuitati: ſicut volebat propter decem viros parcere ciuitatibus Sodomorum, Gen. 18. Deus mitigat iram, & donat plura bona temporalia & ſpiritualia, ſicut etiam punitur mundus propter libidines, idololatriam, comeſſationes, & tranſgreſsiones Diuinorum præceptorum in tertiam & quartam generationem, Exod. 20. Et quoniam pœnę Purgatorij etiam ſunt temporales, & non æternę: ideò credit vniuerſalis Eccleſia, operibus viuentium tales iuuari poſſe, ac mitigari illorum pœnas, tandemq; liberari, eò quòd hoc nullibi in ſcriptura eſt prohibitum: & Chriſtus ipſe

dicit

dicit quòd aliquod peccatum sit, scilicet infidelitatis vel impœnitentię, quod neq; hîc, neq; in futuro seculo remittetur, Matt. 12. Sicut Apostolus dicit 1. Ioan. 5. Est peccatum ad mortem, non dico vt quis pro illo oret, &c. Ergo concludit Ecclesia, esse aliquod peccatum, id est, pœnam tēporalem quam Deus statuit remittere, & non æternaliter reseruare, sicut infideliū. Et illa pœna peccati, quæ infertur in Purgatorio, est tamen temporalis, & remittitur orationibus & operibus viuentium, sed culpam solus Deus sua satisfa- 3.
ctione remittit, Possunt quoq; claues Ecclesiæ soluere canones, qui exigunt satisfactionem aliquot annorum & dierum, sicut cùm indulgentias facit Romanus pontifex: qui canones & indulgentię satisfactionum, quandò constat eas multis salubres fuisse, non in totum sunt reijciendę, modò amputetur auaritię abusus, &c. Nulla ergo prędictarum satisfactionum est contemnenda, sed distinctè & suo ordine intelligenda, etiam de sanctorum pœnis & afflictionibus, quæ non ob peccatum imponuntur, sed vt illis crux sint & exercitium ad coronam & præmium, sicut in Iob, Paulo, Tobia, &c hîc non vtuntur suo iure canones vel claues, &c. hoc totum Deo relinquitur, sed de pœnis temporarijs & ab hominibus impositis, valēt claues &c. & ad purgandos in Purgatorio per modū orationis, suffragij, non authoritate Romana, vt tenet Eccl. &c. Insuper omne peccatum contrà legem Dei factum, duplicem meretur pœnam, nempe æternam & temporalem, sicut peccatum Adę æternā pœnam meruit, id est, damnationem post hanc vitam, deindè temporalem, id est, infirmitatem corporis, mortem, laborem & sudorem in terra, maledictionē, sentes, tribulos, Genes. 3. & Exod. 20. in tertiam & quartam generationem minatur vindictam Deus filijs ob peccata parentum, quod de temporali pœna solùm intelligitur, modò aliâs in Christum credunt.

Sic

Sic 1. Cor. 5 luxuriosus traditur Sathanę, quoad temporalem pœnam &c. At Christus suo sanguine liberauit omnes credentes de æterna pœna, id est, culpa, non autem ab omni temporaria pœna, infirmitatibus, angustijs, tribulationibus, morte, &c. Sed illa mitigari & extingui possunt nostris orationibus, ieiunijs, laboribus, sicut patet de Niniuitis, Ionæ. 3. Et ad illum etiam finē excogitati sunt canones pœnitentiales, vbi Ecclesia tanquam pia mater præuenit iiii Dei, quoad temporarias pœnas: item eò conducunt indulgentiæ. Sed ab æterna pœna & culpa solū Christi meritum saluat.

CAPVT XXXII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit Christum induere.*
2. *Quandò contingit illa induitio Christi.*
3. *Quid sequi debeat illam induitionem Christi.*

APostolus in epist. ad Roma. docet nos Christum induere debere, vt cap. 13. Induimini Dominū nostrum Iesum Christum. Est autem Christum induere, nihil aliud, nisi effici participem bonorū Christi ac communicari. Et fit in Spiritu & fide, quādò anima sic acceptat Christi iustitiam, redemptionem, omnemque gratiam, vt verissimè & certissimè credam mihi cum filio omnia filij bona esse donata, & mea propria fore, sicut Apostolus Roman. 8. ait: Qui dedit filium, quomodo non omnia cum filio? Nam hæc est propria & vera conditio fidei, vt quis certò credat & teneat, quòd omnia Christi, sua sunt: vt liberè dicere possit, Christi iustitia, redemptio, mors, resurrectio, mea sunt. Hæc enim Fides communicat omnia bona Christi. Sicut ergo homo vestimentum suum induit, & dicit esse suum proprium:

Sic

Sic Fides in Christum, vestit & communicat nobis Christi iustitiam, & facit esse nostram. Et hoc est Christum spiritualiter induere, & se vestire operibus Christi. Hęc maxima nostra est consolatio, quòd habemus aliam iustitiam, sanctitatem, perfectionem, &c. scilicet Christi, quam Fides nobis facit propriam: in Christi ergo iustitia & merito confidimus contra peccatum, legem & Sathanam, non propria nostra iustitia & perfectione, quam Paulus vt stercora reputat, Philippens. 3.

Hæc Christi induitio fit in Baptismo, sicut ait Apostolus Gal. 3. Quotquot baptizati estis, Christū induistis: id est, bonorum Christi cōmunicationem accepistis. Vt ergo Christus diligitur à Patre, ita & nos propter Christum diligimur, & regni capaces ac hæredes efficimur, Rom. 8. Quandò igitur baptizamur, & in Christum credimus, ad hæc Christi bona intramus. Hic in Baptismo Christus incipit esse nostra iustitia, via, veritas & vita, Ioan. 14. Et sic vita nostra abscondita est in Christo Iesu, Colos. 3. Ab Adam accipimus & participes sumus iniustitiæ, peccati, atq; mortis æternę, in quo omnes peccauimus, Rom. 5. Adam, quia caput & radix peccati, ergo omnes eius fructus sunt mali & peccatores: At Deus pater statuit hoc medio, vt qui cupit liberari à peccato primi parentis, is credat in filium suum Christum, quem ideò dedit mūdo, vt omnis qui credit in illum, non pereat, Ioan. 3. Et ita fit, vt sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur, 1. Cor. 15. Vt igitur Adami hæreditatem, quod est peccatum, contraximus omnes ex prima natiuitate, sic in Baptismo, dum renascimur, participamus bona Christi: & ideò Christus misit discipulos suos in mundum vniuersum, vt hoc vbiq; denunciarent Euangelium, id est, bonum nuncium, Marc. 16. Nam hæc est ordinatio diuina, quòd propter Christi iustitiā & mortem, nos vuult reputare

sanctos

sanctos & filios suos, modò nos, vt filios decet, exhi-
beamus nos erga patrem.

Postquàm Christum in Baptismo induimus, tunc
sequi Christū debemus: nam duo sunt, Christum in-
duere, & Christum sequi: Induitio præcedat opor-
tet: nam nemo rectè sequitur Christum, nisi primùm
sit indutus Christo: Fides autem induit nobis Chri-
stum: sed obedientia præceptorum & boni fructus,
ostēdunt quòd sequamur Christum. Nam sequi Chri-
stum, est facere iustitiā, veritatem, humilitatē, conti-
nentiam &c. Sic inquit Augustinus li. 3. de Trinitate,
cap. 4. quòd passio Christi est nobis Sacramentum &
exemplum: Sacramentum fidei scilicet, quòd credo
pro me illum passum, Roman 4. Exemplum, vt se-
quar eius vestigia, id est, patientiam, dilectionem,
&c. sicut quoq; Petrus ait 1. Pet 2 Christus pro no-
bis passus est, relinquēs nobis exemplū, vt sequamur
vestigia eius. Sic igitur Christus sua nobis cōmunicat
bona, sic sequi Christum debemus, & id facere proxi-
mo nostro, vt illum iuuemus verbo & facto, vt quis
se permittat indui à proximo. vt illi velit ac faciat, si-
cut sibi cupit fieri, & hoc est præceptum Dei dilectio-
nis, vt dilectio non sit simulata, Ro. 12. & non diliga-
mus verbo vel lingua, sed opere & veritate, 1. Ioan. 3.
Ergo qui adhuc in peccatis viuit, nec proximi mise-
retur, is nōdum verè induit Christum, nec etiā sequi-
tur Christum, qui dicit, Exemplum dedi vobis, vt
quemadmodum ego feci &c. Io. 13. Ipse pro nobis ora-
uit erga patrem, pro nobis tulit mortē & omnia sua
nobis communicat: ergo illum sequi debemus, & hoc
facere erga proximum. Ex quo patet, quòd nullū san-
ctorum possumus induere, præter solùm Christum:
nō Petrum, non Paulū: sed benè sequi eos possumus
& debemus, sicut dicit Apostol. 1. Cor. 11. Imitatores
mei estote, &c. Nam etiā quilibet sanctorum indigu-
it pro se induere Christum per Fidem, eiusq; iustitiæ

partici-

participem fieri, ob id vera vitis est Christus, ex qua nos palmites participamus Christi succum, Ioan. 15. & alienæ iustitiæ. Sic nos induimus Christum principiò per Fidem in Baptismo, in vita sequimur illum actione virtutũ & bonorum operum, & è diuerso ipse Christus nostram suscepit miseriam & peccatum tanquam proprium, hoc purgans & pro illo satisfaciẽs, & sic fit, quod dicitur in Cantic. cap. 5. Dilectus meus, mihi, & ego illi. Sic fides & charitas Christum apprehendunt ac tenent.

CAPVT XXXIII.

ARGVMENTA.

1. *Quomodò scriptura semel nobis proponit Christum vt donum Dei, quòd in Fide cum gaudio suscipere debemus.*
2. *Quomodò scriptura proponit nobis Christũ, vt exemplum vitæ & operum quod imitari debemus.*
3. *Quomodò per Euangelium, verba & facta Christi, Christus ad nos venit, & nos illi adducimur.*

SCriptura nobis proponit semel Christum vt donum patris, quod ex misericordia ipsius nobis proprium datur, vt conscientia turbata, illo sese exhilarescat & consoletur: hoc autem sic contingit, quoties audis vel legis quòd Christus aliquid facit aut patitur, quòd ibi non dubites, quòd Christus ipse cum tali facto aut opere seu passione sit tuus, vt super tali re non minus spem tuam loces, quàm si tu ipse fecisses hoc opus, aut sic passus fuisses vt Christus. Hoc est verè agnoscere Euangelium, hæc est Dei maxima pietas, quã nullus prophetarum aut 1

angelorũ ſatis explicare poteſt Ita erigitur & conſo-
latur conſcientia tua Euangelio, id eſt, bono nuncio,
& quòd Chriſtum nobis applicemus vt donum ppri-
um, & nobis donatũ à patre, ſcriptura teſtatur Eſa. 9.
Puer nobis natus eſt, & filius datus eſt nobis. Si no-
bis, nobis inquã, datus eſt, igitur oportet vt ipſum no-
bis ſic applicemus, vt donum proprium noſtrum. Sic
Io. 3. Sic pater dilexit mundum, vt filium vnigeniti
daret: non vendidit, ſed dedit ac propinauit. vt in illo
dono nos conſolaremur & ſaluaremur, vti Ro. 8. dic-
tur: Qui dedit filiũ in mortem, quomodo nõ omnia
cum filio? id eſt, quia ſuum dedit Deus filium vt do-
num, & omnia ſua nobis dedit. & 1. Cor 1. Qui factus
eſt nobis ſapientia à Deo & iuſtitia & ſanctificatio &
redemptio, vt quemadmodum ſcriptum eſt, Hier. 9.
Qui gloriatur, in Domino glorietur, & 1. Ioan. 3. Vi-
dete qualem charitatẽ dedit nobis pater, vt filij De
nominemur & ſimus in Chriſto. Sic vbique teſtatur
Apoſtolus Paulus, dedit ſemetipſum pro nobis, Ga-
lat 1. ad Titum 3. Omnia illa probant, quoniam Chri-
ſtus nobis datus eſt, vt donum nobis proprium. Hoc
eſt fundamentum & capitale bonum: ſic Chriſtum
apprehendere, vt donum tibi proprium donatum, de
quo non dubites, hoc te facit Chriſtianum: Hęc fides
te liberat à peccatis, morte & inferno, & facit te o-
mnia vincere. Nã in Chriſto non eſt peccatum, neq;
mors, neq; infernus, nec aliquid horum habet in e
quicquam, & ille tuus proprius eſt per fidem & tibi
donatus, vt vincas per illum, 1. Ioan. 4. Felix homo
qui ſingula Chriſti verba & facta ponderat, & ſibi ap-
plicat vt propria. Sic enim Chriſti meritum, iuſtitia,
beatitudo, ſit mea: ipſe meam accipit miſeriam, pec-
catum, infirmitatem, iniuſtitiam, damnationem, &c
& ſua merita diſtribuit mihi, vt meam miſeriam de-
glutiat atq; peccatum, quia ipſe pro illis ſatisfecit: a
deò peccatũ & mors ipſum incuſare non poſſunt a
deo

deoq; totũ Euangelium admonet nos, & offert Christum cũ omnibus donis suis, vt veniamus & credamus, & accipiamus Christũ cum omnibus bonis suis. Hęc est maxima consolatio conscientiæ, scire Christum esse suum proprium cum omnibus bonis suis.

Scriptura proponit nobis Christum vt exemplũ, quod vita & opere imitemur, vt quemadmodum in Christo cernis quòd ipse ieiunauit, orauit, hominib. charitatem ostendit, iuuit in necessitatibus: sic tu etiam facias proximo tuo, illi seruiendo, benefaciendo, sicuti tibi fecit ipse. Hoc quoq; admonet Apostolus, Ro. 15. Vnusquisq; vestrum ꝓximo suo placeat in bonũ, in ædificationem: Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est Psalm. 67. Improperia improperantium tibi ceciderunt super me. Sic Matt. 11. inquit Christus: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. & 1. Pet. 2. Christus pro nobis passus est, (in hoc scilicet est donum & gratia) vobis relinquẽs exemplum, vt sequamini vestigia eius: scilicet sicut ipse non peccauit, ita nec nos peccemus mortaliter superbia, auaritia, &c. Nec dolus fuit inuentus in ore eius. Sic nec in tuo erga proximum. cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non cõminabatur, &c. hæc vestigia sequi debemus & nos. Præterea quòd ieiunauit, corpus castigauit, vigilauit, &c. Sic nos quoq; faciemus, Lu. 21 Videte ne corpora vestra grauentur crapula. Summa, de omnibus dictis, factis & virtutibus Christi debemus exemplũ accipere & illud sequi: ipse fuit patiens in passione, sic & tu in infirmitate & passione, Esa. 53. Sicut ouis ad occisionẽ ducta, non aperuit os suum, &c. neminem contempsit, cũ peccatoribus & publicanis manducauit. Mat. 9. & Luc. 19 nullum infirmum abhorruit, sed tetigit & sanauit leprosos, Matt. 8. Patri obediuit vsque ad mortem. Sic nos obedientes esse debemus superioribus, 1. Pet. 2. Subiecti estote &c. Omnis igitur Christi

actio, nostra est instructio: sic quoque ipse iubet esse nos misericordes, sicut pater suus cœlestis misericors est ad remittendum & dandum, Matth. 6 Lucæ 6. vt simus filij patris qui in cœlis est, & hoc totũ propter Deum fieri debet, propter dilectionẽ Dei, & acceptationem beneficij Christi in gratiarum actionem. Ethnici enim & gentes, ex naturali amore benefaciunt suis amicis & assentatoribus: nos autem propter patrẽ in cœlis, vt simus filij eius: & ipse pater cognoscit, quia ad laudẽ ipsius nos omnia facimus, ille reddet in abscõdito. Sic quoq; accipere (fassen) oportet Christum, vt sequamur illum in virtutibus, quia cõuersatione & sanctis operibus: aliâs sequeretur quod apud Lucam 6. dicitur: Quid vocatis me, Domie Domine, & non facitis quę dico vobis? Ergo verbis credere debemus, ac vitã sequi, hoc est, totum Christum accipere: Si quis autem dicat, Ego diligo Deum, credo Christũ esse mihi donum proprium &c. proximum autem suum oderit, hic mendax est, 1. Ioan. 4. Ergo qui non sequitur Christum tanquam exemplum, parum proderit ei dicere: habeo Christũ donum salutis Tit. 1. Confitentur se nosse Deum. Et Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem patris mei, &c.

3. Euangelium prædicatio est, per quam Christus ad te venit, & tu ad ipsum adduceris. hoc autem sic contingit, quandò audis vel legis, quòd Christus huc vel illuc venit, aut quòd aliquis ad ipsum adductus est, vt Marc. 7. cap. cùm adducerent ei surdum & impeditæ linguæ, &c. & sic cum illo & illo fecit, scire debes quòd hoc ipsum offert, id est, illam sanitatem, loquelã, auditum, &c. tibi verbum & factum Christi, quod ibi legis & audis. Si hîc sistis, & permittis tibi benefacere, & credis quòd & tibi benefaciat, & te adiuuet, & velit te, sicut illum, iuuare, tunc certò habebis. Est

bis. Est enim & hodiè Christi verbum & factum efficax in credentibus: hodiè etiam illuminat cæcos, mũdat leprosos, remittit peccata, dat panem quotidianum, sicut fecit quandò erat in mundo antè passionem. Ideò consimilia miracula & opera hodiè contingunt credentibus. Ideò non oportet Euangelium sic legere, vt semel gestam historiam: sed sic, quatenus hodiè efficax est per verbum suum, sicut fuit antè passionem, vt in omni necessitate habeamus vndè cõsolemur. Rom. 15. Quæcunq; scripta sunt, ad doctrinam nostram &c. Ob id Euangelium non est liber legis aut præceptorum, sicut est Moysis liber, quo præcipit & damnat Deus, &c. Sed est liber diuinarum promissionum, in quo Deus offert & donat omnia sua bona & beneficia in Christo: Quòd enim docent Apostoli & Christus exponit legem, hæc inter beneficia numeranda sunt. Igitur Euangelium est medicinale animæ, in quo anima audiat quid Deus cũ ipsa faciat, sicut igitur fecit Christus cum peccatoribus & infirmis, sic hodie facit nobiscum modo credamus & obediamus Euangelio, Rom. 10. Hoc agnoscere, est proprium Euangelij: Quoties igitur audis factum aliquod, historiam, verbum, opus Christi, tibi applica: & crede, vt quoque assequaris gratiam, sicuti illi.

CAPVT XXXIIII.

ARGVMENTA.

1. *Vndè venit quod dicitur, quòd Deus gratis nobis remittit peccata, & donat cœlum: nam hic sermo per totum Euangelium habetur.*
2. *Quid excludat hæc particula, Gratis.*
3. *Vndè sit causa præmiorum nostrorum operũ, si Deus gratis omnia confert.*

NOtat Scriptura noui & veteris Testamẽ
ti, quòd Deus pater elegit & ordinauit
vnicam victimam, propter quam velit
hominibus misereri ac saluare: Nã hæc
victima sola debuit esse propitiatio Sic
enim patri cõplacuit,& hæc victima fuit Christus. E
sa. 53: Posuit in eo iniquitatem omnium nostrũ. Ro
4: Mortuus est pro peccatis nostris,&c. 1. Ioan. 2. Ipse
est propitiatio pro peccatis totius mũdi. Act. 10. Hui
omnes Prophetę testimoniũ perhibent, remissionem
peccatorum &c. Roman. 3. quem posuit propitia
torem in sanguine ipsius. Hoc est mysterium à secul
absconditũ. ꝙ Deus pater propter filiũ vult iustifica
re & saluare, de quo gloriatur Dauid ꝙ hoc cogno
sceret, Psal 50. Paulus dicit ignotũ fuisse principibus
huius seculi, 1. Cor. 2. & glorificat Christus patrem
quòd hæc reuelauerit paruulis, & absconderit à sap
entibus, Mat. 11. Et quia pater propter solam illam v
ctimã vult iustificare & saluare,& non propter mer
ta humana: ideò dicitur, quia gratis iustificat & sal
uat nos ex parte nostra, quia nostra opera hoc merer
non possunt, licet non gratis ex parte Christi: nam i
le sanguinem fudit,& mortuus est, vt esset preciũ sa
ficiens ꝓ peccatis nostris, 1. Cor. 6. Empti enim est
precio magno,& 1. Pet. 1. Scientes quòd nõ corrupt
bilibus auro & argento redẽpti estis, &c. Sed sangu
ne agni &c. Et quoniam Deus propter filium suum
qui dedit semetipsum pro nobis hostiam, vult iustifi
care & saluare, & non propter merita nostra tanqu
causam, ideò prædicat Euangelium, & exinde ven
quòd gratis iustificamur & saluamur: Nam salut
fons & causa est Christus, non nostra merita. Nihi
ne itaq; ex parte hominis exigitur? Respondeo: D
stributio & acceptio exigunt pœnitentiam & Fide
nam causa beneficiorum est Christus, sed vt illa m
fiant, & distribuantur mihi, exigitur à me pœnite

tia, id est, cessatio à peccatis lege prohibitis, & ab alijs peccatis, quibus natura nostra est oppressa: & si ab illis cessare non possumus in hac vita, studendum tamen est, ne regnent, Roman. 6. & quotidie orandum, vt dimittantur nobis debita nostra, Matt. 6. Deindè exigitur Fides, id est, vera cordis fiducia & optatio, vt Deus pater exhibeat ex misericordia beneficia Christi, & non dubitare quin ita accipiat, vt credit certissimè sibi contingi. Nam Fides apprænendit Christū, quæ etiam illi communicat bona Christi. Sic iubet Christus prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum, Lucæ vltimo. Et Marci 1. inquit: Pœnitemini, & credite Euangelio. Et sic Christus causa est iustificationis: Pœnitentia & fides sunt media, per quæ accipio & apprehendo, & particeps efficior in Sacramentis bonorum Christi: & ne dubitem de hoc, ipsa Sacramenta, sigilla & testes sunt, atque me certificant. Particula igitur, Gratis, non excludit Fidem & pœnitentiam præcedentem iustificationem, neq; sequentem iustificationem legis obedientiam: immò hęc maximè exiguntur, tùm ad accipiendam, tùm ad retinendam iustificationē: sed causam beneficij, id est, iustificationis & salutis adimit nostrę dignitati operum, & transfert in Christum: & hoc ideò, vt beneficium sit certum, Roman. 4. Illam enim certitudinem ademit nostris operibus Christus, quando dixit Lucę 17. Quando omnia feceritis, dicite, quia serui inutiles sumus. Ideò non possumus nobis statuere certitudinem ex nostris operibus, sed in Christo est promissio iustificationis firma, & hanc doctrinam maximè defendit Apostolus ad Rom. & Galatas contra Iudęos, qui iustitiam tribuebant operibus legis.

Nullumne ergò est præmium nostrorum operum, quia Deus gratis iustificat & saluat? Respōdeo, maximè est præmium operum nostrorum, & in hac 3.

& post hanc vitã, spiritualiter & corporaliter: nam 1. Cor. 3. dicit Apostolus: Vnusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem, Matth. 5. 16. & Ioan. 5. Sed hoc præmiũ est ex promissione gratuita Dei propter fidem in Christũ. Deus enim quia promisit compensationem operum nostrorum gloria æterna: ideò est præmium, & hæc promissio præmij non oritur ab operibus nostris operatis, sed à benigna & liberali voluntate & pietate Dei: nam operibus nostris ex debito Deus nihil debet, Luc. 17. Ideò etsi pro operibus promittit & donat vitam æternam & præmiũ, tamen hoc est misericordia & gratia, non debitũ; nemo ergo ad opera respicit, sed in Dei promissionem. Et sic ab initio docuit Ecclesia, quoniam opera nostra sunt meritoria gloriæ ex gratia, promissione, & pacto. Tolle gratiam ab operibus, & nullum erit præmium: tolle filiationem à filio, & nihil ad eum pertinebit hæreditatis: Et quid est esse meritorium ex gratia, nisi hoc esse ex misericordia & fauore meritorium, non ex debito? Semper igitur manet misericordia Dei: & quoniã Deus gratuita sua voluntate vult nobis hoc sic esse meritorium, ideò particula, Gratis, semper manet, & semper nostris operibus adimit causam meriti, & transfert in Christum. Nam gratia vel donum Dei est vita æterna, Roman. 6. Nihil hactenus ademptum est de gloria gratiæ, de merito mortis Christi: nam promissio præmij, oritur à Dei pietate, & non ab operibus nostris operatis, vt dictũ est. Si Ecclesia crederet & doceret, quòd opera nostra essent causa remissionis peccatorum & salutis, tunc Christus gratis veniisset, Galat. 2. & hoc derogaret passioni illius, essetque apostasia à fide & scriptura, quæ vbique docet, quòd propter nomen IESV eiusq; mortem, accipimus remissionem & salutem, Actor. 10. Sed quoniam docet, quòd Christus est vltima & causa salutis totius mundi, & quòd illius beneficia

neficia nobis exhibentur per pœnitentiam & fidem, & retinentur per obedientiam legis, non propter illa nostra media, quanuis necessariò exigantur, sed propter suam bonitatem & misericordiam, hæc omnia nobis contingere: ideò nullum est conscientiæ periculum, & liberatur Ecclesia à conuicijs & calumnijs aduersariorum. Quòd verò Christus promiserit operibus ex gratia salutem & præmia multa, patet Matthei 19. Luc. 18. vbi Petrus quęrit, quid meruerit operibus suis &c. Et 1. Tim. 4. inquit Apostolus: Pietas ad omnia vtilis est. Lege suprà cap. 10. de bonis operib⁹. Plurimùm ergò sunt distinguenda opera Christi, quę ipse fecit: scilicet, natus, tentatus, ieiunauit, orauit, prædicauit, passus, resurrexit, cęlos ascendit, &c. ab operibus nostris, ieiunio, oratione, vigilia, obseruantia præceptorum, ac cæremoniarum &c. priora opera fecit filius Dei, nostra facit solùm homo: illa vincunt mortem, peccatum, & Sathanam: non autem nostra hoc faciunt, eo quòd sunt imperfecta & fiunt carne impura.

CAP. XXXV.

ARGVMENTA.

1. *Quis hominum viuat in Christo.*
2. *Quomodò Deus ac Christus habitat & viuit in nobis.*
3. *Qui viuunt in Sathana, & in quibus ille viuit.*

APostolus inquit Gal. 2. Quòd nunc viuo in carne, parum est, & non multùm curandum: sed quòd in fide filij Dei viuo, qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me, hoc salutare est. Viuere ergò in Christo, hoc est credere, illum esse suam iustitiam, sapiętiam & sanctitatem, ac redemptorem coram Deo 1.

patre, à quo illi donatus est Christus, 1. Corinth. 1. In tali fide consistit vera spiritualis Christiani vita, quæ multò nobilior est carnali vita nostra: Quasi diceret Apostolus: In carne quidem ego viuo, comedo, bibo, dormio, ambulo, &cæt. Sed hanc vitam, quantulacunq; est, nō habeo pro vera vita, sed illam quę est in fide filij Dei viuentis, hæc fides est vera vita animæ, in tentatione peccati, mortis & Sathanæ: ideò dicebat Prophe. Psal. 118. Viuifica me secundùm verbum tuum: sic ad Colossen. 3. inquit Apostolus: Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Quantumcunq; ergò mūdus oppugnet & persequatur nos, & corpus sit fragile atq; moribūdum, anima tamen semper viuit fide filij Dei, quæ est victima pro peccatis nostris, Esai. 53. Hæc fides & vita in Christo, est illa interna pax & gaudium conscientiæ, de qua dixit Christus Ioan. 16 In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem conscientiæ. Et hanc vitam nemo potest à nobis tollere, nisi desperatio de Christo, & illam vitam in Christo absconditam mundus non videt nec intelligit, sed in tribulatione inquit ad Christianos, sicut Iudæi Christo dicebant in cruce: Veniat Deus liberans eum: sic vbi succumbunt huius mundi malis Christiani, inquiunt impij: Vbi est Deus eorum? Psal. 78. & 113. Nostra consolatio consistit in vita fidei qua scimus nos non derelictos, nec derelinqui, etiamsi totus mundus & omnia elementa minantur contraria. Sic inquit Christus Ioan. 16. Confidite, quia ego vici mundum. & Roman. 10. Omnis qni credit in illum, non confundetur.

Iudit. 7.
Ioel. 2.

2. Apostolus inquit ad Gala 2. Viuo iam non ego sed viuit in me Christus: Quasi dicat Apostolus, mea vita non viuo: alioqui lex dominaretur mihi, meq; captiuum retineret: omnis enim homo, iuxta naturalem & animalem vitam, est subiectus legi. Et quoniam legem non seruat, ob id est mortis filius: ergò ne lex

captiuet

captiuet & retineat ad mortem, per aliam legem, scilicet Fidei in Christum, liberatus sum. Hîc Christus in me viuit, qui est Dominus legis & peccati & inferni. In illo ergò Christus viuit, qui credit, quòd Christus resurrexit propter suam iustificationem, Roma. 4. id est, quòd in accusatione legis & peccati, propter Christū reputetur iustus ac sanctus, veluti si ipse legi satisfeciſſet. Summa, qui ignorat propriam iustitiam ac sapientiam, & solùm fidit Christi iustitiæ ac illius beneficijs, non quidem ne faciat iustitiam, sed ne in propria fidat, sicut Iudęi faciunt Roman. 10. volentes suam iustitiam statuere, & iustitiæ Dei nõn sunt subiecti. Sic Apostolus 1. Corinth. 2. nihil ait se scire, nisi Christum & hunc crucifixū: hæc est enim summa iustitia & sapientia Christiani, nam alteram quæ ex lege est, idem Apostolus reputauit vt stercora, Philip. 3. vt illam lucrifaceret. Viuit quoq; Christus in nobis, quando in nobis regnat fructibus regni sui. regnum enim Christi est aliud nihil, nisi iustitia, humilitas, charitas, patientia, misericordia, castitas, Fides, longanimitas, &c. nam illi sunt fructus Spiritussancti, Galat. 5. Hoc regnum inprimis quærere iubet Christus Matt. 6. scilicet ne in nobis peccatum regnet, superbia, luxuria, &c. sed vt ipse in nobis viuat & imperet, sicut Rex in regno suo, vt illi obediẽtiam præstemus. Tunc enim in nobis viuit Christus, quàm diù eum fide retinemus in corde nostro, & illum vt vnicum nostrum redemptorem amplectimur. Sic petijt Apostolus pro suis Ephesijs, 3. cap. inquiẽs, Flecto genua mea &c. vt det vobis Christum viuere & habitare in cordibus vestris per fidem, &c. Hoc quoque docuit Christus, orare scilicet, Adueniat regnum tuum, eò quòd gratia D E I cum omnibus suis virtutibus oportet ad nos veniat. Nam nos ex natura nostra nũquàm ad illud venimus, sicut Christus scilicet venit ad nos: alioqui ex nobis nunquàm ad ipsum veniſſemus,

mus. Hoc regnum Dei intra nos est, Luc. 17. & nõ in. digemus hoc è mari vel è longinquo auferre: nec in vestitu, loco aut cibo consistit, Rom. 14. Sed in pietate, humilitate, misericordia, patientia, &c. Exteriora tamen ad retentionem virtutum conducunt, licet nõ conferant. Sic igitur viuit Christus in nobis, quandò virtutes illius imitamur, patiẽtiam, dilectionem, &c.

3. Sathan princeps huius mundi dicitur, Ioan. 14. eò quòd & ipse suum habet regnum in mundo: in illo enim regno sunt vitia omnia capitalia, superbia, luxuria, auaritia, adulterium, amaritudo, inimicitiæ, &c. sicut Apostolus ad Galat. 5. describit opera carnis. Omnis ergò qui in vitijs delectatur, & incessanter his tenetur captiuus, hic viuit in sathana, & sathanas in illo, & ille impellit eos in omnis generis errores, flagitia, ac pœnas corporales, bella & incendia, & alias calamitates. Omnis ergò qui in tali regno viuit delectabiliter, is nõ peruenit ad regnum Dei, sicut Apostolus testatur, 1. Cor. 6. Rom. 1. Ephes. 5. ad Galat. 5. ait: Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, sed inquis: si hoc est esse in regno Sathanæ & in illo viuere, qui in peccatis est, nemo erit in regno Christi. Respondeo: In regno sathanæ esse contingit dupliciter: voluntariè, & non voluntariè. Non voluntariè sunt, qui sentiunt in carne peccatum, superbiam, luxuriam, gulam, &c. attamen dolent, & nõ consentiunt, sed clamãt ad Deum, vt suum adueniat regnum, vtq; liberentur à malo, Matt. 6. & hoc iubet Apostolus, ad Romanos suos 6. cap. inquiens: Non regnet peccatum in mortali vestro corpore. Voluntariè autem sunt in regno sathanæ, qui sequuntur & perficiunt cupiditates suæ carnis, & delectãtur illis, idq; cum proposito peccandi, & in peccatis perseuerandi, ac scienter præcepta Dei transgrediendi: Illi non sunt Christi, quia non crucifigunt carnem cum concupiscentijs suis, Galat. 5. Peccare cum proposito

contra

contra legem Dei, & peccare ex infirmitate naturæ contra propositum, differunt.

CAPVT XXXVI.

ARGVMENTA.

1. *Quomodò oporteat opus dilectionis Dei erga nos, primùm credere & per fidem accipere.*
2. *Quomodò acceptum Christi beneficium, causa est dilectionis nostræ erga Christum.*
3. *Quòd oporteat fructus & opera dilectionis ostendere, alioqui Christi beneficium, id est, iustificatio, non retinetur.*

PRimus dilectionis Dei maximũ erga nos, est, quòd dedit nobis filium suum vnigenitum in redemptorẽ à peccatis nostris, & saluatorem à sathana & inferno. Ioan. tertio: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, &c. Roman. 5. Commẽdat Deus charitatem suam in nobis, quoniam Christus pro impijs mortuus est, & 1. Ioan. 4. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit in mundum, vt viuamus per eum. Sic vbique scriptura commendat nobis hoc maximum opus dilectionis Dei erga nos, quòd filium suum ex gratuita dilectione nobis dedit, non aliquo merito nostro præcedente, neque quòd nos primùm illum dilexerimus, sed quòd ipse prior dilexit nos, 1. Ioan. 4. primum lapidem ipse posuit, & etiam cùm inimici essemus, Roman. 5. Hoc simpliciter credere oportet, & nullatenùs hîc dubitare, quòd ex nimia charitate nobis sit datus filius Dei in redemptorem. Præcedit ergò hoc opus Dei dilectionis, nostram & fidem & dilectionem, opera ac merita. 1.

Nam

Nam ante constitutionem mundi elegit nos patet in Christo, vt laudetur gloria gratiæ suæ, Ephes. 1. Igitur Euangelium proponitur, vbi primò fides nostra exigitur, vt credamus Christum pro nobis mortuum. Roman. quarto, & fides nostra præcedit dilectionem & opera, & sola accipit Christi beneficium: Nam illa fides sic reputatur ad iustitiam credenti, Rom. 4. ante omne opus nostrum operatum. Viua ergò fides accipit iustificationem sine merito præcedēti operum legis, Rom 3. Arbitramur hominē iustificari gratis sine operibus legis, &c. Oportet enim vt primò quis credat in Christum, antequàm diligat aut quippiā operetur: præcedit ergò fides Christi dilectionē & opera.

2. Acceptum Christi beneficium per fidem, causa est dilectionis nostræ ad Christum. nam fides accipit remissionem peccatorum. Quę remissio gratuita, hoc inquam beneficium gratuitum, causa est dilectionis nostrę: quare dilectio sequitur beneficiū remissionis peccatorum, & remissio peccatorū est ante dilectionē nostrā. Sic inquit Christus Luc. 7. Cui parùm dimittitur, parùm diligit: & cui multùm dimittitur, multùm diligit. Dimissio ergò peccati præcedit, deinde sequitur secūdùm gradus etiam dilectio. Nam beneficium est causa dilectionis: nemo gratis diligit, sed causam habet dilectio, siue id sit donum, aut beneficium, aut amicitia, &c. Ex quo sequitur, quòd remissio peccatorum siue donum aliquod, non contingat propter dilectionem quam habet accipiens, sed ex dilectione datoris, ante dilectionem recipientis: ita quod causa remissionis nō esse potest nostra dilectio, quæ nondum est, sed causa est in Deo & eius misericordia & ratio Fidei illam accipit, quare non propter dilectionem, sed propter fidem primò accipitur iustificatio & remissio peccatorum. Insuper sequitur, quòd authoritate Apostoli ad Galat. 5. scilicet, Fides quæ per dilectionem operatur, sanè est intelligenda: Non quòd

quòd simul Fides & charitas, vel quòd fides propter charitatē vel fides formata charitate iustificet & accipiat remissionem peccatorum, hæc in opere iustificationis non valent, ibi ratio Fidei agit cum Christo sine dilectione vel opere, sed gratis accipiet ex misericordia propter Christum. At extra opus iustificationis in illum finē, vt retineatur remissio peccatorum & iustificatio, vt fides ostēdatur & manifesta fiat per dilectionem, aut ne mortua sit Fides, vt Iacobus 2. capite dicit, vtque vera & efficax sit fides, necessariò debet sequi dilectio, quæ operatur fructus Spiritussancti, Gal. 5. & obedientiam legis, 1. Tim. 1. Finis præcepti charitas est de corde puro, conscientia bona, & fide nō ficta: oportet enim primùm habere cor purū, & hoc purificat fides, Act. 15. conscientiam bonam per fidem non fictam, & ex illis procedit & sequitur charitas: ratio ergò Fidei ante omnem dilectionem & opera accipit Christi beneficiū, deindè acceptum beneficium gratis, causa est dilectionis, quam operatur Spiritussanctus, qui datur per fidem in Christū, vel ex auditu fidei, id est, verbo Dei, Galat. tertio. Ex operibus legis, an ex auditu Fidei? sicut scriptum est, Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, &cæt. Genes. 15. Sequitur ergò Fidem dilectio, tatquàm gratitudo pro accepto beneficio per fidem.

Illa Dilectio quæ fidem sequitur, oportet vt ostendatur & cognoscatur foris per opera & fructus, per obseruantiam & obedientiam præceptorum. Quæ obedientia si non ex dilectione erga proximum pro accepto beneficio sequitur, fides illa non est vera aut viua, nec retinet iustitiam Christi: nam si secundùm carnem ambulaueritis, moriemini, inquit Apostolus Rom. 8. Necessariò igitur debent sequi fructus & obedientia legis ipsam Fidem, ideò inquit Apostolus: Fides quæ per dilectionem operatur: non inquit, fides quæ per dilectionem iustificat, quia fides iam accepit 3.

cepit iustificationem: sed vt hęc nunc testificetur, tam quam vera, dilectio operosa sequi debet.

Insuper Christus sæpè in Euangelio inquit, Luc. 7. septimo. Fides tua te saluum fecit, id est, iuuit: nō inquit Christus, fides & dilectio tua simul te iustificāt, sed dat locum Fidei: sed tamen necessariò sequi debet dilectio, quæ legem implet, quæ impletio & bona opera si non fiunt ex fide Christi & sequuntur, tunc Fides illa nulla est. Igitur quod dicunt veteres, Fides formata charitate iustificat: sic est intelligendum, quia fides per charitatem operosa, retinet iustificationem, quam primò fides accepit.

Igitur si non adsunt opera sequentia fidem, Fides illa nec accepit, nec retinet iustificationem. Quo fit, quòd dum recentiores vrgent solam fidem iustificare, hoc intelligunt quoad acceptionem, quòd Fides ante omne opus accipit iustificationem gratis: sed quoniam iustificatio illa nulla est, nec retinetur nec efficax est sine operibus sequentibus aut obedientia legis, ideò dicitur quòd non sola Fides, sed illa quæ operatur per dilectionem, sit meritoria, retineat iustificationem, & saluet. Quid enim prodesset accepisse iustificationem, si non esset efficax nec retineretur? Hæc autem retentio contingit per dilectionem, opera & obedientiam legis. Fides vnico quasi momento primò appræhēdit Christum & sua beneficia, deindè Spiritum sanctum qui operatur suos fructus, Gala. 5. id est, charitatem, timorem, & omnia pia opera: quandò ergò fructus Spiritus sancti non sequuntur, nec etiam ibi fides est, & charitas est fructus Spiritus sancti. Dum ergo obedientia legis non sequitur fidem, & Christiana seu innocens vita, ibi, nec Fides nec iustificatio est. Opera ergò siue dilectio sunt testes veræ fidei & iustificationis.

Caput

CAPVT XXXVII.

ARGVMENTA.

1. *Quòd primum opus atq; præcipua virtus post fidem in homine iustificato, est dilectio, qua Deus gratis propter semetipsum diligitur, & proximus propter Deum.*
2. *Quid sit dilectio proximi, & eius virtus atq; conditiones.*
3. *Quòd dilectio implet legem, & sua habet præmia hic & in futuro.*

CHristus in scriptura vbiq; in credentibus vrget & exigit ac præcipit dilectionem, quòd necessariò sequi debeat fidem, veluti primum opus & fructum primarium fidei. Vndè & à Paulo locatur dilectio primo loco inter fructus Spiritussancti. Et primò, vt diligatur Deus, qui sine nostro merito nos saluos fecit per filium suum: hæc Dei bonitas & misericordia diligenda est, & Deus propter semetipsum & suam bonitatẽ. Qui enim Deũ habet, is quoque quod minus, id est, cœlum habebit: qui verò Deũ non habet, illum sequitur necessariò infernus. Plus est Deus ipse, quàm eius dona. Psal. 17. Diligã te Domine fortitudo mea. & Psal. 5. Gloriabuntur omnes in te qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices iusto. & Psal 30. Diligite dominum omnes sancti eius, quoniã veritatem requiret Dominus. & 1. Ioan. 4. Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Quia ergò propter gratuitam eius bonitatem, qua dilexit nos etiam cùm inimici essemus, Roma 5. nos saluat, debemus & nos potiùs hanc bonitatem Dei & misericordiam diligere, quàm ipsam nostram salutem; 1.

lutem, eò quòd Deus ſuper omnia eſt diligendus, & ex toto corde & anima, vt Deuter. 6. Hunc quoq; gloriæ & gratiæ titulum ſibi retinet Deus, vt propter ſemetipſum & Chriſtum filium ſuum potiùs donet, & concedat omnia, quàm propter noſtra opera operata, ſiue ſit oratio, ieiunium, &c. ideoq; magis perſona Dei à nobis diligenda eſt, quàm eius munera: nam plus eſt Deus, quàm cœlum vel infernus. Licet non orare debeamus, attamen in nomine Chriſti exaudimur, Ioan. 16. Gratuita ergò miſericordia & pietas Dei nobis oſtenſa per filium, noſtrum redemptorem, cauſa eſt noſtræ dilectionis.

2. Non ſolùm Deus propter ſemetipſum diligendus eſt, ſed etiam proximus, vir & vxor, liberi, vicini ac bona ipſorum temporalia & ſucceſſus propter Deum, non ꝓpter ſemetipſa & propriam conditionẽ, ita vt antequàm offendatur Deus, quis paratus ſit potiùs omnia relinquere & carere, quàm deũ ſuum. Sic enim dicit Chriſtus Mat. 10. Qui amat patrem aut matrem pluſquàm me, nõ eſt me dignus: ibi ſummã omnium temporaliũ rerum cõpręhendit: nam plus nobis ſunt parẽtes, q̃ diuitiæ & honores &c. Igitur ꝓpter Deum diligẽdus eſt proximus: nã ſi ſolũ illos diligimus, qui nos diligũt, & benefacimus ijs qui hîc nobis benefaciunt, quæ merces? quantum diſtamus ab Ethnicis & Iudæis? Ideò non propter beneficia ſua proximus, ſed ꝓpter ipſum Deum diligẽdus eſt. Cauſa & fons dilectionis huius eſſe debet ipſe Chriſtus, qui præterquã ꝙ noſtra peccata portauit, etiam benefecit, & magnã habebit ꝓmium apud Deũ. Ioan. 15. Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis vos inuicem, ſicut ego dilexi vos, id eſt, gratis propter meã bonitatem, non propter veſtra opera operata: ſic & nos propter Chriſtum diuerſo ꝓximum diligere debemus, nõ principaliter reſpicere ad facta proximi. At inquis: Quid igitur eſt dilectio vel charitas ꝓximi? Reſpõdeo: Charitas vir-

tus e

tus est, quam non habet in se nostra natura, sed donatur à spiritu sancto homini ꝓpter fidem in Christum qua diligitur Deus sup omnia, & proximus propter Deū, sicuti homo seipsum diligit, & Apostolus vocat charitatem fructum spiritus sancti, Galat. 5. sed qualiter ostendatur, & quid operetur charitas, Apostolus 1. Cor. 13, docet per varios gradus & mēbra, & inquit: Charitas patiēs est, scilicet in aduersis: cogitat enim: si Deus pro te tāta passus est, patere & tu hoc propter ipsum, quia scriptum est Matth. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Vbi ergò nulla est patientia in aduersis & infirmitatibus, ibi adhuc nulla est charitas. Secundò charitas benigna, id est, neminem vitat, sicut Christus non reiecit peccatores, sed dixit; Venit filius hominis quærere & saluum facere quod perierat, Lucæ 19. Tertiò charitas non æmulatur, id est, non est inuida (neydisch/) sed fauet suo proximo commoda, diuitias, honores, & quicquid DEVS ei fauet. Quartò, charitas non agit perperam, id est, occultè machinando, prodendo, decipiendo, practicando, sed facit sicut sibi velit fieri, vt Matth. 7. Omnia quæcūq; vultis vt faciāt vobis homines, ita & vos facite illis. Quintò charitas nō est fastidiosa (hönisch) verbo vel signo. Matth. 5. Qui dixerit fratri suo racha &c. Charitas non inflatur, id est, non reputat se sanctiorem, doctiorem, meliorem cæteris, sed potiùs omnibus inferiorem. Rom. 12. Honore inuicem præuenientes Charitas non quærit quę sua sunt, sed Dei honorem & proximi vtilitatem. Non irritatur, scilicet vt percutiat, vulneret, conuicietur, insaniat ira erga proximum. Luc. sexto. Dimitte, & dimittemini; seu dimittetur vobis. Non cogitat malum, id est, vindictam inferre aut nocere proximo, neque minatur exemplo Christi, qui cùm malediceretur & pate-

retur, non comminabatur, I. Pet. 2. Non gaudet super iniquitate, id est, damno vel malo proximi, sed flet cũ flentibus, Rom. 12. Et congaudet veritati, vbi scilicet gloria Dei prędicatur & proximi vtilitas. Psal. 4. & perdes omnes qui loquuntur mendacium. Charitas omnia suffert propter Christum, eius vestigia sequẽs, 1. Pet. 2. Omnia credit, non est suspitiosa vel pertinax in sua opinione. Omnia sperat, non dubitans ea consequi quæ à Deo & proximo promissa sunt: Omnia sustinet propter Dei gloriam & commodum proximi sui. Roman. 8. Quis seperabit nos à charitate Dei &c. Summa, sine illa non valent linguæ, non scientia, non fides, nec castigatio corporis, nec Eleemosyna, inquit Apostolus, neque oratio, vel id genus alia. Nã hoc prędceptum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum, 1. Ioan. 4. Qui enim dicit, diligo Deum & fratrem suum odit, mendax est &c? & Christus inquit Matth. 5. Vade primùm reconciliari fratri tuo. Vbi ergò dilectio proximi non est, ibi nec iustitia retinetur, nec opera, etiam qualiacunq;, sunt efficacia donec inuidia erga proximum durat.

3. Hæc dilectio legem Dei implet, sicut inquit Apostolus Roman. 13. Qui diligit proximum, legem adimplet. Nam qui diligit proximum suum, non habet rem cum vxore eius: non occidit illum, non furatur ei, & si quid aliud est in lege mandatum, illa omnia in hoc verbo, Diliges proximum tuum sicut teipsum, instaurantur. Plenitudo ergò legis est dilectio. Hanc Christus vbique præcipit & vrget, & magna habebit præmia in hac & post hanc vitam. Ideò inquit Apostolus, Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis: erit enim in nouissimis diebus signũ diei nouissimi de propinquo futurum, quandò charitas omnis refrixerit, & iniquitas abundabit, Matth. 24. Et hanc dilectionem iam ignorat mundus, & maximè gloriatores Euangelij. Quare ante omnia diligi debet pri-

Rom. 13.

bet primùm Deus propter semetipsum, deindè proximus noster propter Deū. si quęras, quomodò debeat opus hominis fieri ex charitate, sicut iubet Apostol⁹ 1.Cor.16. Omnia vestra in charitate fiant: respōdeo, tunc fit opus ex charitate, quādò propter ipsum Deū fit, propter eius bonitatem, & non propter munera vel dona, id est, nec propter cœlum, nec timore inferni: sicut filius diligit patrem, eò quòd pater eius est, non principaliter propter hæreditatem, & sponsus sponsam propter semetipsam, non propter concubitum. Alioqui hæc dilectio esset seruilis & mercenaria. Igitur homo debet intentionem suam dirigere principaliter in DEVM ipsum, & ad gloriam eius facere quæ facit, deindè sperare quia debet illi Deus regnum cœlorum, & custodiet à pœna æterna propter suam promissionem: ipse enim promisit præmia benefacientibus. Ideò causa præmij est sua gratuita voluntas & promissio, non opus nostrum operatum. Ipse certissimè seruabit suam promissionèm. Saltem tu ex charitate facias quæ facis, id est, propter ipsum Deum. Sic inquit Dauid Psalmo 118. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas, id est, principaliter propter temetipsum: deindè propter retributionem, quam tu promisisti, non quam ego merui. Deus igitur omnibus est præferendus, nec ei placet seruitium, quod fit, contempto eo, propter dona. Et patri displicet filius, qui ipsum solum diligit ob diuitias, & sponsæ sponsus, quia hoc non fit ex charitate. Debent igitur omnia nostra fieri ex charitate propter ipsum Deum & personam eius principaliter. Deindè speramus dona eius propter promissionem, non vt nos illa mereamur. Sic diligimus patrem cœlestem, & petimus panem quotidianum, & hunc panem donabit filijs propter suam promissionem, non propter orationem nostram, licet illa maximè exigatur. Non nobis Domine, non nobis, sed no-

mini tuo da gloriam, inquit Propheta. Sperare debeo dona Dei, sed propter illa non mea opera facere, sed ex charitate, sicut filius seruit patri primò, quia pater eius est: deindè, quia sperat hæreditatem: at seruus solùm seruit propter precium &c. Dilectio est immerita misericordia, fauor, gratia, quæ exhibetur proximo propter Christum, hoc est, fit propter Christum & illum respicit, nō promeritum proximi vel odiū, eò quod dilectio est immerita gratia vel fauor immeritus, qui exhibetur proximo ꝓpter Deū.

CAP. XXXVIII.

ARGVMENTA.

1. *Quarè Deus est timendus ne peccemus.*
2. *Quomodò peius contingit relabētibus in priſtina vitia, & hic, & in futura vita.*
3. *Quòd timentibus Deum ſemper proſperè & benè omnia ſuccedunt.*

1. DVO nos allicere debent ad timorē Dei, ne peccemus: primò, quia pater est: ideò charitas nos debet abstrahere à peccato, vt timeamus, ne offendatur pater cœleſtis. Mal. 1. Si ego Dominus veſter, vbi est timor meus? bonus filius qui patrem diligit, is timet eum offendere. Eccleſ. 1. Timor Domini expellit peccatum. Nam qui ſine timore est, non poterit iuſtificari. Signanter inquit, timor Domini: non dicit, timor pœnæ, aut timor perditionis diuitiarum vel ſalutis, ſed, Domini. Secundò, ad timorem nos allicere debet ne peccemus, grauitas peccati. Sic enim Deus deteſtatur peccatum, vt de illo placari non potuerit, niſi filius ſuus occideretur. Non igitur leuis res est, peccare & Deum offendere. Eſa. 53. Po-

ſuit

fuit in eo iniquitatem omnium nostrûm, & nos li- 1. Pet. 2.
uore eius sanati sumus. Maximè ergò nobis incute-
re debet timorem, ne iterùm peccemus, tàm grauis
offensio Dei, peccare contra legem DEI. Vbique
ergò scriptura admonet, vt nunc iustificati, cessemus
peccare.

Deindè terrere nos debet, vt Deum timeamus, ne 2.
nobis iam iustificatis peiùs contingat, si sine timore
Dei relapsi fuerimus: Sic inquit Christus Ioan. 5. Ec-
ce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi
aliquid contingat. & 2. Pet. 2. Qui rursus peccatis im-
plicatur, fiunt posteriora eius peiora prioribus: me-
lius enim erat, eos nõ cognouisse veritatem, &c. Ca-
nis reuersus ad vomitum, & sus lota ad volutabrum
luti. Extant quoq; exempla terribilissima Adæ in in-
nocentia creati, Genes. 2. Quam dum peccando per-
deret, ipsa & tota eius posteritas punita est: quid pro-
fuit habuisse innocentiã, quam peccãdo iterùm per-
didit? Insuper Exod. 20. minatur Deus in tertiam &
quartam generationem punitionem trãsgressoribus
suorum mandatorum, qui Deum non timent. Et Ex-
odi 32. adorationem vituli occisione 23. millium vin-
dicauit, & domus Hieroboam, qui erexit duos vitu-
los aureos, nouum erigens cultum Dei, & instituit
sacerdotes infimos de populo, penitùs deletur, 3 Re-
gum 14. Chore, Dathan & Abiron, in re Ecclesiastica
volebant pares esse Moysi & Aaroni, & deuorantur à
terra viui, Numer. 16. quid profuit illis exiuisse Ae-
gypto? Punitur quoq; populus fame & carentia plu-
uię per annos tres & menses sex propter claudicatio-
nem in fide, 3. Reg. 18. ad vtrãq; partem, sicut impro-
perat illis Helias Propheta. Murmur populi & inobe
dientia plectitur sensim morte sexcẽtorum millium
virorum, Num. 14 & à serpentibus interficiũtur &c.
Maria Moysis soror lepra percutitur, Numer. 12 cap.
Blasphemus lapidatur Leui. 24. temerãs sabbathum,

lapidatur Num.15. Achan fur lapidatur Ioſu.7.adul. ter lapidatur Leuit.20.Magiſtratus negligens,pecca. ta populi non corrigens,punitur Num.25. Superbia Regentium punitur peſte & bello,2. Reg.24. Negli. gentia correptionis filiorum, punitur 1. Reg.2. &4. de Heli. & quadraginta pueri lacerantur ab vrſis,4. Reg.2. Et Chriſtus in nouo teſtrmento Matt.7. Non omnis qui dicit mihi,Domine Domine,&c. Et Matt. 12. De omni verbo ocioſo reddet homo rationem &c & Mat.18.de dimiſſione offenſę,& 23.de væ Phariſęo. rum,& Apoſtolus 1. Cor,6. Neq; fornicarij,neq; adul teri &c.Epheſ.5.Gal.5. Et cōcludit quòd talia facien tes, non poſſidebunt regnum Dei. Meritò ergò hæc & ſimilia horum, nobis terrorem incutere debent & timorem à peccatis.Nam nihil proderit eſſe baptiza. tum,& ſemel iuſtificatum, ſi non retineatur illa ſan. ctificatio.Rom.8.Si ſecundùm carnem vixeritis,mo. riemini.Ideò ſumma prædicationis Apoſtolorū fuit, inculcare fidem in Chriſtum, qua iuſtificaremur:de. indè,vt acceptam iuſtitiam retinerent per bona ope. ra & timorem à peccatis, ſicut patet Hebręor.nono, 1. Petri 2.& 1. Corinth.5. Punitur ergò illa transgreſ. ſio,ſi ex certa malitia fit,hîc & in futura vita. Nō igi. tur in ventum eſt faciliter reijciēdum peccatum, aut quòd inani fiducia gloriemur de Dei miſericordia, & intereà ſine omni timore Dei viuere: tā lex quàm Euangelium hæc exempla iuſtitiæ DEI nobis pro. ponunt,vt timeamus peccare,& Deum denuò offen. dere, claris verbis dicit Ioan. quinto. Et procedent qui bona fecerunt,in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt,in reſurrectionem iudicij Apud Matt. verò.Ibunt hi(ſcilicet qui à ſiniſtris erunt) in ſuppli. cium æternum,iuſti autem in vitam æternam. Cogi. tare enim & hoc debemus ſemper, ſcilicet futurum iudicium, quo cuiq; reddetur ſecundùm opera ſua, Matth.16.primo Corinthiorum tertiò,& non ſolùm

gloriari

gloriari de redemptione & misericordia Dei.

Sapiens inquit Eccl. 23. Nihil melius est super terra timore Dei: quid aurum? quid honores sine timore Dei? Et Psal. 18. inquit Propheta: Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi, id est, timentes Deum permanebunt & conseruabuntur in mundo, quantumcunque tyranni & suppressores pauperum tumultuentur Si enim pro illis Deus, quis contra eos? Rom. 8. Sic quoque beata virgo canit Lucæ 1. Et misericordia eius à progenie in progeniem timentibus eum. Et Psal. 33. inquit Dauid: Timete Dominũ omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum in veritate. & Christus quoq; Mat. 10. inquit, Timete eum qui potest corpus & animam perdere in gehennam. Summa, qui timet Deum, is non peccat, is faciet bona, & hic non relinquetur à Deo tam in hac, quàm post hanc vitam. Ideò parentes vehemẽter inculcare tenentur pueris timorem Dei ac punitionem peccatorum, sicut dixerunt Angeli ad Abraham Gen. 18. Nihil ergo proderit, esse receptum in gratia, nisi in timore Domini custodierimus thesaurum. 3.

CAPVT XXXIX.

ARGVMENTA.

1. *Quid Apostolus vocet conscientiam, & quid cauterizatam conscientiam.*
2. *Quòd maxima cõsolatio hominis coram Deo & mundo in rebus & fama, sit testimonium internum conscientiæ.*
3. *Quòd sicut nihil est melius bona conscientia, ita nihil peius mala conscientia homini.*

APostolus loquitur ad Timotheum, scribens de duplici hominis conscientia, & & de bona inquit 1. Tim. 1. Finis præcepti est charitas, de corde puro, & con- 1.

ſcientia bona, & fide non ficta. fides enim purificat cor & conſcientiam. Igitur ea conſcientia bona dicitur, quæ eſt purificata fide, Act. 15. fide purificãs corda illorum, ſcilicet qui credunt quòd datus ſit nobis Chriſtus à Deo ſapientia, iuſtitia, 1. Cor. 1. & redemptio, & quòd mortuus eſt pro peccatis noſtris, Ro. 4. & hanc fidẽ ſequitur charitas erga Deum propter acceptum beneficium, quę non indiget lege, ſed à ſemetipſa facit ea quæ ſunt legis. Et eam conſcientiam vocat Apoſtolus bonam, quæ omnia ex amore Dei liberè facit in gratiarum actionẽ recepti beneficij. Inſuper conſcientia bona dicitur, quæ præfert & pluris æſtimat verbum Dei, præcepta Dei, fidem, timorem, dilectionem, miſericordiam, patientiam, veritatem, & cæteras huiuſmodi virtutes interiores, & verum Dei cultum, ne talis violetur aut negligatur, quàm traditiones humanas, ac reliqua minora præcepta & opera. Nam bona conſcientia potiùs dolet, ſi violatur Dei præceptum, Euangelium, aut ſi quid eſt huiuſmodi, quòd ſcriptura manifeſtè prohibet, quàm ſi negligatur præceptum hominum, quanquam & illud in loco ſuo non ſit temerè violandum: Reſpicit ergo conſcientia bona ad diuina præcepta vtriuſque tabulæ: & grauius ibi peccatum ſibi facit, quam in violatione traditionum humanarum. Deindè Apoſtolus loquitur de cauterizata conſcientia, 1. Timot. 4. Et eſt illa conſcientia quæ bonum putat malum, vel magni æſtimat & plus traditionem humanam, quàm Dei præceptum, grauiuſq; exiſtimat fore peccatum. Sic cibos quoſdam & matrimonium tanquam mala prohibuerunt olim Manichęi & Priſcillianitæ, cùm bonę ſint creaturę, & Matt. 23. Phariſæi decimabant minora, Cyminum, Anethum, menthã, & relinquebant maiora legis, iudicium, miſericordiam & fidem. Conſimili modo fit in ſtatutis quibuſdam & præceptis hominum, vbi ſcortatio, inuidia, ebrietas,

ebrietas, mendacium, blasphemia &c. quæ Deus & scriptura prohibuit, nemo curat neque punit, sed tantùm statuta & leges hominum curantur. Sic Iudęi mundi volebant manducare pascha, at tamen Christum crucifigunt, Ioan. 18. Matthęi 27. sic propria statuta & inuenta strictè seruamus, & Dei præcepta post tergum reijcimus. Si quis horas negligeret canonicas, vel Monachus ad horam sine cuculla prodiret in publicum, grauius æstimant peccatum fore, quam quòd quotidie est ebrius, tenet in corde rancorem, malos & luxurioſos cogitatus, & id genus alia: & hæc dicitur obstinata conscientia vel cauterizata, & habet suum signum. Verùm hæc à nobis non dicuntur, vt traditiones violentur, sed potiùs seruandæ sunt propter bonum ordinem in Ecclesia, 1. Cor. 14. Sed si quis per hæc velit iustificari, neglectis interim præceptis diuinis, hæc esset mala & erronea conscientia. Sic tamen illa seruanda sunt, vt illis longè præferamus in conscientia nostra diuina præcepta & Euangelicam veritatem. Nam his potioribus semper cedere debent inferiora, tanquam testa nucleo &ce

Apostolus inquit 2. Corinth. 1. Gloria, id est, consolatio nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. & Prouerb. 15. Secura mens quasi iuge conuiuium vel gaudiū. hæc conscientia coram Deo & mundo in rebus & fama consolatur, quantumcunq; diuersum iudicet mundus: si mundus vel laudat vel vituperat, conscientiæ testimonium concludit. Chrysost. Quid prodest si omnes te laudant, & conscientia tua te accusat? quid obest, si te omnes condemnāt, & conscientia excusat? Ideò 1. Pet. 3. Habete conscientiam bonam, vt qui detrahunt vobis, confundantur. Testimonium igitur coram Deo reddit conscięntia, siue id bonum vel malum fuerit.

Eccl. 13. Bona est substantia, cui non est peccatum in con-

in conſcientia: quaſi diceret, quid prodeſt eſſe diui
cum grauamine conſcientiæ, id quod fit in vſura,
lucro iniuſto? Nam qui Volunt diuites fieri, incidu
in varios laqueos diaboli, 1. Timot. 6. Quid enim Su
ſannam conſolabatur in falſa accuſatione, niſi bon
& innocens conſcientia, Daniel. 13. Quid omnes ſa
ctos Martyres, quibus imponebatur quòd eſſent Ma
gi & incantatores, quos liberauit veritas & conſci
tia bona? Hæc ipſa conſcientia tua in extremo iud
cio teſtimonium reddet operum tuorum, vbi cunct
Heb. 4. erunt manifeſta. Iam longè fallitur mundus, at Chr
Pſal. 7. ſtus falli nō poteſt, cui omnia nuda & aperta ſunt, &
qui ſcrutatur renes & corda noſtra: quare ſententi
eius vltima non poterit eſſe falſa. Vnica igitur con
ſolatio in omni rerum preſſura: eſt innocens conſci
tia: è diuerſo in omni gaudio & luxu mũdi, turbati
mala conſcientia eſt.

3. Nihil præſtabilius eſt in homine bona conſcientia,
hæc timet Deum ſemper, & facit proximo ſicuti ſib
velit fieri, Mat. 7. Econtrà nihil periculoſius eſſe pot
rit homini mala conſcientia, quæ ſic iactata eſt in re
probum ſenſum, vt mala non cogitet eſſe mala, & bo
na non reputet bona: ſed vt animalis homo facit qu
non conueniunt, Rom. 1. Quæ non credit Deum e
ſe, nec timet ipſum futurum correctorem mali. Hæc
maxima plaga Dei eſt, ſi quis à Deo relinquitur. Qua
re petijt Dauid Pſalm. 50. Spiritum ſanctum tuum n
auferas à me, id eſt conſcientię bonę conſeruatorem.
Nam infidelium, inquit Apoſtolus ad Tit. 1. id eſt, qu
Deum corde non timent, non terrentur à malefactis
& peccatis: illorum mens & conſcientia inquinata
Mar. 9. eſt, & vermis eorum non morietur: hoc enim facit
Eſa. 66. Deus, & relinquit in mente etiam quantumcunque
inquinata, vt mens aliquando corrigatur & rodatur
de malefactis. Ita hodiè homines carnales, ſint quan
tumcunq; læti, glorioſi, diuites, & potentes, nunquã

tamen

tamen pacem habebunt in mala conscientia, neq; in hac, neq; post hanc vitam. Istum enim vermem nemo occidet &c.

CAPVT XXXX.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit verbum Dei.*
2. *Quid sit credere verbo Dei.*
3. *Quid sit custodire aut conseruare verbum Dei.*

VErbum Dei est sermo, quem Deus ipse per Prophetas sanctos & Angelos, & postea per vnigenitum filium suum & Apostolos & sanctos viros locutus est nobis. Sic testatur Apostolus Paulus ad Hebr. 1. Multifariam multisq; modis Deus olim locutus est patribus in prophetis, nouissimè autē diebus istis locutus est nobis in filio &c. Sic 2. Pet. 1. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines: Et Christus Ioā. 12. inquit: Ego ex me ipso nō sum locutus: sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam & quid loquar &c. & Zacharias in Euangelio testatur Luc. 1. Sicut Deus locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt, Prophetarum eius. Quæcunq; ergo sancti Prophetæ, Christus & Apostoli sunt locuti, hoc Deus ipse locutus est: multum ergo differt verbum hominis per se, & verbum Dei. Nam Prophetæ non frustrà dixerunt semper, Hæc dicit Dominus: quasi dicant, Non aliquis hominum. Et Christus ipse, Hæc est voluntas patris mei, &c. Inde hodiè concionatores dicunt, Dixit Iesus discipulis suis, scilicet vt cum reuerentia & tremore audiamus verbum Dei. & distinguamus ab hominis verbo prolato. Quòd si verbum Regis vrget & habet 1

Ioan. 6.

habet authoritatem apud nos, multò plùs verbum Dei: quo indicatur nobis volũtas eius erga nos, quid facere & quid non facere debeamus.

2. Non sufficit audire verbum Dei, sed oportet etiã credere ipsi verbo. Iudæi audiuerunt benè prophetas, Christum ipsum, Apostolos, & plures sanctos viros, qui illis denunciârunt verbũ Dei & voluntatem ipsius, vt Annas, Caiphas. Pilatus, &c. Sed illis non credidêrunt, quòd hæc esset voluntas & verbũ Dei. Hoc conqueruntur omnes Prophetæ & Apostoli, & Christus ipse, eos noluisse credere. Esa. 53. Domine, quis credidit auditui nostro? Et Christus Io. 10. Loquor vobis, & non creditis. Ro. 10. Non omnes obediunt Euangelio. Quare hęc incredulitas grauissimum peccatum censetur inter omnia peccata quæ fieri possunt: nam quàm diu manet incredulitas, nulla est remissio peccatorũ. Ideò spiritus sanctus arguet mundum de peccato, scilicet incredulitatis, Io. 16. Et Christus in sententiam dedit Ioan. 3. Qui non credit, iam iudicatus est: hoc tota scriptura clamat. Credere ergo oportet verbo Dei, qui vult liberari ab æterna damnatione. Sed quęris, quid est credere verbo Dei? Est illud non solum audire auribus corporalibus, sed etiã corde accipere, & certissimè credere sic esse vt verba sonant, & tunc in opus & conuersationem transferre. Sic ad Ro. 10. Hęc tria Apostolus commemorat: primò fides acquiritur ex auditu scilicet verbi Dei, deinde corde creditur ad iustitiam, id est, hoc quod auribus audierunt, cor appręhendit, & credit certissimè Deum qui mentiri non potest: est enim verax, & sic credentem, & dantem honorem verbo Dei, quem veracem nouit, & qui mentiri non possit, Deus acceptat personam eius, & iustũ reputat coram se, & sic corde creditur ad iustitiam: & hæc fides prorumpit in operam & conuersationem. Dum enim audio, credo & facio verbum Dei, tunc rectè suscipio illud.

Sic di-

Sic dicit porrò Apostolus 1 Corinth. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, id est, damnantur, quia in Adam omnes peccauerũt Ro. 5. ita in Christo omnes viuificabũtur, id est, saluabuntur propter fidem in illum: nam tali medio, id est, propter Christum, statuit Deus saluare qui in illum credunt. Ioan. 3. vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam ęternam. His verbis oportet corde credere, non auribus credere, sicut multa solùm auribus audimus, vt Historias de Alexandro, Scipione, Hannibale, & fabulas Poëtarum &c. Quibus rebus aures tantùm credunt, sed non cor certò credit: At verbo Dei audito oportet etiam credere corde, nam Apostolus dicit Roman. 10. Corde creditur ad iustitiam: non dicit, auribus &c. Omnia ergo quæ nobis dicit Deus per verbum suum, siue hoc sit gloria aut pœna, de fide aut operibus, de benedictione aut punitione, de promissis aut minis, quæcunque præcipit aut prohibet, hæc omnia oportet corde credere & facere: & tunc verbum DEI sanctificat, saluat, & consolatorium est.

3.

Multi sunt qui audiunt & credunt ad tempus, Lucæ 8. Sed opere aut tempore tentationis & aduersitatis, non custodiunt aut constanter retinent verbum Dei: multi sunt qui dicunt, Domine Domine, sed nõ faciunt voluntatem patris, id est, verbum eius non custodiunt. Ad Titum primo. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Exiguus est numerus credentium: homines enim in mundo aut sunt penitus infideles, aut tepidi Christiani solo ore & auribus, & vix vltima pars manet constans & fidelis. De illis ergo negligentibus verbum Dei, vbique scriptura dicit: Et Christus illos beatificat, qui audiunt verbum Dei, id est, auribus cordis credunt, & custodiunt illud, scilicet in opere & tempore aduersitatis. Ecce magnam promissionem verbi Dei, quã non habet prę-

Matth. 7

Luc. 8. & 11.

bet præceptum hominis, scilicet, Beati qui verbũ Dei audiunt & custodiunt illud. Fides igitur de Christo, quam vbiq; scriptura docet, propter Christum ex misericordia accipiet beatitudinem, non hoc facit opus hominis sua dignitate.

Custodire quoque oportet verbum Dei: hoc quoque exigit Christus, scilicet illam constantiam & fortitudinem ab his qui veri sui discipuli esse volunt. Nam multas tribulationes habet fides Christi. Hic veniunt volucres cœli & tollunt, ne illi credatur, Lucæ octauo. Deindè aduersarius noster Diabolus vt leo rugiens & deuorans, circuit, 1. Pet. quinto. Hic tumultuatur mundus, vt tollat substantiam aut vitã: sed custodire oportet verbum Dei, & hoc non relinquere. Christus dicit Matthæi decimo: Qui plus diligit patrem & matrem quàm me, non est me dignus: & iterum, Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. & Ioan. 16. Confidite, quia ego vici mundum. Igitur non abnegare fidem Christi in aduersitate, deindè facere & viuere iuxta verbum Dei, est custodire illud & conseruare. At inquis: Quid est acceptare verbum Dei? est credere corde, quòd propter Christum quem Deus dedit nobis propitiatorẽ in sanguine eius, accipiatur remissio & vita. Hoc testatur vbique scriptura. Is qui sic credit, acceptat verbum Dei. & viuit in illo: qui autem alia via hæc cupit consequi, scilicet propria iustitia, merito & opere, aut illis vel totam tribuit salutem, aut partem cum Christo, & non omnem gloriã Deo refert, is non acceptat verbum Dei, neque viuit in illo: ob id neque sanctificatur, nec saluabitur. Non autem hoc dicitur, vt nostra opera & iustitia nihil sint: exigit enim Deus obedientiam præceptorum à iustificatis, & promittit præmia accidentalia ex misericordia propter Christum pro obedientia legis in hac & post hanc vitam: at capitale præmiũ salutis ac

iustifi-

iustificationis transfertur in Christum, propter quē gratis accipimus credentes.

CAPVT XXXXI.

ARGVMENTA.

1. *Undè sit remissio peccatorum, & quis remittat peccata.*
2. *Quomodò sit intelligendum, quando dicitur, sacramenta, opera, oratio, ieiunium, eleemosyna, charitas &c. remittunt peccatum.*
3. *Quàm diu duret remissio peccatorum.*

HOc caput est doctrinę Christianæ, quòd solus Deus remittat peccata, & donet vitam æternam: hæc duo à solo Deo veniunt & pendent Esai. 45. Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter meipsum, & peccatorum tuorum non recordabor. & Dauid Psalm. 129. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Iob. 14. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? solus ergo Deus remittit peccata: & quoniam Christus Deus est, ergo & ipse agnus Dei dicitur, qui tollit peccata mundi, Ioan. primo: & ipse, quia Deus, donat vitam æternam ouibus suis, Ioan. decimo. Ministri etiam Ecclesiæ remittunt peccata non propria authoritate, sed Dei & Christi, qui commisit hanc potestatem & claues illis, Ioan. 20. inquiens: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Remissio ergo peccatorum & donatio vitæ æternæ, à solo Deo est, ex misericordia propter fidem in Christum, gratis nobis exhibentur propter bonitatē Dei, ex quo sequitur, quòd nullum opus vel sacramentum sua propria & naturali virtute remittat peccata, nec ieiunium, nec eleemosyna, nec campanæ, nec oratio. Nullum opus aut vir- 1.

tus hominis est, quæ possit remittere peccatum, & da
re vitam æternam, saluare & iustificare, sed solus De
us reseruat sibi hanc gloriam, de qua ait: Gloriam
Esa. 42. & 48. meam non dabo alteri, illius est saluare & iustificare.
Solum igitur Christi meritum & mors pœnalissima,
hoc vnicum opus propitiatorium, semel ista meruit.
Est igitur remissio peccatorum & vita æterna à solo
2: Deo.

Quæritur, si remissio peccatorum & vita æterna
est à solo Deo & merito Christi, & nobis gratis distri-
buitur ex misericordia propter Christum: cur ergo
scriptura tribuit operibus illa duo, remissionem
scilicet & vitam? Dan. 4. Peccata tua eleemosynis
redime. Et Tob. 4. Eleemosyna ab omni peccato
& à morte liberat. Et Christus in Euangelio Lucę 11.
Date eleemosynam, & ecce omnia munda vobis erunt.
Lucę 7. Item Matthęi 19. Si vis ad vitam ingredi, serua man-
data: &, Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit
multum. & Ioan. 5. Et procedent qui bona fecerunt
in resurrectionem vitæ: &c. Et Paulus Roman. 2.
☞ Gloria & honor & pax omni operanti bonum. Ga-
lat. quinto. Qui seminat in Spiritu, de Spiritu metet
vitam æternam, &c. Hæ & consimiles authoritates
scripturæ sic sonare videntur, quòd & ipsa opera à no-
bis sic operata, sua virtute & dignitate nobis impe-
trent remissionem peccatorum & vitam æternam.
Respõdeo: Vulgus malè intelligit sic scripturã: nam
hoc esset detrahere Deo suam gloriam & honorem
qui dicit propter seipsum remittere peccata, Esa. 43.
Hoc est derogare Christo, quia aliàs gratis venisset &
passus fuisset, Galat. 2. si nos operibus & virtutibus
nostris operatis possimus mereri vitam æternã & re-
missionem peccatorum. Ideò sic intelligendæ sunt
scripturæ authoritates, quòd DEVS per hæc media
distribuit ista sua & Christi beneficia, non sic pro-
pter

pter ipsa, quasi sint causa & fons remissionis & vitæ: nam causa & fons est Dei bonitas, ipsa passio Christi: quare opera, sacramenta & virtutes non remittunt peccata propria sua dignitate & conditione, neque donant vitam, sed Deus suam misericordiam & beneficia per hæc distribuit. Promisit nobis Deus credentibus remissionem & vitam, sed huic promissioni addidit quasdã externas notas subiectas sensibus, id est, sacramenta visibilia, baptismum, cœnam, pœnitentiam &c. opera pia, eleemosynam, remissionem offensæ. Matthæi 6. vt illæ notę nos admoneãt & certificent de remissione & illa Dei promissione, si fuerint obseruatæ à nobis, vt cum suscipio sacramẽtum baptismi, certificor de promissione remissionis: si remisero offensam proximi, certificor de remissione apud Deum, non quòd baptismus aut remissio offensæ aut aliud opus remittat peccata, & donet vitam æternam: sed istis notis, id est, sacramentis & operibus, ego certificor de promissione remissionis, quòd eam iam accepi: ideò vt memoria promissionis Dei semper duraret, adiecit Deus hæc visibilia sacramenta & opera. Quare non solùm est considerandũ sacramentum, cęremonia vel opus, sed potissima requirenda est promissio circa hoc opus externum adiectũ, cuius promissionis causa & gratia admonitionis, hoc signum, sacramentum vel opus, à Deo institutum est. Deus ergo per hæc media remittit peccata, donat vitam æternam, non autem ipsa media, vel sacramenta vel opera. Quisquis verò contemnit has notas adiectas promissionibus diuinis, nempè sacramenta, baptismum, cœnam, eleemosynam, orationem, remissionem offensæ &c. is sibi persuadeat pro certo, nec ipsum capacem esse promissæ remissionis peccatorũ & vitæ æternæ. Qui autem illa vel suscepe rit vel fecerit, circa illam fidem in promissionẽ Dei, circa hoc opus factũ, accipit fructũ ex fonte & misericor-

ricordia Dei ac meriti Christi, non operis operati: Et sic gloria soli Deo seruatur. Psalm. 113. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Et Lucę 17. Nos serui inutiles sumus: ipse totum dat & promittit operibus, ab illo totum procedit. Quòd autem beneficium Dei nobis sic distribuitur, ex merito Christi est, non ex merito & dignitate operum nostrorum. Ipse promittit & donat eam dignitatē operi, quòd per illud tanquam per medium, distribuit beneficium. Opus ipsum ex natura non habet, ergò Deus remittit & dat vitam. Vt igitur frequens occasio nobis esset quærendi largam Dei beneficij Christi distributionem, alligat illam nunc fidei, nunc sacramentis, nunc orationi, nunc ieiunio, eleemosynæ, obseruantiæ proceptorum, &c. Non vt illa sint causa & fons distributionis, sed Deus sic largus, sic diligens nos, vbique offert occasionem, vt pulsemus ac accipiamus per hæc media Christi thesaurum. Ipse Deus dat & distribuit per hæc media. Media enim hoc non efficiunt, vt dictum est.

3. Quoniam verò Christus adhuc est in mundo, immò dicit: vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, Matthæi vltimo, ergo & hodiè quærit saluos facere peccatores per verbum suum, per quod vocat ad pœnitentiam. Igitur remissio & promissio vitæ, durat & efficax erit vsque ad diem nouissimum propter Christum. Igitur non semel, sed septuagies septies, Matthæi 18. id est, toties quoties opus fuerit, vult remittere peccatum, & quotidie iubet orare dimitti nobis debita, non semel, Matt. 6. Ideò sicut sol ordinatione Dei stabit in cœlo vsque ad vltimum, ita promissione Christi qua vult esse nobiscum vsque ad consummationem seculi, durabit remissio peccatorum, modo nos pœniteamus, & redeamus ad Christum, qui pronior est ad miserandum, quàm nos ad pœnitendum.

CAPVT

CAPVT XXXXII.

ARGVMENTA.

1. *Quæ sit differentia inter verbum Dei & verbum hominis.*
2. *Quomodo maximus cultus & honor sit, quem Deus à nobis exigit, scilicet vt verbo eius credamus, in illo collocemus fiduciam nostram.*
3. *Vt illud faciamus & custodiamus.*

HAec potissima est differētia verbi Dei & verbi hominis, quia verbū Dei est verū, immò quia impossibile est vt possit esse falsum, verbū autem hominis potest esse falsum. Sic Apostolus ad Rom. 3 Est autem Deus verax id est, impossibile est quòd verbum eius possit esse falsum, omnis autem homo mendax, Psal. 115. scilicet inquantū homo secundum naturā. nam quòd homo aliquando dicit veritatem, vt sancti Dei Apostoli, Euangelistæ, Doctores à Spiritu sancto est. Nam omne verum, à quocunq; dicitur, à Spiritu sancto est, inquit Augustinus. Deus autem natura est summa veritas, & mentiri non potest: ideò eius verbum manet æternaliter verum: hoc Prophetę semper inculcârunt hominibus. Psal. 118. In æternum Domine permanet verbum tuum. Esa. 40. Verbum Domini manet in æternū, omnis autem caro fœnum: Igitur verbum Dei semel dictum manebit, & falsum esse nō poterit, siue homo credat siue non credat, credētibus autem non nocebit incredulitas aliorum, sicut arguit Apostolus Rom. 3. Quid enim, si quidam illorum non crediderunt? &c. Lucę 21. verba mea &c. 1.

Quoniam verbum Dei solum hanc habet dignitatem, quòd falsum esse nequit, quia summa veritas Deus est, ideò maximus cultus & honor est, quem à nobis exigit Deus, credere scilicet, & fidem dare eius. 2.

verbo, id est, certissimè credere quòd sic eueniet sicut verbum dicit, vel bona promittendo aut pœnam minando. Nam os Domini locutum est Esaiæ 25. l. deò eueniet. Ex quo sequitur, quòd illi qui non credunt verbo Dei, illi non sunt ex Deo, id est, nondum renati sunt. Vt igitur possimus credere certo & sine hæsitatione, opus est Spiritusancto. Natura nostra id non potest, legit, audit, cantat, loquitur Verbum Dei: sed cor non credit, quia nondum ex Deo natus est homo. Ioan. octauo, Qui ex Deo est, verba Dei audit, & credit, vos non auditis verbum DEI, &c. Ideò rogamus Spiritumsanctum pro tali fide, vt possimus verè credere verbo Dei: alioqui manebimus sine fide verbi. Insuper fides in solo verbo pendet & viuit, sicut Christus inquit Matthæi 4. Nō in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Ecce homo viuit in verbo quod os Domini locutum est, quod verbum fides tenet, & non curat quicquid pòsteà mundus, peccatum, mors, infernus tumultuatur. Si quis autem verbum obliuiscitur, tunc perit: quod sic intelligendum est, mundus & res mundi minantur defectum cibi & potus atque vestimentorum pro te & familia tua, hodiè pereunt frumenta, vinum, hordeum: Fortuna tua decrescit penitùs, & ad paupertatem redigeris, & cæt. In tali anxietate oportet fides tua pendeat in verbo, quod ab ore Domini est est prolatum. Matthæi 6. Nonne corpus plus quā vestimentum? scit pater vester, quia his omnibus indigetis: Primum ergo quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Ad hanc promissionem se tenere oportet fides nostra, & certò credere, quoniam non non relinquit vt fame pereamus, etiamsi sensibus videretur, nulla esse frumenta in mundo: Nouit Deus implere verbum suum, tu saltem credas verbo oris Dei. Sic Num. 11. legitur, quòd Dominus respondit, quando populus in deserto clamabat pro carnibus,

Moysi: Nūquid manus Domini inualida est? Sic Exo. 3. quandò misit Deus in Aegyptū Moysen, dixit illi: Educes populū meum, & ego ero tecum: hoc verbum oris Dei, Ero tecū, notauit Moyses, & pendebat fide in illo, dū transiuit mare, dùm sequerentur hostes, dū cibus & potus deficeret in deserto, & nihil illi impossibile videbatur, quantumcunq; etiam hoc rationi & sensibus impossibile erat: cogitabat enim, Deū mentiri non posse. Sic si peccatū vrget, & desperationē suadet, fides pendet in illo verbo Ioā 3. Sic Deus dilexit mundū, &c. Esa. 53. Posuit Dñs in eo peccata omnium nostrûm. Ro. 4. Mortuus est pro peccatis nostris, &c. Luc. 19. Venit filius hominis quærere & saluū facere quod perierat, & consimilib. locis Euangelij. Hoc verbū viuificat contra peccatum & retinet pœnitentē in vita & pace. Quòd si tribulatio, infirmitas, amici aut inimici persequuntur, fides semper pendet in verbo Dei, Io. 16. Confidite, ego vici mundum. Et, Princeps huius mundi non habet in me quicquā. Si mors horrorem incutit, fides pēdet in illo verbo Christi Io. 11. Omnis qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet &c. Si infernus & Dęmon terret, Io. 14. Princeps huius mundi iudicatus, ligatus est: nihil potest vltrà, quàm Deus permittit. Sūma, non est aliqua calamitas in mundo, in corpore, rebus, officio &c. quæ non contrariam habeat consolationem & promissionem quam fides tenet, & sic in Deo viuit.

Iste cultus, cum sic verbo Dei credimus, & nos cōsolamur, maximè placet Deo: econtrà, grauissimum peccatum est, verbum Dei oscitanter & sine intellectu murmurare, cantare aut legere, & non sic in tentatione conscientiam confortare, ideò dicitur Hier. 48. Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter. Sic omnes sancti pendentes fide in verbo Dei, vicerunt regna, operati sunt iustitiam, & adepti sunt repromissiones, Hebręor. 11. Hęc fides in verbo Dei ap-

præhensa, est gladius Spiritus, quo depugnatur sa-
than Vult ergo Deus vt nudè pendeamus fide in ver-
bo suo. Multi credunt, si diuites fuerint, si prospere il-
lis successerit: multi, quia plura bona fecerunt, con-
fidunt se saluos fore, non pendent nudè ad verbum
Dei. Quod ppter Christum promittit salutē. Act. 10.
Huic omnes Prophetę testimoniū perhibent &c. ma-
ximus ergo Dei cultus est, credere verbo diuino, &c.

Quia in Euangelio sunt multæ promissiones, quo
ad pios, etiam multæ comminationes quoad im-
pios, vt Matthæi 11. de ciuitatibus, & cap. 23. de Pha-
risæis, & cap. 18. de non remittentibus offensam &c.
Igitur non solum oportet credere, quòd sic verum sit
quod Euangelium docet, sed oportet etiam facere.
Matth. 7. Qui audit verbum Dei, & facit illud: & Luc.
11 Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.
Qui ergo non facit iuxta verbum Dei & viuit, is nō-
dum credit, etiamsi dicatur & sibi videatur credere.
Recte dicitur, quia rara auis vera fides, & Luc. 18. Ve-
runtamen filius hominis veniens putas inueniet fi-
dem in terra? id est, qui pendeat nude in verbo Dei in
omni tentatione, & qui opere faciat Euangelium.
Sed nihil consolabilius in toto mundo, quàm hæc fi-
des: Dominus dixit, is mentietur minimè. Habet e-
nim verbum Dei efficaciam & virtutem. Sic credidit
Centurio Matth: 8 & sic commendatur regulus Io-
an. 4. Qui autem plus tribuit personæ Christi, quam
eius verbo, arguitur à Christo Ioan. 4. Hæc est enim
propriè fides iustificans, assentiri & credere verbo
Dei aut promissionibus diuinis.

CAPVT XXXXIII.

ARGVMENTA.

1. *De certitudine conscientiæ in re salutis.*
2. *Quòd misericordia Dei quæ propter Christū*
exhibetur,

exhibetur, non apprehenditur dubitante conscientia.

3. *Quomodò misericordia & gratia Dei opponitur debito, merito & dignitati bonorum operum.*

TOta scriptura iudicat, nos coram Deo reputari & pronunciari iustos propter Christum, propter illum nos liberari à peccato, ab ira Dei, à morte æterna, nō propter nostram iustitiam, meritum ac dignitatem. Hoc Deus ita ordinauit, vt laudetur gloria gratię suæ, Ephes. 1. Deindè, vt conscientia nostra sit certa de remissione & salute. sic dicit Petrus Acto. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum recipere per nomen eius. Sic iubet Christus prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum per nomen eius, Lucæ vltimo. Hæc summa est doctrinæ Apostolicæ in Apostolicis Epistolis, nos iustos pronunciari gratis ex misericordia propter Christum: ob id & fidem nihil aliud esse, quàm fiduciam consequendæ huiusmodi misericordiam gratis propter Christum. Et Deus etiam gratis illam exhibet sic credenti & pœnitenti propter filiū suum. Ioan 3. Vt omnis qui credit in illum, non pereat, &c. Gratis, hæc particula (vt sæpè diximus) non excludit pœnitentiam, sacramenta, fidem, opera, &c. Sed illis causam & fontem adimit misericordiæ Dei, scilicet quòd Deus non propter illa nos pronunciat iustos, sed propter filium suum. Nobilius igitur fundamentum & causa remissionis & salutis nostræ est Christus, quàm sacramenta, opera, aut fides nostra. Et Deus promisit quòd propter Christum vult nobis ignoscere, remittere peccata, dare salutem, reconciliare sibi, deponere iram, exaudire preces. Ioan 3. Sic Deus dilexit mūdum, vt filiū suum daret, & mundus 1.

per ipsum saluetur. Talem promissionem nostra iu. stitia aut dignitas operũ non habet: quare etsi ea ma. xime exigantur, non merentur iustificationem & re. missionem, sed ex misericordia immerita exhibetur propter Christũ. Hæc non est exigua consolatio an. xiatę cõscientię, ꝙ nõ propter nostrã iustitiã aut me. ritũ, sed ꝓpter Christũ reputamur iusti & saluamur. Ille nobis datꝰ est à Deo, vt sit nostra sapiẽtia, sancti. ficatio, iustitia & redemptio, vt ait Apostolꝰ 1. Cor. 1.

2. Promissio Dei, quòd propter filiũ suum vult nobis gratis exhibere misericordiam, non apprẹhendi vult dubitante conscientia. Nam non credere Verbo Dei, aut de illo dubitare, grauissimum est peccatum, cò quòd Deus est summa veritas, & non potest mentiri. Igitur qui dubitat de illa ꝓmissione, ꝙ propter Chri. stum iustificetur, aut quòd velit illam proprijs meri. tis accipere, & non gratis, ille peccaret maximè. Vt igitur omnis dubitatio adimatur conscientię, statuit Deus propter Christum nos reputari iustos, vt cõsci. entia sit certa: Et primò, quia hęrentes in carne, pro. pter peccatum legi non possumus satisfacere Ro. man. octauo: Deindè si iustificatio & salus penderet à nostra dignitate & operibus, conscientia nunquàm esset certa: Nemo sufficienter operatur bona opera, vt sic possit certificari. Romanorũ octauo. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram glo. riam. Et Psalm. 114. Non intres in iudicium cum ser. uo tuo. Postremò, etsi omnia optimè fecerimus, iu. bet CHRISTVS nos dicere, nos seruos inutiles es. se. Igitur vt conscientia sit certa, adimitur causa sa. lutis & iustificationis nostris operibus, & trãsfertur in Christum, & hoc totum, vt conscientia sit certa, & non angatur, sicut dicit Apostolus Roma. Ideò ex fi. de, vt promissio sit firma, id est certa. Quicquid igitur sit de mea iustitia, hîc non quæro salutem, sed credo per gratiã, id est, immeritam Dei misericordiã pro-

pter

pter Christum me saluari. Et sic omnes fideles docentur gratia, id est, immerita misericordia Dei propter Christum saluari. Rom. 6 Donum Dei vita æterna.

Verùm hæc non dicuntur, vt reijciantur bona opera, pœnitentia, & Sacramenta, &c. Immò hæc ipsa maximè & necessariò sequi debent Fidem, id est, acceptam misericordiam in Baptismo: Quòd si non sequuntur, nec illa iustitia Dei gratis accepta retinetur Rom. 8. Si secundùm carnem vixeritis, moriemini. Et 1. Corin. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus &c Hebr. 9. Multò amplius sanguis Christi Iesu Et præter hoc quòd retinent iustitiam, habent & sua præmia, alia in hac & post hanc vitam spiritualiter & corporaliter. 1. Corint. 3 Vnusquisq; mercedem suam accipiet iuxta suum laborem. Sed vt apud Deum accepti sumus, non est causa legis impletio, sed promissio propter Christum facta. Huic promissioni si quis credit, & non dubitat, hæc fides facit Deo acceptum, & sanctificat personã & gratam Deo reddit, etiamsi carne adhuc sumus peccatores & indigni. Non ergò dubitare debet conscientia, an hoc ita cõtingat propter Christum, nec ne. Fides simpliciter hæreat verbo Dei, & sine hæsitatione durer in Fide verbi, & non videbit mortem in æternum, Ioan. 8. Rom. 10. Omnis qui credit in illum, &c. Præterea notanda est maximè hæc differentia legis & Euangelij. Lex enim sub conditione promittit meritum, vt si seruauero legem & præceptum, habebo bona tempralia, Deutorono. 28. Sicut etiam est illud Matth. 19 Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, &cæt. Euangelium autem sine conditione gratis propter Fidem in CHRISTVM, pronunciat nos iustos, id est, acceptos esse DEO, etiamsi non satisfaciamus legi. Ita conscientia fit certa, se habere remissionem peccatorum. Qui igitur sic docent, si contritio est sufficiens, consequeris remissionem: si seruâsti sufficienter præcepta, in-

trabis

trabis in reguum cœlorum, isti assuunt conditionem legis, & relinquunt conscientiam incertam de remissione: & illa dubitatio maximè euacuat Euãgelium, quod nos gratis pronunciat iustos, etiamsi legi non satisfecerimus, modò pœniteamus, & verbo Dei fide hæreamus. Rom. 3. Iustificati gratis gratia ipsius, &c. & in 4. capit. expressè notat particulam, Gratis, quia per hanc notat differentiam legis & Euangelij.

3. Misericordia & Gratia, meritum & dignitas operum hominis, opponuntur. Est enim Gratia, immerita misericordia Dei, quæ nobis exhibetur propter filium eius Christum. At meritum, est promeritum præmium pro operatis laboribus & operibus: merces enim debetur pro iustitia, & est ex gratia vel misericordia, Roman. 4. & 11. Si ex operibus, iam gratia non est gratia. Quia ergo scriptura tribuit gratiæ & misericordiæ Dei propter Christum iustificationem & salutem, Actor. 10. & 15. & omnes homines cupiũt respici ex misericordia & saluari, sequitur quòd meritum operum hoc habere non poterit, nec etiam saniores Doctores hoc credere voluerunt. Nam quot. quot viuimus & morimur, semper nos gratiæ & misericordiæ Dei committimus. Habent enim nostra opera alia prẹmia à beneficijs Christi, quẹ Deus propter Christum etiã coronare vult gloria & vita sempiterna. Hẹc omnia dicta sunt ad consolationẽ & certitudinẽ conscientiæ in re salutis maximè anxiatæ.

CAPVT XXXXIIII.

ARGVMENTA.

1. *Quomodò certant & concordant in Authore Salutis, id est, Christo, omnes veteres & recentiores.*
2. *Quomodò ijdem variant & pugnant de acceptione aut distributione vitæ æternæ.*

3. Qua

3. *Quæ doctrina sit conformior scripturæ & veritati, atque timori & honori Diuino.*

IN hoc omnes concordant veteres & recentiores, quoniam solus Christus vnicus est Saluator, qui morte sua nobis meruit vitam æternam. Solus ipse author salutis est, qui tradidit corpus suũ in mortem, & fudit sanguinem suum pro peccatis nostris, Matthæi 26. Hic solus mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter iustificationem nostram contra peccatum & Sathanam, Romanorum quarto, in illum solum posuit Deus pater iniquitatem omnium nostrûm, Esaiæ 53. hic solus est agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Ioan. 1. Hic obtulit solus semetipsum pro peccatis totius Mundi, 1. Ioan. 2. Solus meruit nobis remissionem & vitam æternam, gratiam & fauorem patris, propter quem solum efficimur grati filij Dei, 1. Ioan. 3. in illum credentes omnes cõcordamus in articulo, quia natus est, passus, resurrexit, descẽdit & asscẽdit pro nobis, &c. Omnes ergò cõsentimus, quòd solus ipse meruit vitam æternam nobis, & remissionem peccatorum: nam hoc nobis erat impossibile mereri, aliâs nõ fuisset opùs venire Christum, si quisque pro se per suã iustitiam potuisset sibi meruisse remissionem & vitam æternam. Omnium igitur ex æquo solus ipse suo sanguine est author salutis, & meruit cœlũ & vitã æternã. Ibi nulla est dissensio in Ecclesia, omnes tribuimus gloriam Deo, quoniam solus Christus meruit vitã æternam.

Variant iam partes Ecclesiæ & dissident in distributione, propter quidnam distribuatur vita æterna. Veteres sic docent, quòd Christus qui solus meruit suo sanguine vitam æternam, promisit in illum credentibus & mandata eius seruantibus, vitam æternã ex gratia, vt velit compẽsari fidẽ simul & bona opera

vitã

vita æterna, non propter dignitatem operum, sed ex gratia. nō propter opera operata nostra, sed quia ipse promisit se hoc facturum, ita quòd eius promissio, quoniam ita dixit, vrget vt opera nostra compensentur vita æterna: Non quòd opera nostra essent tanti ex sua dignitate, quibus Deus ex debito nihil debet. Luc. 17. Cùm omnia quæ præcepta sunt vobis, feceritis, dicite quia serui inutiles sumus. Hoc autem probant ex his scriptur ę locis, & primò Matt. 19. Luc. 18. quando dicunt discipuli, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergò erit nobis? id est, quid meruimus operibus nostris? Et Christus iurat & inquit: Amen dico vobis, aut tibi Petre, quòd vos qui secuti estis me, scilicet, qui fide & opere reliquistis Domum, fratres, sorores, patrem & matrem, filios, agros &cæt. propter nomen meum, id est, facto vel voluntate, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. & Lucas inquit: Multo plura accipietis hoc tempore, & in seculo futuro vitam æternam. Ecce hic stat promissio, hoc dixit Christus. Ergò docent veteres, quòd propter hanc promissionem, & quia ipse Christus dixit propter verbum suū, & non propter dignitatem operum nostrorum, compensat opera nostra vita æterna. Nisi enim Christus hoc dixisset & promisisset, nemo vnquàm aliquid speraret de operibus suis. Quòd autē Deus hoc sic promisit operibus nostris, tantiq; acceptet, gratuita sua bonitas & misericordia in causa est, non nostra opera vel merita. Causa ergò salutis fundatur in ipsa Dei bonitate & misericordia gratuita, non in nostris operibus operatis. Apostolus 1. ad Timot quarto inquit: Pietas (id est, Fides in Deum, aut dilectio erga proximū) ad omnia vtilis, habens promissionem vitæ quæ nūc est, & futuræ. Nam ipse coronat sic nostra opera propter verbum suum, quoniam ipse dixit sic Matth 25. Venite benedicti, possidete regnum quod paratum

est

est vobis ab initio mundi &c. Et Ioan. quinto. Et procedent qui bona fecerunt, &c. & Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, &cæt. Has & consimiles authoritates intelligunt sic veteres, quòd non tribuunt vim effectiuam meriti salutis æternę operibus, sed promissioni diuinę, & quia sic ipse dixit, & quòd illi licet facere de suo quod vult, Matthei 20. Nihil ergò adimitur gratiæ & beneficio Christi: totũ gratia est, quod ipse ex mera gratia & misericordia sic compensat & coronat opera nostra, quibus ex debito nihil debetur: Nec nos propter opera aliquid exigimus ex debito, nisi quòd credimus illi, quoniam ipse sic dixit, coronaturum & compensaturũ opera nostra &c. gloria & vita æterna. Recentiores verò sic loquuntur de distributione vitę æternæ, quoniã Deus promisit se daturum vitam æternam credenti in Christum, ac pœnitenti solùm propter Christũ, sine omni respectu alicuius operis aut meriti humani, sed ob solũ sanguinem Christi, ita quòd nullum opus cõducibile sit ad accipiendum vitam æternam, nisi solam fidem illam quę credit promissioni diuinę, qua promittit se propter Christum daturum vitam æternam, Ioan. tertio, & licet obedientia legis necessariò sequi debeat, & alia habeat præmia attamen remissio peccatorum & vita æterna propter solum Christum donatur, id est, eius personam & passionem & propter nullum hominis opus. Igitur vita æterna ex sola gratia & misericordia donatur propter nullum opus hominis.

Huiusmodi dissensio de facili componi potest, si affectus deponantur, & sola DEI gloria & animæ salus quæratur. Veteres concedunt quoq;, quòd propter nullum opus hominis donetur vita æterna: nam docent quòd ipsa Dei bonitas, misericordia & gratia, causa est, & quòd Deus propter suam bonitatem, & non propter dignitatem operum nostrorum, compensat vita æterna. Ipse sic dixit, instituit, & ordi- 3.

nauit:

nauit: Eius bonitas ponderatur, non ipsum opus; hanc autem bonitatem & gratiã meruit nobis Christus, nõ opera nostra ex se & sua natura. Et quoniam hoc idem sentiunt recẽtiores, ex gratia propter Christum donari vitam, quia Deus sic promisit, cõcordamus ergò cum Paulo, Roma. 6. quia donum siue gratia vita æterna est &c Attamen magis nutrit timorem Domini, & pietatem fidei, dilectionẽ religionis, & eam fouet, si doceatur quoniam Christus ex gratia propter suum dictum vult coronare & glorificare opera nostra hîc & in cœlis, & illa ornare vita æterna, ita vt Fides sit ornata bonis ac pijs operibus: quàm si dicatur, solùm crede promissioni diuinæ, Deus nullum opus curat, nec meretur vitã æternam, sola fides sufficit. Hæc omnia in suo loco dicta, licet verissima sint, carnalibus tamẽ faciliùs ansam prębet leuitatis doctrina recentiorum, quàm veterum. Et si vtraq; nõ discedit à capite veritatis, scilicet quòd propter Christũ omnia obtinemus ex gratia & misericordia. Hæc igitur Ecclesiæ ab initio fuit & est doctrina, quòd opera nostra sunt meritoria vitæ æternæ ex gratia, pacto, promissione, quoniam ipse Deus qui est summa veritas, hoc dixit. Ideò propter verbum suum compensat & ornat nostra opera, non prout à nobis facta sunt, aut vt sunt opera ex se & naturali sua conditione & virtute, ita quòd causa huius promissionis non sunt opera nostra operata, sed gratuita Dei misericordia, gratia & bonitas, causa est huiusmodi compensationis operum: & hanc Dei gratuitam misericordiam & bonitatem meruit nobis Chtistus, & nullum opus hominis. Cõceditur ergo, propter nullum opus hominis hominẽ iustificari & saluari, quia tale non potest nec est causa iustitiæ & salutis, sed Dei bonitas & promissio: huic ergo promissioni credimus, & hãc ponderamus, & totam rem salutis tribuimus, solùm vt nos faciamus opera, vrgentes ne caro in-

soleſcat &cęt. Fides quoque promiſſionem Dei gratuitam reſpicit, & ibi locat fiduciam: hic in promiſſione certa eſt de remiſſione peccatorum & vita æterna, non locat fiduciam conſcientia in opera operata, neque ibi certa eſſe poterit, eò quòd non iuſtificatur ſic omnis viuens: in promiſſione igitur pendet, nec etiam curat imperfectionem operum: ſcit enim Deus, qui præcepit legem, quantum poſſimus. Ideò in ſola promiſſione pendemus: cuius promiſſionis cauſa, eſt gratuita Dei miſericordia, voluntas, beneplacitum, non opera noſtra. Fides alio modo eſt neceſſaria ad ſalutem, & dilectio alio modo neceſſaria eſt: nam fides appræhendit iuſtificationem propter Chriſtum promiſſam, Dilectio autem retinet.

CAP. XXXXV.

ARGVMENTA.

1. *Quæ ſint præcepta Dei, & quæ hominum.*
2. *Quantùm diſtent ab inuicem.*
3. *Quòd abuſus ſit, dum humana præcepta diuinis præferuntur.*

DE I præcepta ſunt, quæ expreſſam habẽt mentionem ſiue teſtimonium in ſcriptura, quòd à Deo ſint mandata, quibus agnoſcimus & certò ſcimus, quid Deo placeat, vel nõ placeat à nobis fieri. Sic ſunt primò præcepta vtriuſque tabulæ, quæ Deus fidelibus ſuis & iuſtificatis dedit, vt ex fide ſeruent. Exo. 19 Leu. 26. Deu 28. Et totum Euangelium primùm exigit & docet fidem, quia iuſtificamur, Roman 3. Arbitramur hominem iuſtificari &c. Deindè dilectionẽ, quę eſt impletio legis, Rom. 12. Primùm oportet eſſe iuſtificatum & gratum Deo, antequàm Deo placeat obedientia legis, & ſic fides nos gratos facit, ac perſonam iuſtificat. Deindè etiã placet Deo

obedientia legis propter fidem & gratiam Christi
illo ergò Decalogo totum continetur, & omnia re
feruntur præcepta & opera, quæ Deus in tota lege &
Euangelio docet & exigit. Omnia ergò opera & pre
cepta vel pertinent ad fidem, vt tria præcepta priori
tabulæ Exod. 20. aut pertinent ad dilectionem pro
ximi, vbi pendent alia septem præcepta: ibi tota lex &
Prophetæ comprehenduntur, Matth. 22. Præcepta
autem humana sunt, quę non habent semper mani
festum testimonium in scriptura specialiter, sed sunt
ad laudem Dei & maiestatem rerum sacrarum ordi
nata, tanquàm instrumenta quibus ordine seruentur
Dei præcepta atq; cultus Dei: non enim habent pri
mò & principaliter authorem Deum, sicut præcepta
Dei, sed authores habent patres Ecclesiæ, qui studio
si erant vt iocunda decoraq; esset Dei laudatio, sicut
propheta Dauid dicit, quòd hoc Deum deceat Psal.
146. vt omnia ordine & decenter fierent, 1. Corinth.
14. vtque populus quadam disciplina & pædagogia
manu duceretur ad altiora, scilicet diuina, sicut sic
duxit Magos ad Christum, Matt. secundo. Et sic quę
dam seruiunt fidei, vt omnes cęremoniæ & ritus
Ecclesia, Organum, Canticę, cerei, thurificatio, &c.
Quædā seruiunt moribus & mortificationi nostræ
vt ieiunium hoc vel illo die, delectus ciborum, cæli
batus, orationes nocturnæ, vigilia, vestitus, peregri
natio, confessio, &c. Et dicuntur præcepta humana
quòd patres illi videntes mores hominum & condi
tionem temporum, illa instituerunt ad ordinem &
maiestatem rerum diuinarum & corporalem exerci
tationem, non quòd essent potissimus & primarius
cultus Dei.

2. Sicut differunt homo & Deus, ita præcepta Dei
à præceptis humanis: & sic Deus omnibus homini
bus, Regibus, Principibus, Papę & cęteris, cuiuscun
conditionis fuerint, præfertur. Sic illius præcepta
mag

magis obligant nos, & prę ferenda sunt omnibus humanis prę ceptis: Et is plùs peccat & grauiùs, qui Dei præcepta violat, quàm qui humana: nō enim est seruus maior Domino suo, Ioan. 15. Præcepta Dei, Domini sunt præcepta: humana verò, serui præcepta: præcepta DEI, nucleus sunt: humana autem, testa. Ideò maior est obligatio illorum. Et hoc primò, quia præcepta Dei sunt per se bona & potissimi actus virtutum, & potissimus & primarius cultus, quo Deus vult coli, nempe Fide, dilectione, timore, spe, item misericordia, patientia ac cæteris virtutibus & cæteris fructibus Spiritussancti, Galat. quinto, deindè opera illa vtriusque tabulæ atque præcepta. vt Exod. 20. Omnia illa sunt à DEO præcepta & ordinata & cultus ipsius. Vota ac præcepta humana, sunt dispositiones, instrumenta & serui ad huiusmodi bona ac præcepta Dei atq; virtutes: plus est fides quàm vestitus: plùs dilectio Dei & proximi, quàm delectus ciborū: plùs timor Dei, quàm cantus, Organum & cæremoniæ: plùs obseruantia præceptorum Dei, quàm traditionum specialiū cuiuscūq; ordinis, &c. Deindè excedunt præcepta diuina omnia humana, quia sunt ind spēsabilia: nec Papa vel Angelus contra ea potest dispēsare, ne quis obligetur Deo obedire in suis prę ceptis. Vota autem & omnia humana prę cepta, sunt dispensabilia, & per homines iterùm possunt cassari. Postremò, prę cepta Dei sunt ad salutem necessaria: nam obedientia legis necessariò debet sequi iustificationem: alioqui iustificatio non retinetur. Rom. 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini &c non autem sic vota & præcepta humana sunt necessaria ad salutem: potest enim quis benè saluari obseruās Dei præcepta sine votis & alijs traditionibus humanis: ergò obligatio præceptorum Dei, plus est quàm omnia vota, religiones, cęremonię, traditiones, &c. Hęc Gerson parte tertia in tractatu de Euāgelicis cōsilijs.

Magna ergò differentia habenda est inter opera aut virtutes, quę sunt potissimi cultus, vt fides, charitas, &cęt. ab his qui sunt ministri illorum, vt cęremonię, ritus, &cæt Et inter opera quæ Deus per se & ore suo mandauit, & inter ea quæ patres in finem politicum ordinârunt, nō vt essent cultus qui mererentur iustificationem: accipit enim fides illam in Christum gratis, ante opus quodcunque.

3. Magna ignorantia, cæcitas & abusus creuit in Ecclesia, quòd homines maiori ferè ex parte nesciunt differentiam inter opera & prędcepta Dei ac humana prędcepta, quantùm obligent hęc vel illa: Et indecq; diligentiùs custodiuntur humana prędcepta quàm Dei, & grauiùs puniuntur transgressores horum, & maximè apud religiosos. Illos etiã Christus increpat Matt. 23. dicens: Vę vobis scribę & pharisæi & hypocritæ, qui decimatis mẽtham, anethum, & cyminum, &cęt. & relinquitis quæ sunt maiora legis, scilicet fidem, misericordiam, iudiciũ. Sic quando Deus cum suis prędceptis reijcitur, & homo cum suo præcepto exaltatur. Et quandò citiùs obediunt hominibus, quę plus timent temporalem correctionem, quàm punitionem Dei æternam, qui tamen comminatur in tertiam & quartam generationem visitare parentũ peccata, qui non seruauerint eius præcepta, Exod 20. Tales comminationes nullum prędceptum humanum legitur habere. Deindè grauissimè errãt homines circa prędcepta humana, quòd putant hos ritus mereri remissionem peccatorum & vitam æternã, quod soli Christo debetur: alioqui gratis venisset, Gal. 2. legitur Christus talẽ abusum & errorem reijcit Matt. 15. Frustrà me colunt, docẽtes doctrinas & mandata hominum, scilicet quasi illa iustificent & saluent: hoc esset furari Christo officium suum. Attamen si sunt ordinis causa & in finem politicum, ad laudẽ & testimoniũ fidei, non sunt inutiles, sicut patet Daniel 1.

Et

Et Hieremię 35. Et Ioannes Baptiſta commendatur de cibo, potu, & veſtitu, quorum tamen nullum præcepit Deus, ipſe tamen digito demõſtrabat Chriſtum iuſtificatorem omnium, cùm diceret. Ecce agnus Dei &c. Ioan. 1. Rom 3. Inſuper è diuerſo hoc falſum eſt, quòd in hoc ſeculo damnantur, penitùs doctrinæ & præcepta humana, & tamen non magis & diligentiùs obſeruantur prȩcepta diuina & ſcriptura, immò pluscontemnuntur, & cum damnatione humanarũ doctrinarum ſimul & prȩcepta Dei atq; verbum eradicatur: vt nunc neq; humana prȩcepta, neq; diuina obſeruentur: nec humanę doctrinę, nec diuinę literæ ſeruentur: & hoc eſt malum huius noſtri ſeculi.

CAP. XXXXVI.

ARGVMENTA.

1. *Quare Deus dedit legem Decalogi & præcepta populo.*
2. *Quibus imputetur impletio legis.*
3. *In quem finem lex eſt abrogata.*

DEVS dedit legem populo, vt ſciret quæ faceret, quæúe omitteret, vt Deo placeret, ne populus alium cultum vel alia opera excogitaret, quæ Deo non placerẽt, ſicut faciũt Gentes idololatrę: quare certi iã ſumus de Dei volũtate, quòd hęc prȩcepta ſi ſeruantur, Deo placeãt, & is colitur & honoratur: & hęc eſt ſua voluntas, & ideò vocat populum ſuum proprium de cunctis gentibus & populis, qui hęc ſua ſeruãt prȩcepta: promittit etiã varias benedictiones ſeruantibus, & maledictiones negligẽtibus: ideò certò ſcimus, quòd Deo placeant hęc opera, quandò ex Fide ſeruauerimus obedientiam prȩceptorum: etiam certò ſcimus, quid ſit peccatum, & quãdò peccemus & ma- 1. Exo. 19. Leuit. 26. & Deu. 28.

& malefaciamus, ſcilicet quādò Dei prȩcepta violi-
mus, & hoc dicit Apoſt. Rom. 3. Agnitio peccati per
legē, & ibid. cap. 7. concupiſcentiā ignorabā eſſe pec-
catū, niſi lex diceret &c. Ex fide ergo vult Deus vt ſer-
uētur p̄cepta eius, quod ſic fit, quandò primò credi-
mus in Chriſtū, ꝙ merito & ſanguine illius iuſtifica-
mur & ſaluamur, qui ſolus mortuus eſt pro peccatis
noſtris, & reſurrexit ꝓpter iuſtificationē noſtrā. Po-
Rom. 4. ſteà ad honorē Dei ex obedientia ſeruàmus hȩ præ-
cepta in gratiarū actionē accepti beneficij per Chri-
ſtū: hoc eſt ſeruare prȩcepta ex fide, id quod vbiq; do-
Rom. 3. cet Apoſtolus, quoniā ex fide in Chriſtū primùm iu-
ſtificamur, & non per legē: ſed iā iuſtificati gratis per
fidem gratia Chriſti, tunc ſequi debet obedientia le-
gis: & hoc eſt cultus Dei, & habebit ſua prȩmia in hac
& poſt hanc vitam: alia tamen à iuſtificatione, & ſ
in illum finem data ſunt præcepta.

2. Deus ſic dedit legem, quòd eā vult impleri non ſo-
lū foris opere vel manu, ſed etiā intùs affectu & cor-
de: nam lex ſpiritualis eſt, Rom. 7. & etiam vult ſpiri-
tu impleri. & Deut. 6. inquit. Diligere debes domi-
Deum tuū ex toto corde tuo, tota anima, tota mente,
& totis viribus. Totū cor & totū ſpiritū exigit Deus,
totū factū, totā obſeruantiā, foris & intùs, ſpiritu &
corpore: nō cupit partē. Sic em̄ hypocritę ſeruāt præ-
Matt. 5. pta. Sed Chriſtus inquit ad diſcipulos: Niſi iuſtitia
veſtra abundauerit &c. Et hoc eſt impoſſibile corru-
ptę noſtrę naturæ: caro enim oppreſſa peccato, legi
Dei ſubiecta nō eſt, nec enim poteſt, inquit Apoſtolus
Rō. 8. Ideò oportet, vt hìc gratia & miſericordia Dei
accedat, quę remittat imperfectionē, quòd legem fa-
cere ex toto corde non poſſumus, & hoc facit Deus
propter fidem in Chriſtum: nā Chriſtus finis præce-
Rom. 10. pti ac legis. Deindè neceſſaria eſt gratia Dei, quæ ad-
iuuet noſtram fragilitatem, vt obedientiam legi Dei
præſtē

præstemus: & sic præcepta eius grauia non erũt, sicut Ioan. dicit: & Apostolus ait se omnia posse in eo qui ipsum confortat, Philp. quarto. Matth 11. Iugum meũ suaue. Credentibus ergò in Christum, qui legem perfectè impleuit, & obedientiam Dei patris seruauit. Deus ex misericordia & gratia propter Christum nõ vult imputare illam imperfectionem legis, si per omnem modum non præstiterimus obedientiam legi, sed potiùs vult nobis imputare filij sui Christi obedientiam legis, quam ille perfectè præstitit, vt talis nostra sit, ac si nos ipsi seruâssemus legem perfectè, ideò dicimus quia in Christo seruaui præcepta. Sic obijcimus Sathanæ: Christi iustitia & impletio legis, mea est propria, quia ipse caput meũ, ego membrum eius sum: in illo sumiustus, sum sanctꝰ, ac saluus ero: ipse datus est mihi, vt mea sit iustitia, iustificatio & redemptio solus, 1. Corinth. primo, ita Christus implet nostram imperfectionem ad iustitiam, quæ iustitia Christi imputatur credentibus in illum, & hæc omnia probat Apostolus Romanorum 8. inquiens, quandò erat impossibile carni lex, misit Deus filium suum in carnem aut similitudinem carnis peccati, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem, sed secundùm spiritum ambulamus, id est, qui à vitijs cessant, illorum est iustitia & iustificatio legis Christi: nam cessantes peccare, & qui pœnitent, liberat Christus ab accusatione legis, & iustificat ab illa, non verò carnales. Matth. 5.

5.

Quia homo viribus suis sine gratia & Dei adiutorio legem seruare non potest, ideò statuit Deus alio medio hominem iustificare, id est, remittere illi offensam, & dare salutem propter aliud, quàm per obseruãtiam legis: & hoc medium, est fides in Iesum Christum filium suum, qui eum recipiunt, vt Deum saluatorem, ac eius merito & passioni tribuunt nostram iustitiam & salutem: & hoc maximè probat & defen-

dit Apostolus contra Iudæos, qui iustificationē tribuunt legis operibus. Romanorum tertio. Arbitramur hominem iustificari fide absque operibus legis: Et quoniam Deus per fidem in filium, quem posuit propiciatorem in sanguine illius, Romanorum tertio, vult iustificare peccatorem, & nō propter obseruantiam legis, ideò dicitur lex abrogata, quoad illum effectum & finem, scilicet iustificationem: nam legi adempta est iustificatio. Ideò hîc non est quęrenda. Nam si à lege esset petenda iustificatio, quia nunquàm certi sumus quandò satisfecimus legi, sic semper incerta nobis esset remissio peccatorum. Sed vt illa certa sit, ideò ex fide in Iesum est iustificatio quęrenda: ibi promissio certa est Romanorum 4. Deus mentiri non potest: qui propter Christum promittit iustificationem & salutem, non propter legis obseruantiam, Ioannis tertio, Actorum 10. Est quoq; alius finis legis, nempè vt per illam obedientia Deo præstetur: Deus non gratis dedit legem, sed vult vt seruentur præcepta: non sic est abrogata, ne illa seruentur, sed solùm in finem illū, ne iustificare possit, abrogata est, vt Christo salua sit sua gloria: alioqui gratis veniisset. In illum igitur finem, vt retineatur iustitia, necessariò sequi debet obedientia legis. Nam si non sequitur, non retinetur iustificatio. Romanor. 8. Si secundùm carnem vixeritis, moriemini. quòd si non retinetur Iustificatio, nec salus ęterna sequetur: & ideò inquit Christus adolescenti Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, & sequere me. duo dicit, ipsum sequi, sed primò per fidem, quæ iustificat: deindè seruare præcepta, quæ retinent iustificationem, & sic sequitur salus, & alia prędmia in hac & post hanc vitam. Si sola seruatio præceptorum mereretur salutem, Fides Christi esset inanis.

Quare dicatur lex abrogata esse.

CAPVT

CAPVT XXXXVII.

ARGVMENTA.

1. *In quem finem præcepta humana addita sint præceptis Dei.*
2. *Quandò sint ea præcepta periculosa conscientiæ, & frustrà fiant.*
3. *Quandò laudabilia sint & meritoria.*

ANtè omnia considerandus est finis, in quem patres & Ecclesia dederunt præcepta sua populo: certum est quòd fides in Christum iustificat, & summum opus bonum est, Ioan. 6. Hoc est opus Dei, &c. deindè voluntas Dei certò cognoscitur vt sibi placeant opera præceptorum suorum, ita quòd quicquid ad salutem attinet, in his duobus continetur, nempè fide & obediētia legis Dei. Hoc cùm maximè Ecclesia & omnes sancti patres sciuerunt, ideò finis exquirendus est, in quem ipsi sua præcepta humana, Cæremonias, ritus atque solennia addiderūt. Pro quo notandum, quòd proprius finis præceptorum humanorum, & intentio patrum fuit, vt omnia fierent honestè & secundùm ordinem in Ecclesia, & hoc docet Apostolus 1. Cor 14. Et Propheta Psalm. 146. Deum nostrum decet iocunda decoraque laudatio. Hi sunt potissimi fines, quare patres officiosi fuêre in dandis præceptis & constitutionibus ac ordinandis cęremonijs, nulla hîc mentio de iustificatione &c. Est enim traditio humana disciplina coërcens carnem in rudibus. Et fiunt primò honestè & cum reuerentia & maiestate ad persoluendum diuinum cultum in Ecclesia, sicut sunt imagines, vexilla, lumina, organa, vestimenta, thurificationes, cantus &c. deindè ordine cum ferijs seruandis, diebus 1.

ieiuniorum, confessionis, communionis delectu di-
borum: nam cùm ipse Deus ieiunium præceperit,
quo habiliores efficeremur ad seruanda Dei præce-
pta, Matth. 6 Ecclesia tempus & diem addidit. præce-
pit item confiteri peccata: Ecclesia dies addit. laudā-
re Deum, audire verbum Dei: Ecclesia dies præscri-
bit. viuere continenter, non mœchari, esse subditum
Deo & Prælato: Ecclesia addidit vota & vitam mo-
nasticam & id genus alia, vt omnia decenter & ordi-
ne fierent, &c. Non opinati sunt patres, has traditio-
nes suas fore potissimùm & præcipuum Dei cultum:
hic enim in fide, timore, spe & dilectione consistit, in
illis motibus & virtutibus internis, in fructibus Spi-
ritus: sed volebant suas traditiones esse seruos tan-
tùm horum motuum & præcipui cultus Diuini, at-
que exercitationem fidei, timoris, atque dilectionis
Dei: nemo enim traditionibus tribuit iustificatio-
nem & salutem, nisi qui ignorat Euangelium Chri-
sti. Propter hos ergo fines, præcepta humana addita
sunt diuinis.

2. Traditiones & præcepta humana tunc sunt pe-
culosa, & venenum conscientiæ siue animæ, quando
illis tribuitur quòd fidei in Christū debetur, aut ip-
Christo saluatori: hoc autem tunc fit, quandò illis tri-
buitur remissio peccatorum & vita æterna: & sic re-
ijcit eas Propheta Esa. 29. Et Christus Matt. 15. in-
quiens: Gratis me colunt doctrinis & præceptis hu-
minū, quandò scilicet in illum finē docentur, quo-
hęc per se nos iustificent corā Deo, & sint potissimo
cultus qui Deo placeat, reiecta fide, timore, dilectio-
ne: & quoniam sic furantur Christo officium suum,
ideò sunt periculosa. Insuper quandò his ligatur co-
scientia, scilicet si abstinuero à comedenda carne
die Parasceues aut sexta feria, tunc puto me per hanc
abstinentiam meruisse cœlum: Si verò comedero, me
grauiter peccasse & meruisse infernū, quandò sic ma-
ior

iorem conſcientiam facio de violatione traditionis huiuſmodi, quàm de violatione prçceptorum Dei, ſicut Chriſtus arguit Phariſæos Mat. 23. Væ vobis qui decimatis mentham, anethum &c. & relinquitis maiora legis, &c. Eſt enim ſpecialis vexatio Diaboli, plùs ponderare propria noſtra opera, vota, præcepta, orationes, quàm Dei præcepta & generalia opera quę Deus prçcepit, & maiorem indè habere ſcrupulum & terrorem in conſcientia, ſi negligantur, quàm in tranſgreſsione diuinorum præceptorum. Si quis feria ſexta comedit carnes, hçreſi notatur: Si maledicit, ſi mœchatur, ſi inebriatur, &c. nemo quippiam dicit. Sunt quoq; periculoſę traditiones, quandò apertè ſunt contra præcepta Dei, & quandò ſic vrgentur plùs quàm Dei præcepta, vt fuit corbana &c.

Si debitus finis tribuitur traditionibus, tunc ſunt laudabiles & etiam meritoriæ, ſcilicet ſi fiunt liberè, non vt hîc quçratur iuſtificatio, aut quòd peccetur ſi ex aliqua cauſa, & non contemptu violentur, ſic erat cibus de leguminibus puerorum, Daniel. 1. Et obſeruatio traditionum filiorum Rechab, Hier. 35. & Ioan. Baptiſta commendatur de veſtitus aſperitate, cibo & potu. Matt. 3. & Luc. 3. hic iuſtificationem ſuã tribuit Agno Dei, Ioan. 1. & tale genus vitæ tenuit quod Deus etiam non prçcepit: Sic hodiè religioſi ſuas regulas ſinę ſuperſtitione. Et quidē negari nō poteſt, quin etiam meritoria erat illis pueris abſtinentia, dedit enim illis Deus ſapientiam &c. filijs Rechab perpetuum ſacerdotium. Ideò non in totum omnes traditiones & Decreta patrum ſunt abijcienda: hoc eſſet peccatū rebellionis. ſicut fuit Chore, Dathan & Abiron, &c. Nume. 16. & peccatum Oziæ regis, 2. Paralip. 26. Poteſtas igitur tenetur liberare grauatas conſcientias: noſtrum eſt obedire, & Paulus ordinauit conſtitutiones multas de velandis mulieribus, 1. Corint. 11. quòd non prædicent, 1. Corinc. 14. & iubet etiam ſer-

nari

uari suas traditiones tam scriptas quàm ore pronu-
ciatas, 2. Thessal. 2. At solum esse cultum hæc ope-
ra, quæ iudicio commemorabuntur, vt Matthæi 25.
Esuriui &c. aut quæ ad proximi commodum perti-
nent, & non orationes, ieiunium, psallere &c. fal-
sum est. commendatur vidua Lucæ 2. de seruitio Dei
&c. & Ioan. Baptista, & tres pueri de cibo & vesti-
tu quorum nullum Deus præcepit, nec in proxi-
mi commodum respicit, aut comme-
morabitur in Iudicio. &c.

FINIS.

PRIMI LIBRI.

CATE

CATECHISMI DN. CONRADI CLINGII LIBER SECVNDVS.

Qui continet expositionem Decalogi, Orationis Dominicę, & Symboli Apostolorum.

PRIMVM PRAECEPTVM.

Non habebis Deos alienos. Exod. 20.

CAPVT PRIMVM.

ARGVMENTA.

1. *Quomodo solus est vnus & verus Deus.*
2. *Quòd ei tria debeamus, Fidem, Dilectionem, & timorem perfectum: nam hæc est gloria quam nulli alteri dabit.*
3. *Quinam primum transgrediantur præceptum.*

DEVT. 6. dicitur: Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus vnus est. Eccl. 1. Vnus est altissimus CREATOR omnium, omnipotens & rex potens & metuendus nimis, sedens super thronum illius Dominus Deus. Mal. 2. Nunquid nō Deus vnus creauit nos? quare ergo despicit vnusquisque fratrem suum? 1. Corinth. 8. Scimus quòd nullum est simulacrum in mundo, & quòd nullus sit Deus alius nisi vnus. Nam etsi sunt qui dicuntur Dij, siue in cœlo, siue in terra, quemadmodum sunt Dij multi & Domini mul- 1.

ni multi, nobis tamē vnus est Deus, qui est pater [illegible] ex quo omnia, & nos per illum: & vnus Dominus [illegible] sus Christus, per quem omnia, & nos per illū. Eph. [illegible] Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma, vnus D[eus] us & pater omnium, qui est super omnia, & in omn[ibus] nobis. 1. Tim. 2. Vnus est Deus, vnus etiam conci[liator] tor Dei & hominum, homo Christus Iesus, & Psal. [illegible] Quis est Deus præter Dominum? aut quis Deus pr[æter] ter Deum nostrum? Credere igitur, esse vnum ver[um] Deum, magna est gratia, pro qua etiam Christus [illegible] suo recessu petijt, Ioan. 17. Hæc est vita æterna, s[ci]cet vt cognoscant te solum verum Deum, & quē [illegible] sisti &c.

Illi vnico & vero Deo nostro debemus tria: pri[mum]
a. perfectam fidem, vt scilicet illi ex toto corde con[fi]mus. nam verax est & fidelis, & seruat irrefraga[bi]ter quæ promisit & dixit, impossibile enim est De[um] mentiri, Hebr. 9. Deus verax est, Roma. 3. Ioan. 3. [illegible] us est summa veritas: nulli ergo creaturæ super[fi]ram sic debemus cōfidere, sicut Deo Domino nos[tro] deindè debemus illi perfectam dilectionem. Deut. [illegible] Diliges Dominū Deum tuum ex toto corde tuo, [illegible] dimidio corde, sed toto: nam omne bonū venit ab [illegible] lo, & nos tamē non meruimus, sed ipse ex pura gra[tia] & fauore donat. Ideò nulla creatura in toto mu[ndo] esse debet, quā sic ex toto corde diligere debemus [illegible] cut Deū Dominum nostrū. Tertiò, debemus illi [illegible] mum & perfectum timorē, vt super omnia ipsum [illegible] timeamus, nā ipse punit malos, Deut. 6. Dominū D[eum] um tuū timebis. Perfectā igitur fidem, dilectionē [illegible] morem, Dño debemus: Hi sunt præcipui cultus int[erio]ni, quos Deus exigit: in his consistit pfectio Spiritu[s] inchoatur vita æterna in nobis. Sed quoniam natu[ra] hominis corrupta est vitio originis, igitur hæret [illegible] nobis dubitatio, ne perfectè Deo cōfidamus: carna[lis] tas, vt magis amemus carnalia, quā Deum: securi[tas] car[nalia]

carnalis, vt non verè Deũ timeamus. Igitur infirma nostra natura nõ potest satisfacere huic legi, & semp accusat nos hęc lex, ꝙ Deo nunquã tantùm confidimus, diligimus & timemus sicut deberemus. Igitur oportet addere legi Euangeliũ de Christo, & de remissione peccatorũ: non possunt corda humana Deo perfectè credere, diligere, & timere, nisi primum intelligant Deũ placatũ esse. Cùm igitur terrefacti agnitione peccatorũ nostrorum audimus nobis donari remissionem peccatorũ nostrorum ꝓpter filium Dei Iesum Christum, qui pro nobis factus est victima: Hac consolatione eriguntur mentes, & incipiunt credere & confidere Deo, quòd nobis sit ꝓpitius: agnoscunt igitur eius misericordiã & statuunt se respici & exaudiri: ideò incipiunt eum diligere. Sunt igitur veri cultus interiores, timor, fides, dilectio: & hęc tria exiguntur per primũ Dei prȩceptum. Quisquis aliquam creaturam siue in cœlo siue in terra sic timet, confidit & diligit, is ex illa faceret Deum falsum & alienum: quod esset graue peccatum, quod terribiliter Deus punit, nã dicit Esa. 42. Ego sum Dominus, hoc est nomen meum, gloriã meam alteri non dabo: hoc est, Deus pati non vult, vt aliquid aliud pro Deo habeatur, aut quòd illi diuinus honor exhibeatur, nec in corde, nec in verbis, nec in operibus: Nihil ergo sic timeri, diligi aut in fiduciã poni debet à nobis super omnia: sicut Deus solus noster. Quicunq; igitur Deum alienũ quęsierit, & gloriam illam quæ soli Deo debetur, illi exhibuerit, is idolum sibi proprium facit. Ideò admonet Apost. & inquit, Nolite effici idolatrę 1. Cor. 10. id est, in solum verum nostrum ponite fiduciam, dilectionem & timorem super omnia, vt nihil æquale illi censeatur.

Transgressores huius primi præcepti sunt multi, quanuis non velint dici de illis, ꝙ habeant Deos alie- 3.
nos. Et primò sunt illi, qui sic timẽt aut signa cœli,

aut

aut infortunium futurum, quòd putant impossib
esse, illos ea effugere posse, aut quòd Deus eos n
possit liberare à tali malo: talis creatura statuitur
Deo: Sic arguit Iudith sacerdotes, quòd post qui
dies volebant HOLOferni tradere ciuitatem, lud
cap. 8. ex timore nimirùm illius hominis, quasi D
eos liberare non posset. Sic arguit Hier. cap. 10.
dæos, quòd more Gentium metuebant à signis cœ
quasi Deus non sit supra sidera & signa cœlestia
elementa. Sic aliqui desperant de vita ex grauil
guore, quasi Deus non sit Dominus vitæ & mor
qui suscitat mortuos, Ioan. 11. Matth. 9. Sanat inf
mos varios. Sic desperant de frumentis, quasi D
non dixerit, hæc omnia adijcientur vobis Matth
Tales omnes colunt Deum alienum. Ideò sic co
tare debet, qui verum & vnum colit Deum, quan
hoc mihi sit contrarium, nolo tamen desperare, s
enim Deus est hoc, nec potest me damnare: time
potiùs D E V M, qui me potest mittere in gehenn
Matt. 10. non potest mihi capillum de capite toll
timebo ergo Deum, & si aliquid patiar ex innoce
vel propter iustitiam, Dominus benè me liberabit,
potest me custodire, ne hoc infortunium contin
mihi. Psal. 111. Beatus vir qui timet Dominum.
cundò quærunt & illi Deum alienum, qui fide
confidentiam suam ponunt super aliquid aliud,
totaliter, vt cogitet si ille princeps, ille patronus,
illa mercatura mihi fauerit, nihil mihi deerit: t
quærunt hominem pro Deo, quos maledicit Prop
ta Hier. 17. Maledictus, inquit, qui ponit spem suam
homine. Et Dauid ait Psalm. 146. Nolite confidere
principibus, neque in filijs hominum in quibus n
est salus. Diues ille qui multa collegerat, dicebat
nunc Anima quiesce &c. Lucæ 12. Sic dicit Apo
lus, Ephes. 5. Auaritiam, idolorum cultum, & Ma
mon illorum Deum esse. Igitur fidelis sic cogit
quan

quanuis hic princeps vel homo sit meus amicus, & merces meę fortunatę sint, attamen non sunt Deus meus, nec possunt me saluare, nec de ira Dei liberare: sed Dominus dedit & abstulit: sicut ipsi placuit, ita factum est, Iob. 1. illi soli confidere volo, cessabo ergo ab vsura & falso lucro &c. Postremò sunt trāsgressores, qui aliquid aliud sic corde diligit, quòd propter illud facit omnia, quæ potest, siue hoc iustum vel iniustum sit, hoc sibi pro Deo est. Sic aliqui diligunt ventrem, & colunt quasi Deum, Phil. 3. nam potationem, comessationem, & quicquid deliciarum & voluptatis corporis, reputant pro summa felicitate. Sed verus cultor vnius Dei cogitat: quare propter hanc rem faciam iniustè? non enim est Deus meus; nec me creauit, nec liberare potest, si malè mihi sit, nec saluare: quare Deum meum in cœlis plus diligā & colam, & solùm ad illius obedientiam respiciam; & cogitabo ne illum offendam. Semper ergo in corde hoc ponderare debemus Ex. 20. Ego sum Deus tuus, quasi dicat, Ego tibi benefaciam: si quid deest tibi, inuoca me, & iuuabo te. Si quid indiges, à me postula: Ego sum Dominus Deus tuus, & nulla alia creatura, ergo me timeas, mihi confidas, me diligas super omnia: nolo pati alium qui tibi sit Deus, ego solus sum Deus tuus, potens & misericordia plenus, ne igitur habeas alienos Deos.

CAPVT II.

ARGVMENTA.

1. *Quod sit idolum spiritualium, sapientum, doctorum huius mundi, propria scilicet iustitia.*
2. *Quomodò Mammon siue voluptas sit idolū secularium, indoctorum, vulgi.*
3. *Quomodò Deus solus vult inhabitare cor nostrum, & solus illud exigit.*

1. OVanuis Deus prȩcipit non habere D alienum, vt Exod. 20. quia ipse dicit: I go sum Domin⁹ Deus tuus, ego om tibi possum facere, saluare & damn perdere & iuuare, attamen est dup idolum in mundo, quorum primum est Spiritua um & clericorum, idque perniciosissimum, prop scilicet iustitia, quam colit homo & præsumit, illi buens quòd per eam saluetur & habeat remissio peccatorum, pluris æstimans illam, quàm Dei g tiam & beneficium Christi. Sic Iudȩi primò hoc lum colunt, id est, propriam iustitiam, Rom. 10. V tes suã iustitiam statuere, iustitiȩ Dei non sunt sub cti. Contra hoc idolũ maximè pugnârunt prophe & Apostoli atq; Christus, propter illum occide prophetas Christũ & Apostolos nolebãt pati, vt i rum iustitia nihil foret, sed gratia & beneficiũ C sti abundaret: id quod docebant omnes Sancti Sic inquit Christus Lucæ 16. de Pharisæis: Vos qui iustificatis vos coram hominibus. hoc idol adorabat Pharisæus Lucæ 18. qui dicebat, Je bis in Sabbatho. sed illum quia Deus recusabat, blicanus descendit præ illo iustificatus in domũ am &c. Hoc idolum ita naturæ nostræ inhȩret, v sit possibile id fugere, sine speciali Dei adiut quisquis enim vult videri de suis operibus sanct stus, sapiens &c. & inde gloriã habere, sicut Chri Matth. 6. contrarium docet de Eleemosyna, ora & ieiunio. & Luc. 17. docet nos reputari seruos i les cũ omnia fecerimus, ideò omnes sancti fidele bent pugnare, & pugnarunt contra hoc idolum extirparent, & vix potuerunt, inquit Dauid Psal Super senes intellexi. & deindè, Bonum quia h liasti me: quasi diceret, Nisi veniſſet punitio & hu liatio, adorassem hoc idolum, meam sapientiam stitiam: ideò bonum mihi, quòd humiliâsti me,

ſcam iuſtificationes tuas. Sic Paulus 2. Corinth. 11. Ne magnitudo reuelationis extolleret me, datus eſt mihi angelus Sathanę, qui me humiliaret, ne ſuperbirē de mea ſanctitate, iuſtitia, viſione ſed agnoſcerem humiliter mihi ſufficere gratiam Dei. Sic Iob 1. benedicit Deum. Grauiſſimum ergo peccatum eſt, adorare opus manuum ſuarum Eſa. 2. id eſt, propriā iuſtitiam extollere vltra gratiam Chriſti, vel illam æqualiter reputare, & non ſola cordis puritate fidere gratiæ Dei. Hoc idolū adorant hypocritę ſuā iactantes iuſtitiā &c. non vt prohibeatur noſtra iuſtitia, quā etiam exigit Chriſtus Mat. 5. & 6. Sed ſic, vt glorificet patrem in cœlis: ſatis nobis ſit gratia Dei, promerita nobis Chriſti morte: hæc eſt iuſtitia Euāgelij potior, Phil. 3. Gētes igitur quę adorāt idola, Iudęi qui iuſtitiam legis, clerici qui ſuis cęremonijs tribuūt iuſtitiam, ſapientes qui cęteris volunt anteferri, diuites qui ſuas venerantur diuitias &c. omnes iſti ſpirituale hoc idolū cordis peſſimum, & quod gloriā gratię Dei obſcurat, adorant. Iſto autē medio expugnatur hoc idolū, vt ſolum reſpicias ad Dei promiſsionem, propter quidnā tibi promiſerit ſalutē, nempè propter Chriſtū ex nuda miſericordia, nō propter tua opera & merita: Deindè, vt nihil amplius quęras, niſi purā gratiā oblatam & promiſſam ad accipiendū. Poſtremò, vt poſtea vadas & facias quę poteris liberè & gratis propter nullum meritum aut proprium commodum hoc eſt gloriam dare Deo, vt propter nomen ſuum propitietur peccato noſtro. Pſalm. 25. Ipſe enim promiſit propter nomen ſuum. Sic docuit Moyſes Deut. nono. filios Iſraël, Ne dicas in corde tno, cum deleuerit &c. propter iuſtitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc poſſiderē &c. Non enim propter iuſtitias tuas aut æquitatem cordis tui ingredieris, ſed vt Dominus compleret verbum ſuum, quod iuramento pollicitus eſt patrib. noſtris, Abrahā

Isaac & Iacob: Sic nos introducimur in regnum cœ. leste, non propter nostram iustitiam, sed quoniam pater hoc promisit daturum propter filium suum credentibus, Ioan 3 vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam, Act. 15. & 10. Igitur de propria iustitia & merito hic desperare oportet, & ad nudam Dei misericordiã propter Christum promissam respicere in re salutis Sunt etiam sua præmia iustificatis hic & in futuro ex gratia propter Christum, 1. Cor. 3 Vnusquisq; mercedem accipiet &c. & iterum 1. Cor. 15 sicut stella à stella differt &c. Sed meritum Christi solum nobis offert remissionem & salutem.

2. Idolum mundi est Mammon & voluptas, illi seruit vulgus die ac nocte cum varijs laqueis, sicut Apostolus inquit: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli, & desideria multa & inutilia & nociua, quæ mergunt homines ad interitum & perditionem Radix enim omnium malorum est auaritia. Hunc Deum, scilicet vsuram, colunt omnes mercatores, adeoq; totus mundus. Pecuniæ, inquit sapiens, obediunt omnia, & omnes colunt Deã diuitiarum Mammon, contra Christi præceptũ, Mat. 6. Non potestis Deo seruire & Mammonę. Hic Deus mundi Mammon replet totam terram varijs peccatis, sicut Ioannes ait 1. Ioan 5. Mundus totus positus est in maligno, & hunc cultum auaritiæ seu diuitiarũ nominat Apostolus Ephes. 5 idolorum seruitutem, Nã vbi cor, ibi & seruitus Mat. 6. Vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum. nemo fidit Deo, vt ille eum enutriat, sed omnes alienum Deum quęrunt, id est, pecuniam. Hoc idolum isto medio expugnatur, quod Christus præscribit Matt 6. Ne soliciti simus: est enim plus vita quàm cibus, corpus quàm vestimentum. Si enim DEVS dedit quod maius est, & quod minus est, dabit. Deindè, si Deus noster verus nihil dabit, nihil labor tuus proderit tibi, sicut ne poteris adijcere lon-

1. Tim. 6.

gitudi-

gitudini tuę cubitum vnum. Postremò, quærite primum regnum Dei, id est, hæc per quę Christus regnat in cordibus vestris, hoc est, fidem, dilectionem, timorem Dei: his Deum colite & honorate, hæc primùm cupit Deus & exigit: & cætera, id est, corporalia adijcientur vobis: ne igitur sitis gentes, sed fideles.

Exigit primum Dei præceptum, vt Deo soli totum cor tuum præbeas, vt illud solus inhabitet, ne ibi alius Deus locũ habeat vel idolum aureum vel ligneum, aut propria iustitia, aut Mammon, aut voluptas: Ego, inquit, sum Deus tuus, & non est alius præter me. Ideò Exod 20. addidit: Zelotes fortis, id est, Ego curo te & non patiar alteri tribui meam gloriam, nõ patiar alios Deos confingi aut coli: alioqui puniam in tertiam & quartam generationẽ. Tale igitur cor, quod solum Dei esset habitaculum, quod esset purũ, & nulli alij rei confideret, propheta Dauid sibi dari petijt. Psal, 50. Cor mundum crea in me Deus. Et sapiens Eccl. 2. Vę duplici corde &c. Vt igitur omne idolum sit alienum à corde, rogandus est, & nobis cauendum, ne vlli confidamus creaturę, nec habeamus fiduciam in propria nostra iustitia, sed petamus misericordiam, & illã nobis exhibebit, id est, certò credamus propter Christum per misericordiam Dei. Omnẽ enim fiduciam nostram, eamque solam, in seipsum Deus exigit in hoc præcepto, & nulli alij creaturæ vult tribuere hanc fiduciæ gloriam.

CAPVT III.

ARGVMENTA.

1. *Quæ sit pura Dei adoratio.*
2. *Quomodo Deus nõ vult adorari in creatura.*
3. *Quomodo Deus vult laudari in creaturis & Sanctis suis.*

ADorare Deum, est ipsum intus in corde agnoscere, & credere creatorē & salua-torem suū, & foris publicè verbo, facto-que colere & honorare. Sic 1. Reg. 1. di-citur, quòd Helcana pater Samuelis as-scendebat de ciuitate sua statutis diebus, vt adoraret & sacrificaret Domino in Silo. Ita nos in domibus nostris, templis & vbiq; locorum quoties adoramus, inuocamus Deum, genua flectimus, manus leuamus, capita nudamus, ibi adoramus & confitemur Dño, quoniā ipse solus Dominus & Deus noster est. Sic Io. 4. dixit mulier: Patres nostri in monte hoc adorauerunt, id est, corde intus, & foris solenni cultu, id est seruitio Deum honorârunt & confessi sunt. Sic venit Eunuchus ille Hierosolymis, adorato Deo, „pfectus eò, adoraturus Deum, Acto. 8. Quoties ergo Deum esse nostrum agnoscimus ac laudamus, toties ipsum adoramus, eius auxilium & gratiam postulantes. Verum adorare in scriptura sæpè capitur pro reuerentia, quæ gestu corporis exhibetur, vt geniculatio, deosculatio, detectio capitis, &c. sicuti Regibus & magistratibus facimus ac potentibus. Sic accipitur 1. Reg. 20. de Dauid qui cum Ionatha cadens pronus in terram, adorauit tertiò, & 1. Reg. 9. Miphiboseth corruit in faciem suam, & adorauit Dauid. Marci 5. princeps Synagogę procidit, petens pro defuncta filia Christum venire in domum suam. Sed adoratio propriè est, Deum agnoscere, in eum credere, & cultum ei foris exhibere. Sic adorârunt tres Magi, Matt. 2. & cęcus sanatus Ioan. 9. Ad eum modū nullus sanctorum vel angelorum adoratur. Hic cultus soli Deo „pprius est: scilicet credere nostrū creatorem & saluatorem, & solam super omnia exigit fiduciā, dilectionē & timorem. Nulli enim creaturę tantū fidere debemus, nec aliquē sic diligere & timere, sicut Deū qui solus super omnes creaturas exigit hunc cultū fidei

Dilectio.

Dilectionis & timoris. Sic etiam verè & rectè adoratur hisce motibus cordis Fide, & dilectione, & timore perfecto: sine his virtutibus interioribus nihil foris proderit externus cultus cęremoniarum & operum. Hic in Spiritu cõsistit vera adoratio, vt Ioan. 4. veri adoratores in Spiritu adorant, cuius externus cultus signum & contestatio est.

Deus vult in sola sua persona vel natura adorari & coli, & non in creatura scilicet vt simul cum illo creatura adoretur & honoretur: patet hoc Exod. 20. vbi Deus pcepit Moysi, dicens: Hęc dices filijs Israël, Nõ facietis Deos argenteos vobis, neq; aureos, &c. quasi diceret, Nolo habere honorem & adorationẽ meam cum creaturis commixtum: ideò peccauerunt grauiter filij Israël Exod. 32. in fabricatione vituli aurei, quòd huic vitulo tribuerunt simul honorem & adorationem Dei. Sine dubio filij Israël sic erant edocti à Moyse per varios & multos sermones, quòd benè sciebant hunc vitulum aureũ non fore Deum, quem erexerant: & quanuis vitulum non reputârũt Deum fore, attamen in hac creatura & forma vituli voluerunt Deum colere & adorare, qui eduxerat eos de Aegypto: ideò magna plaga secuta est in populo. Ne igitur fieret deceptio vel ex simplicitate vulgi, qui creaturam simul cum creatore adoraret, aut ex delusione Sathanæ, qui vbique conatur honorem & veram adorationẽ Dei extinguere, atque ad creaturas adorandas homines instigare, sicut facit in gentibus, qui adorant imagines habẽtes fictitias aures & ora &c. sicut propheta dicit Psal. 113 & 134. Aures habent, & nõ audient &c. Et Dęmones sunt qui coluntur in illis, vbi simul idolum & Dęmon adoratur. Ne igitur talis delusio aut deceptio occasio foret nobis peccati, pcepit Deus strictissimè Deut. 4. & Leuit. 26. ne sculptam similitudinem aut imaginem masculi & fœminę aut iumentorum vel auium haberemus, nec 2.

oculos ad cœlum eleuemus, videndo & adorando Solem & Lunam, & omnia astra cœli, ne sic decepti errore adoremus ea quæ Dominus creauit in ministerium cunctis gentibus, quę sub cœlo sunt. Non vult igitur Deus adorari in creatura, sed solus in sua diuina natura, essentia & virtute. At dices: Cur ergo Deus in humanitate vel simul cum humanitate Christi adoratur? & cur in Sacramento altaris, vbi sub specie panis adoratur? nonne humanitas, & panis vel vinũ sunt creaturæ, non autem creator? Respondeo: Nos homines non debemus Deum in creaturis auro vel argento adorare: Sed aliud est quod Deus assumpsit ad se, Et cui hoc dedit ex singulari priuilegio, vt vnà cũ Deo colatur & adoretur, sicut est humanitas Christi, cui Christo Deus dedit tale nomen, quod est supra omne nomen, vt in nomine Iesu flectatur omne genu cœlestium, terrestrium & inferorum, & omnis lingua confiteatur, q̃ Dominus noster Iesus Christus in gloria Dei patris est, Phil. 2 Ecce Deus dedit humanitati Christi, vt sit in gloria Dei patris, id est, vt honoretur & adoretur vnà cũ Deitate, prout est illi cõiuncta, alioqui separata humanitate, non adoratur: hoc autẽ nulli alij creaturę dedit Deus pater, vt secũ sit in sua gloria: nam dicit per ꝓphetam Esa 42. Gloriã meam alteri nõ dabo, sed hic excipitur humanitas Christi cui dedit Deus vt sit in gloria sua. Sic in Sacramento adoramus Deitatem, quę inseparabiliter est Christi humanitati coniuncta in vnitate personæ ipsius: non adoramus panem vel corpus Christi solũ, sed diuinitatem adoramus ibi coniunctam corpori Christi: & hoc idèò secundũ Apostolum, quia Deus dedit hoc humanitati Christi, vt sit in gloria Dei patris, id est, honore, adoratione &c. prout est inseparabiliter coniuncta Diuinitati. Est enim Christus filius Dei viui, Ioan. 11. ideò adoratur. Ita non adoratur crux Christi, prout est creatura: sed quia Christus, qui in illa

in illa passus est, Deus fuit & homo: ideò in memoriam passionis est crux, sed diuinitas Christi ibi honoratur & adoratur. Non vult ergò DEVS in alia creatura adorari, sed in sua essentia & natura solùm: nam illum honorem solus exigit sibi Deus, eò quòd in nulla creatura vllum sit præsidium, quod non ab ipso tanquam authore proficiscatur.

3. Deus vult laudari in creaturis & sanctis, sed non adorari. Nam hæc duo plurimùm differunt, adorare DEVM in creatura, & laudare Deum in creatura. Adoratio solam Deitatem respicit, & ipsam Dei essentiam & naturam credit, agnoscit & adorat, ab eaque auxilium petit, diligit, timet. At laudare DEVM, respicit opus Dei, quod fecit in creaturis, quandò gratias agimus illi, & laudamus quòd illas ad nostrum vsum creauit, mirabiliter ordinauit, qui nobis largitur eas & conseruat. Laudatur quoque Deus in sanctis, quandò à nobis glorificatur propter magnifica illa beneficia, quæ Deus contulit in sanctos suos. Sic cantat beata virgo, Lucæ primo. Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Galat. primo, & in me laudabant Deum. Sic sanctos laudamus in Deo, & DEVM in sanctis, non autem adoramus. Sic imagines sunt solùm memoria Christi & sanctorum suorum, nullo modo adorandæ: & sunt quasi libri laicorum, quibus student circa verbum Dei, quatenùs sequantur CHRISTVM fide & opere, sicut illi sancti eum secuti sunt: Nulla autem virtus ipsis est statuis adscribenda, neque Deus vult alligari certis statuis, humana authoritate positis, neque in illis adorari aut permixtum habere honorem: Soli igitur Deo honor & gloria sit, vt Apostolus ait, 1. Timoth. primo.

ALTERVM PRAECEptum Dei, Non assumes nomen Dei tui &c.

CAPVT IIII.

ARGVMENTA.

1. *Quid per nomen Dei debeamus intelligere.*
2. *Quandò rectè vtimur nomine Dei, & quandò in vanum & malè.*
3. *Quomodò puniantur trãsgressores huius præcepti.*

1. NOtandum quòd nomen Dei hîc non solùm accipitur pro nominatione personarum Dei, vt dum dico, Deus pater, Deus filius, Deus spiritussanctus, aut Christus Iesus Dominus noster, sed pro omni eo quod dicitur de Deo, aut dici debet: sicut in communi dici solet, Hic homo bonum habet nomen id est, multa bona dicuntur de illo: è diuerso, Hic homo habet malum nomen, id est, multa mala feruntur de illo: ita etiam dicitur nomen Dei quicquid de illo boni dicitur, nempè quòd sit iustus, verax, misericors, mitis, pius, &c. sicut scriptura plena est. Psal. 8. Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? Docet igitur hoc præceptũ, quomodò nos verbis exhibeamus corã Deo, nempè ne nomine Dei, & quicquid de Deo dicitur, vtamur in vana & inutilia, sed solùm tunc vtemur, cùm laus & honor Dei requirit & vtilitas proximi, vt omnes ex verbis nostris notent, quòd de DEO in cordibus nostris magnificè sentiamus, eumque diligamus & timeamus, quò vel sic cæteri homines incitentur ad honorandum nomen Dei. Psalmo 112.

A soli

A solis ortu vsq; ad occasum, laudabile nomen Domini. Si autem leuiter & in vanum vtamur nomine Dei, tunc cæteri scandalizantur, & tales digni sunt morte, Matth. 18.

Deindè sicut cultus interni sunt præcipui motus mentis in Deum, Fides, dilectio, timor perfectus, sic sunt nunc præcipui cultus exteriores, quos hoc præceptum exigit: inuocatio, gratiarum actio, glorificatio, & in his cultibus rectè vtimur nomine Domini. Inuocatio oritur ex fide: quia enim credimus quòd sit Deus, quòd exaudiat, quòd velit saluare, ideò inuocandus est, nã hęc certò vult facere propter Christum: Qui ergò cõfugiunt ad incantationes, benedictiones vetularum, &c. illi peccant cõtra hanc inuocationem. Sic enim dicit Deus: Clamauit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eũ, & glorificabo eũ, Psal. 90. Qui ergò nõ credit huic verbo Dei, peccat. Peccãt quoq; qui nunquã aut rarò orant, nã in oratione inuocatur Deus. Illi ergò cùm Deũ spolient suo honore, peccãt grauiter: honoratur eñ & inuocatur Deus in oratione, & hũc cultum maximè exigit. Rectè igitur vtimur nomine Domini, quãdò orando ipsum inuocamus. Alter cultus exterior Dei, est gratiarum actio. Est autem illa externa confessio, qua confitemur Deum nostrum benefactorem esse & saluatorem: atque hìc includitur prędicatio Euangelij Dei, quatenùs nos vult per filium suum saluare, Ioan. 3. nam totum Euangelium prędicat & offert nobis Dei bonitatẽ. Deindè est etiã gratiarum actio, cõfessio nominis Dei coram Judęis & Gentibus ac tyrannis & hęreticis. Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, &c. Et hanc confessionem exigit Deus Matth. 10. Nolite timere eos qui corpus occidunt. Ibidem & Luc, 12. Capilli capitis vestri numerati sunt. ideò debemus liberè & constanter verbum DEI & fidem publicè profiteri, vt omnes homines ad fi-

ad fidem veniant, alioqui damnabimur. Luc. 11. Qui me confessus fuerit coram hominibus &c. Tertius cultus exterior est glorificatio nominis Dei, ne illi committamus blasphemias & scandala, ac faciamus Deum lictorem vt perdat, qui vult omnes homines saluos fieri, 1 Timot. 2. ideò debemus nomen Dei laudare & glorificare, vt sæpè admonet Dauid Psal. 112. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini, non dicit, blasphemate per illum, & Psalm. 33. Benedicam Domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Ipsi sunt præcipui cultus exteriores Dei, invocatio, gratiarum actio & glorificatio: hisce cultibus rectè colitur Deus foris, ad illum referuntur omnia externa, id est, ritus, cæremoniæ, cantus, Organa &c. ad glorificationem nominis Dei.

2.

I. Modus nominis Dei in vanum assumendi.

Nomen Dei in vanum assumitur primò, quando aliquid Deus nominatur, aut sic colitur & honoratur, quod tamen Deus non est, sicut olim gentes fecerunt, quę Solem, Lunã, Stellas, Homines, Reges, Tyrannos, Deos nominârunt: quod etiã prohibet Moyses Deut 4. Sic filij Israël nominârunt vitulum aureum deum suum, adorantes & dicentes: hic est deus qui eduxit nos de terra Aegypti, Exo. 32. Contra hoc prȩcepit Deus per Moysen, vt si quis hominum faceret alium Deum aut adoraret vel nominaret, quàm verum Deum, vt is moriatur: si ciuitas, cõburatur & omnia deuastentur, Deuteron. 13. Deindè, quando

II. quis conuiciatur, maledicit, & blasphemat per nomen Dei, id quod est commune & graue vitium: in nomine enim Dei debẽt incuruari omnia genua, Philip. secũdo. Ideò peiores sunt ipso Diabolo omnes tales conuiciatores. Nam diabolus timet sibi de nomine Dei, & inclinat se: nec ipse audet maledicere per nomen Dei. De illis igitur dicit propheta Psalmo 5. Guttur eorum sepulchrum patens: id est, sicut de aperto sepulchro fœtor scatẽs, indicat ibi esse putridũ quippiam,

quippiam, ita vbi ex ore hominis procedũt huiusmodi maledictiones, signum est quòd ibi anima demortua & impia lateat. III. Tertiò in vanum nomen Dei assumitur, quandò quis inutiles fabulas, risiones, stultiloquia aut quæstiones inanes de Deo ac rebus DEI fabulatur, vt rideant homines: sic enim nomen Dei inhonoratur. Matth. 12 De omni verbo ocioso homo reddet rationẽ in die iudicij Ephes. 5. Stultiloquium nec nominetur in vobis. Etiam in vanum assumitur, quandò nomen & verbum Dei sine attentione auditur in prædicatione, aut legitur oscitanter in Ecclesia aut cantatur, nam inquit Dauid Psalmo 118. Eloquia tua super mel ori meo. IIII. Quartò, dum per nomen Dei & sancta verba Euangelij committimus incantationes, quæ est mera delusio diaboli, & signum infidelitatis nostræ: permittit quidem Deus hæc fieri ad probationem nostram: vult enim per hoc probare, an ipsum verè diligamus & timeamus, an in ipsum solum locemus nostram fiduciam, Deuteron. 13. Quoties igitur gloriaris, quia res tibi sic contingat, cogita tuam perfidiam: & quòd sic Deus hoc permittit diabolo, eò quòd tu derelicto Deo, ad ipsum confugis, quòd aliquando aliquid contingit verum, ita tandem permittet, quòd ipse dæmon, quem inuocâsti, tibi præmium reddet. Fugienda est igitur omnis incantatio, maximè, vbi nomen Dei dehonestatur. V. Quintò, nomen DEI in vanum assumitur, quando periurium committitur, de quo in alio capite dicetur. Cauendum est igitur maximè, ne nomen Dei à nobis in vanum assumatur.

Deus huiusmodi præcepto adiecit pœnã quæ spectat ad transgressores, nam dicit: Non enim habebit insontem, id est, innocentem Deus eum qui nomen suum in vanum acceperit: hæc comminatio valdè terribilis est, est enim nomen Dei sanctum, ideò vult, vt etiam à nobis sanctificetur, id quod Christus ipse

nos

nos docuitin oratione Dominica, Mat. 6. vt prima pe titio esset nostra, quo nomen Dei patris sanctificetur in mũdo & vera doctrina, vt Deũ sanctificemus, ver. bo eius credamus sine hęsitatione, ac semper ore glo rificemus, nõ maledicamus. Vndè credamus esse nũ in mundo tot aduersa, tot genera infirmitatũ, nisi q tàm multa ac diuersa sunt genera maledictionũ, bla sphemiarũ passionis, seu martyrij, sanguinis ac mor tis Dei, elementorũ, Valentini, Quirini, &c. Vndè ve nit rerũ caritas, fames, bella intestina, animalia ter ræ nociua, spoliationes, incẽdia, pestes, &c. nisi quòd Deus hęc super nos permittit ꝓpter huiusmodi pec catum, quod nomine Dei sine reuerẽtia vtamur: et in Ecclesia fit in cultu diuino sine deuotione & atten tione, extra ecclesiã verò vt plurimũ, vt in negocia tionibus, mercatorũ periurijs &c. Et hęc pœna tem poraria tolerari possit per pœnitentiam, de impœni tentibus verò inquit Apostolus Galat 5. Maledicti re gnum Dei non possidebunt &cæt.

CAP. V.

ARGVMENTA.

1. *Quòd licitum sit verè iurare.*
2. *Quàm grande peccatum sit, falsè iurare, & ad peccatum nomen Dei inuocare.*
3. *Quòd Magistratus punire tenetur periuria quæ hic Deus grauiter punit.*

1. IVramentum est inuocatio nominis Dei vt testis veritatis cũ imprecatione pœ næ, si fallat, vt si quis dicat, Inuoco Deũ ac peto, vt si fallo verũ, me puniat Deus. Sic enim forma olim concipiebatur in fœderibus. Pro veritate autem habenda vel tuenda licitum est iurare, sic iurat Apostolus 2. Cor. 1. Ego testem Deum inuoco aduersùs animam meam,

Philip

Philipp.1. Testis mihi Deus est. & Hebræorum sexto. Omnis controuersiæ finis est iusiurandum, & Deut. 6. Per nomen eius iurabis: honor enim est Deo, dum pro veritate tuenda inuocatur. Quòd verò Christus dicit Matt 5. Ego autem dico vobis, ne iuretis omninò &c. hoc intelligendum est de iuramentis, quę sine inuocatione, sine mãdato magistratûs, aut de priuata cuiusq; munditia conscientiæ fiunt: non autem loquitur de politijs & negocijs vocationũ. Est enim iuramentum, vinculum iudiciorum & politiarum, & Euangelium non abolet politias & iudicia: ideò nec iuramẽtum, & ideò sicut Christus dicit, sit verbũ vestrum, Est est, Non non: quod ampliùs est, à malo est, &c. id est, ab irreuerẽtia est, cùm scilicet iuramus falsè aut sine causa, sine vocatione, sine mandato Magistratus &c. Sed iuramẽta corã iudice vel propter vocationẽ coram Magistratu facta, licita sunt & cultus Dei, iuxta verba legis, In nomine Dei iurabis: econtrà, sine causa iurare & falsè, est abusio nominis Dei, qua nomen Dei inuocatur sine reuerentia.

Grande peccatum est periurium, & inuocatio nominis Dei irreuerenter facta. Et primò fit irreuerenter in execratione, nam ibi nũcupare Deum, est eum inuocare. Vult autem Deus, vt seriò & reuerenter, & in veritate nomen suum vbique inuocetur: quandò ergò effunditur execratio per nomen Dei, id est, daß dich Gott plage oder schände &c. & hoc vel ex consuetudine execrabili vel iracundia, grauissimè peccatur in nomen DEI. Deindè in proximum nostrum, quem præcepit nobis Deus amare, & cui debeamus omnia bona precari, contra mandatũ Dei inuocamus nomen ipsius, vt perdat ipsum, quasi lictor esset. Quare dicit Apostolus 1. Corinth. 6. quòd tales maledici regnum Dei non possidebunt. Prophetæ verò si leguntur interdum execrati fuisse & maledi- 2.

maledixisse, sicut Helisæus pueris 4. Reg. 2. & Noë maledixit Chanaan Genes. nono, hoc tamen tantùm blasphemis & obstinatis fecerunt. Cauendum est igitur, ne de facili transferamus execrationes ad vulgaria negotia, quia in vsu temerario recidunt in caput eius, qui sic abutitur nomine Dei. Porrò in periurio duplex est peccatum. Primò, quia ibi gloria Dei lædi. tur cùm citatur tanquam falsus testis, qui est summa veritas: nam solus Deus verax, Romanorum tertio, & ipse perdet omnes qui loquuntur mẽdacium, Psal. quinto. Deindè, quia periurus contemnit Deum vltorem periurij, qui claris verbis dicit, Non erit innocens qui nomen meum in vanum assumpserit, Exod. 20. Et quoniam Deus non vult authoritate sui nominis fieri id quod prohibuit, ideò illicita iuramenta non sunt seruanda. Sunt autem illicita iuramenta, in quibus aliquid promittitur quod est peccatum, aut sine peccato præstari non potest: vt si quis iuraret se hanc vel illam violaturam virginem, hunc vel illum occidere hominẽ, aut facere diabolo iuramentum &c. maius enim peccatum est, præstare talia iuramenta, sicut Herodes simulauit se coactum iurando interficere Ioannem.

3. Postremò, quoniam Deus magna religione vult obseruari iuramenta, vbi inuocatum est nomen eius: ideò grauissimum est peccatum, nõ seruare iuramenta facta Magistratibus & superioribus, non perpendere maximum hoc conscientiæ vinculum. è diuerso seruantes iuramenta sua, à Deo diliguntur. Psalmo 14. Qui iurat proximo, & non decipit eum, is ascendit in montem Domini. Sic Dauid, Sic veteres Reges fidelissimi fecerunt in seruandis pactis & iuramentis, & Propheta Hier. quarto inquit: Iurabo, viuit Dominus, in veritate, in iudicio, in iustitia, in veritate scilicet conscientiæ, vt ita vel secundùm conscientiam faciam sicut iuro, in sermone veraci, nè aliud

aliud loquar, aliud corde teneam: nam qui contrarium facit, non homini, sed Deo mentitur, Actor. 5. In iustitia dicit propheta, scilicet vt sit de re licita: ergò iuramẽtum Dauidis quòd voluit occidere Nabal, fuit de re illicita 1. Reg. 25. & contra præceptum Dei, Non occides, & ideò illud retractauit. Sic erat illicitum iuramentum Iudęorum, quum dicebant Principi sacerdotum, Deuotione deuouemus nil degustatu ros nos donec occidamus Paulum, Actor. 23. Tertiò minatur Deus pœnas grauissimas periuris & blasphemis, sicut patet de rege Assyriorum & seruis eius, 4. Reg 19. Vbi angelus Domini percussit 185. millia de exercitu eius vna nocte propter peccatũ blasphemiæ, & 2. Machab. 9. tradit historia, quomodò etiam Deus in hoc mũdo punit blasphemos, & propheta Nathan multùm exaggerauit peccatũ Dauidis, eò quòd blasphemare fecerat inimicos nomẽ Domini, 2. Reg. 12. Et lex iubet Leuitici 24. Qui blasphemauerit nomen Dñi, morte moriatur. Sic & lapidatur in deserto blasphemus: & Christus accusatur corã Pilato tanquàm blasphemus Dei, idq; quasi ex lege, Mat. 26. Sic Cerinthum hęreticũ balneę oppressérunt, cũ ibi contumelioſos sermones in Christũ diceret. Deindè Apostolꝰ periuros commemorat inter illos, quos DEVS tradidit in reprobũ sensum, Rõ. 1. & addit ꝙ tales digni sunt morte, id est, dãnatione æterna. Quare periuriũ grauius est peccatũ in suo genere, quàm homicidiũ: quia hic corpus, ibi aũt anima occiditur, anima verò damnatur. Tales autem rarissimè prosperantur, vt sæpiùs est expertum. Eccle. 33. Vir multùm iurans, replebitur iniquitate. Et quoniam magistratus non tantùm est defensor corporis, aut tutor iudiciorum, aerarum politicarum, sed etiam est defensor Dei gloriæ & custos totius legis, quòd ad externã disciplinã attinet, ad ornandam gloriam Dei, vt dicit Apostolus 1. Timoth. primo. Lex est posita iniustis &c. Ergò

tenetur punire delicta externa aduersus omnia præ-
cepta Dei: punire igitur debet etiam periuria, contu-
melias externas & blasphemias nominis Dei, Epicu-
reos sermones, atroces execrationes, idololatrias, &
inprimis hæreticos serentes falsa & impia dogmata,
impios cultus, quos nouit esse falsos, &c. Et omnem
talem magistratum vult Deus iterum glorificare &
extollere, quòd sic eum glorificârunt, 1. Reg. cap. 2.

TERTIVM DEI PRAECEPTUM, Memento vt diem sabbathi &c. Exod. 20.

CAP. VI

ARGVMENTA.

1. *Quare sit institutum sabbathum.*
2. *Quid sit feriari, & etiam sanctificare feriam.*
3. *Quomodò contemptores huius præcepti peccant, atq; puniuntur hic & æternaliter.*

1. IVdæis fuit præceptum in veteri testamento, cum diligentia feriari sabbatho Exo. 20. sic, vt non auderent incendere ignem ad focũ in domibus suis, Exo. 35. & minitabatur lex trãsgressoribus mortem, Exo. 31. Sic etiã contigit Num. 15. Ideò Deus non dedit illis Manna in deserto in sabbatho, ne colligerent & frangerẽt sabbathum. Vnde in duplo ante sabbathi colligebant Exo. 16. Tale autem præceptum dedit eis Deus primò in signũ inter Deum & populum suum atq; posteritatẽ illorum: nam Gentes nõ colebant sabbathũ, ideò vt scirent Iudæi, quoniam Deminus esset qui eos sanctificaret, dedit hoc signum

Exo-

Exod.31. Deindè, quòd Deus requieuit septimo die, postquàm per sex dies omnia creâsset. Gen.1. Postremò, vt Iudęi saltē semel in hebdomada haberent diē, in qua audirēt præcepta Dei, cùm aliâs negotijs suis essent occupati: insuper, vt serui & ancillæ eorum atque iumenta se refrigerarent, & quiescerent post multos exhaustos per hebdomadam labores. Sic cohibuit Deus Iudęos lege sabbathi, vt essent distincti à Gentibus: & hoc obseruabant tam strictè, quòd permittebant se occidi potiùs quā violare sabbathum, 2. Machab.6. At nos Christiani in noua lege, nō sumus ampliùs subiecti huiusmodi prȩceptis aut discrimini dierum, volucrum, quadrupedum, sicut Iudæi, sed libertate donati sumus per Christum. Galat.5. Vocati estis in libertatem. Ideò non possumus feriari diem qualem voluerimus, sic comedere etiam cibum volucrum & quadrupedum, qui in lege prohibitus fuerat, saltem vt feria seruetur: Est quidem species istius præcepti abrogata, id est, septimus dies siue sabbathū ąa Christiani liberi sunt à cȩremonijs Moysaicis. Sed genus quod in hoc præcepto continetur, id est, opus ipsum nō est abrogatum: Habemus enim præceptum diuinum de opere, scilicet vt feriam sanctificemus, licet non habeamus præceptum de die certo: ideò propter hanc libertatem conseruandam, nos sabbathum non feriamur sicut Iudæi, sed Dominicam diē; & aliquot alios dies secundùm institutionem Maiorum nostrorum. Est etiam hoc præceptum de cæremonijs & vsu cæremoniarum, scilicet quòd conseruandæ sint cæremoniæ & feriæ propter ministerium verbi: oportet enim existere aliquas cæremonias, quæ sunt notæ, & ad testimonium verbi Dei, ad eiusque maiestatem faciunt: potissima verò ratio feriæ est, vt verbum DEI denuncietur, quo doceantur homnes quæ facere, & quæ credere debeant: hoc maximè est necessarium saluti animæ nostræ. Cum

igitur per alios dies consulamus necessitati corporis in victu & amictu, vult quoq; Deus vt etiam vna die consulamus animæ nostræ audiendo verbum eius sanctum, Oremus, Deo gratias agamus &c.

2. Secundò, dicit Deus: Memẽto vt diem sabbathi sanctifices & ferieris: non dicit, facias hoc vel illud opus in sabbatho, sed solùm feriare. Nam sunt quędam opera bona, quibus solùm proximo seruimus, sicut prædicare, defendere, regere, dare eleemosynam, orare pro communi pace, reconciliari proximo, Mat. quinto, &cæt. quæ opera maximè Deo placent ex dilectione CHRISTI facta proximo: & ideò non sunt prætermittẽda in nostro sabbatho, quia & Deus illa opera præcepit, & licet fecerimus hæc opera, solùm tamen seruimus proximo propter Dominum. Sed quandò ipsimet DEO seruire volumus cum tali bono opere, quod nõ proximum, sed solùm Deum respicit, tunc non debemus aliquod bonum opus extrà facere, sed solam feriam DEO seruare, id est, vt qui vult Deo seruare feriam, quiescat ab operibus externis, & permittat sibi Deum nostrum bonum intùs facere, & posthac agat gratias DEO, laudet & glorificet: hoc est potissimum seruitium & maximus cultus Dei, quem ipsi in vita nostra facere possumus. Sed tunc quiescimus, feriamur & sanctificamus feriam, quandò circa res & causas sanctas occupamur: hoc autem maximè fit, quandò audimus verbum Dei, & addiscimus quid facere & credere debeamus: aut dum ad sacramentum accedimus, ob consolationem conscientiæ & confortationem fidei: aut dum oramus deuotè, vt Deus largiatur nobis quæ indigemus, & vt ab omni malo liberet & conseruet nos, &cæt. Ideò Deus potiùs seruit nobis sabbatho, quàm nos illi. Nam per verbum docet, per Sacramenta confortat, orationes exaudit. Ideò rectè feriam,

feriari, est quiescere ab operibus externis, & intùs permittere sibi benefacere à Deo: Hoc sic facit Deus, quandò bonorum nostrorum non indiget. Psalm. 15. deindè, quoniam tam pius & propitius est, vt omnibus libenter ipse bonũ faciat, vel laudetur gloria gratiæ suæ, Ephes. primo. Etiam vult Deus, vt à labore manuali cessemus in laudem suã, & in testimonium fidei nostræ: nam credimus quòd Deus velit & possit nos enutrire: & dum ipse manum aperit, omnia implentur: si ipse claudit &cæt. Psalmo 107. Ideò credimus, si non omni die laboremus, sed ad laudem & præcepta illius quiescimus, quòd denique velit & possit nos enutrire, sicut dicitur Matth. sexto, Primùm quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Et quoniam Deus ipse seruit nobis sabbatho, vt diximus, ideò debemus & nos proximio nostro seruire.

Quoniam hoc præceptum, quoad opus, est morale & perpetuum, & quoad speciem, id est, septimi diei obseruationem, est cæremoniale: & de hac cæremonia iudicandum est, quemadmodum etiam de cæteris Iudaicis cæremonijs: ergò peccant grauiter, qui contumaciter negligunt publicum ministeriũ & cæremonias diuinitùs institutas: primùm, quia nolunt vti beneficio Dei, quia Deus ibi nos exerceri, erudiri ac instrui vult: Deindè, quia suum officium non conferunt ad conseruationem publici ministerij: postremò, quia per exemplum suum abducunt alios à cæremonijs, & minuunt earum reuerẽtiam: hæc peccata non sunt extenuanda. Insuper sabbathum dehonestatur, quandò non acceditur ad verbum Dei, non oratur, dum diù dormitur, spatiatur, inebriatur, saltatur, luditur, luxuriatur, negociatur, &cæt. quandò etiam sine causa franguntur Decalogi præcepta, hic in duplo peccatur: primò, quia talia vitia in se sunt prohibita: deindè, quòd ea sabbatho perficimus. 3.

Ideò Deus iraſcitur & punit nos, vt nulla nobis ſit proſperitas ſeu fortuna: depauperamur, cogimur tan dem die ac nocte laborare, & tamen ſemper defici mus. Et hoc eſt iudicium Dei, quandò in mediocri tate nolumus feriari, tũc cogimur neceſſitate extre ma laborare ſabbatho, vt ſuſtentemur & vitæ habea mus neceſſaria. Feria igitur ſeruanda eſt, non ſolùm opere, ſed etiam voluntate: quæ feria tunc fit, quan dò noſtram voluntatẽ & mala deſideria deponimus, & permittimus nobis placere Dei voluntatem, Mat. ſexto, Fiat voluntas tua. Sic quoque feriari docu Chriſtus.

CAPVT VII.

ARGVMENTA.

1. *Qualis fuerit intellectus falſus Iudæorum de violatione ſabbathi.*
2. *Quare Chriſtus communiter ſanauit ſabba tho, & fecit miracula.*
3. *Quomodò charitati proximi cedere debet o mnis lex tàm diuina quàm humana.*

1. PRimi Machabæorum ſecundo legitur quòd penè mille homines abſcond in ſpelunca in perſecutione Antioch permiſerunt ſe occidi ſabbatho cum u xoribus & filijs, & nolebant vnum l pidem mouere ad oſtium ſpeluncæ aut ſe defende ne violarẽt ſabbathum. Sic 2. Machab. 6. multi Iud ſe potiùs comburi permiſerunt in ſpelunca die ſab thi, quàm ſe defendere. Ob eam cauſam Tyranni m ximè in die ſabbathi mouerunt bella contra Iudæ vt ſtatim totum populum cum habitaculis delere quoniã

quoniam nolebāt se defendere sabbatho nec pugnare Iudæi, adeò vt tandem coacti sint cōcludere, vt die sabbathi se defenderent contra Gentiles, 1. Machab. 2. Hoc ita trahebant Pharisæi ad falsum intellectum, vt si quis opere aliquo manuum perfeciſſet aliquid, is violâſſet sabbathum: & si quis solùm à tali opere ceſſaret, hic seruaret sabbathū. Sic arguunt ijdem sanatum circa piscinam, quòd tollebat sabbatho lectū suum, Ioan. 5. Solam violationem sabbathi trahebant ad opera manualia &cæt. nihil ampliùs cogitantes de audiendo verbo Dei, oratione, eleemosyna, aut vt abstinerent ab ebrietate, luxuria, auaritia &c. Sic ex falso intellectu arguebant Christum, quòd sabbatho tangebat infirmos, id est, fecit lutum, & liniuit oculos cæci, Ioan. 9. dicentes: Hic homo non est à Deo, quia sabbathum non custodit &c.

Secundò, quia lex non iubet tantùm quiescere, sed 2.
iubet vacuum diem sanctificare, id est, præcipit opera necessaria ad illustrandam & propagandam gloriā Dei: ideò Christus sabbatho curauit infirmos, sicut Ioann. quinto, de sanato circa piscinam habetur, & Ioan. 9. de cæco nato, ibi gloria DEI propagabatur: Ideò hæc opera quæ illustrant Dei laudem, non violant sabbathum. Et quoniam Pharisæi putabant violatum sabbathum, quòd Christus manu tetigit infirmos, & liniuit oculos cæci, faciens lutum &c. ideò defendit se Christus, & manu tangit infirmos, quos etiā solo verbo potuisset curare, ostendens hoc non violare sabbathum: vbi gloria Dei redditur illustrior & charitas erga proximum exercetur. Vnde etiā maximè arguit eos, quòd ipsi Pharisæi sabbatho bouem de fouea extraxissent, & putant tamen nō violatum sabbathum, Matt. 12. Luc. 14. Ipsum reprehendentes quòd curaret infirmos in sabbatho, & ipsi Pharisæi soluunt boues de præsepi, & ducūt potum ad aquas, Lucæ 13. & arguunt CHRISTVM quòd liberet

hominem, & ſoluat vinculis Sathanæ ligatum. Neceſſitas ergò non violat ſabbathum, ſicut Chriſtus exponit Matth.12. & excuſat ſuos diſcipulos, qui ſpicas vellebant ſabbatho ad manducandum, quia eſuriebant: ibi neceſſariò diſpenſabat de lege ſabbathi. Sic comedit Dauid panes conſecratos, quod non licebat niſi Sacerdotibus, 1.Reg.21. ibi quoque neceſſariò diſpenſabatur. Sic ſacerdotes mactabāt ſabbatho animalia in templo, & violabant ſabbathum, idq; ſine crimine: Non hoc legiſtis in lege, inquit Chriſtus ad Phariſæos Matt.12? Igitur neceſſitas diſpenſat, ſic tamen vt diſpenſatio ſit, & non abrogatio legis: ſed vt cæremonia non impediatur propter officium veri, aut alio tempore conſeruetur. Officia igitur & opera, quæ non ſunt mali exempli, diebus feſtiuis non ſunt reprehendenda, modò miniſterio publico ſuus conſeruetur honor.

3. Tertiò, omnis lex tàm Dei quàm hominis, exponi atque exigi debet, iuxta regulam dilectionis proximi, id eſt, ſi obſeruatio alicuius legis eſt contra charitatem proximi, non tenemur obedire legi: eſt enim charitas proximi maior & potior lege, ſicut Chriſtus inquit Mat.12. Si ſciretis quid eſt hoc Oſeę 6.cap. Miſericordiā volo, non ſacrificium: nunquàm condemnaſſetis innocentes. Ideò ſi charitas exigitur, debet lex cedere. Sed officia & dilectionis opera ſuperiora ſunt cęremonijs & ſabbatho. Sic Moyſes per annos quadraginta nō circuncidebat filios Iſraël in deſerto iuxta præceptum Dei Geneſ.17. Omne maſculinum genus circuncidetur: nam ibi neceſſitas & charitas diſpenſabāt, quòd cogebantur ambulare in armis, & pugnare contra gentes, vt eſſent validiores. Sic Chriſtus ſabbatho ſanat manū aridam, Mat.12. Debet itaque charitas eſſe regula legis: Sic enim dicit Apoſtolus Roma 13. Dilectio eſt impletio legis: & nihil cuiquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis.

Lex

Lex omnis contra charitatem & neceſsitatem, nō ligat aliàs tamen ipſa lex non eſt abolenda: ſed lex cedere, debet in caſu charitatis & neceſſitatis, ita tamē, quòd alio tempore lex ſeruetur, vbi lex & neceſſitas non vrget. Sic quoq; inquit Chriſtus Mat. 12. Dominus eſt filius hominis etiam ſabbathi, hoc eſt, ſabbathum nos non iuſtificat coram Deo: ſed fides in Chriſtū, facit nos liberos ab omnibus cęremonijs Iudaicis, ſicut ad Coloſ. 2. Apoſtolus dicit: Nolite vobis facere conſcientiam de certis diebus &c. dicentes, Ne tetigeritis, &c. vbi Apoſtolus vult nobis eſſe conſciētiam liberam, & non alligatam cęremonijs, &c. Ideò Chriſtus excuſat. Etiam vna lex alteram tollit in neceſſitate: ſicuti prȩceptum fuerat in lege, quòd octauo die puer circunciderētur, at ſic ſæpè contingebat, quòd ſabbatho cogebantur circuncidi, quia hæc octaua erat dies: & ſic vna lex tollebat alteram. Mar. 3. & Chriſtus concludit, quòd ſabbathum eſt propter homines, & homo nō eſt propter ſabbathum, ſed potiùs eſt Dominus ſabbathi, ſicut Chriſtus dicit: Dominus eſt ſabbathi filius hominis: & hoc ipſum facto demonſtrat, quòd ſit Dominus ſabbathi, nam ſanauit infirmos ſabbatho. Si enim fuiſſet hoc contra Deum, vt dicebant Phariſæi, quid ſabbatho curaret, non potuiſſet infirmos virtute Dei ſanare ſabbatho, nam Deus non eſt contrarius ſibiipſi. Tollit igitur in caſu lex vna alterā, & charitati debent cedere omnes leges & traditiones. Vult enim charitatis officia potiùs quàm legis in neceſſitate: alioqui & lex non abrogatur. Sed extra caſum neceſſitatis obſeruatur. Sic vult miſericordiam, non ſacrificium, Oſeę. 6. Sic iubet reconciliari patri Matt. 5. antequam munus ponatur in altari. Sic arguit Phariſæos de corbana Mat. 15. quòd negligebant præceptum dilectionis erga parentes.

CAPVT VIII.

ARGVMENTA.

1. *Cur dies festi atq; solennia dierum sint instituta.*
2. *Quid mereantur opera sabbathi, id est feriatio, oratio, eleemosyna, siue oblatio altaris.*
3. *Quæ allegoria sabbathi.*

NOtandum quòd cęremonię dierum & similes obseruantię, sunt institutæ, boni ordinis causa, sicut Apostolus 1. Corinth. 14. admonet, vt omnia fiant decenter & ordine: quis enim ferat, si nihil interfit inter templum & cauponā, & non esse alias cęremonias in templo, quàm taberna? si in eum finem vtimur cæremonijs & solennibus, vt ordini seruiant ministerio verbi & cultui diuino, rectè ac salubriter conseruandæ sunt. Est enim peccatum mortale, tales ordinationes vtiles ad ministerium verbi Dei, contumaciter aut in casu scandali violare: melius illi esset, vt cum mola Asinaria esset demersus in profundum maris, Matt. 18. Est quoque ordo necessarius in omni & communi societate, & Euangelium non abolet naturale iudicium de ordine, quem ordinem etiam natura nostra diligit. Ideò cum natura homines pugnant, qui tales ordinationes contemnunt: sicut pleriq; faciunt, qui postquam aliquid de libertate ex Euangelio audiêrunt, iā somniant Christianismum barbariem quandam esse, & omnium rituum ac cæremoniarum dissipationem & licentiam, ordinationem vtilium dissipare. Hi grauissimè peccant. Finis igitur ordinationum considerandus est: quandò enim instituuntur ritus, ferię, ceremoniæ ab hominibus in illum finem, vt sint cultus Dei

sese,id est,ex opere operato, aut mereantur remissionem peccatorun & salutem: hic finis impius est,derogat Christo,quia aliâs gratis venisset,Galat. 2. & veri Dei cultus sunt spirituales motus cordis, Fides, timor, dilectio proximi, de tali impio fine dicit Christus Matth. 15. Gratis me colunt doctrinis & mandatis hominum. Sed si finis est politicus, vt cum dies festi instituti sunt, vt populus certo tempore doceri possit,vt faciant maiestatem verbi ministerio: Nã propter ministerium verbi vt hoc retineatur in Ecclesia, sunt instituti dies festi,vt audiamus & doceamur quę Christus nobis fecit & docuit, & quomodo sancti viri Dei obedierunt Euangelio, vt ad illorum exemplum & nos sequamur Christum,sicuti Paulus docet Corinthios 1 Cor. 10. Imitatores mei estote,sicut & ego Christi: tunc rectè fiunt, & qui sic eos contemnunt,grauiter peccant.

Secundò, quia sabbathum sanctificare debemus, id est, sancta opera facere, quę nos sanctificant, hoc fit per fidem quæ est ex auditu verbi Dei, Rom. 10 Ideò in ferijs Euangelium maximè audire debemus: nam & hæc potissima ratio est institutę feriæ. Deindè orationes quibus loquimur cum Deo, & ipsum inuocamus & agnoscimus, vt saluatorem & creatorem nostrum. Id enim à nobis etiam exigitur. Tertiò,& peccata nostra recolligere debemus,& contritionem cordis habere,ac fide in Dei misericordiam Deo reconciliari ac fratri,Matthæi quinto,id enim verè opus sabbathi est,quo sanctificamus nos:accipimus quoque Dei beneficium participando de mensa Domini,vt gratias agamus de exhibito redemptionis beneficio,Cessamus quoque ab externis laboribus: vltimò oblationem facimus,quæ indè venit, quòd cùm olim conueniebat Ecclesia,singuli offerebant aliquod munus,& ex hac collocatione vna pars ministris dabatur, reliqua distribuebatur pauperib⁹: 2.

manauit

manauit hoc exemplum à populo Israël, qui sacrificaturi offerebant victimam, Leuit. 2.3.& 4 & partem dabant sacerdotibus. Ideoq; scriptum est Deuter. 16. Non apparebis vacuus coram me. Et si rectè oblatio inter opera sabbathi numeratur, quæ etiam placet Deo, id est, si fit vt iuuentur primùm ministri, & deinde pauperes: nam vt ministerium verbi conseruetur, debemus ministris gratiam & mercedem, & quòd necdùm oblationem, sed etiam eis omni tempore debemus alia maiora officia: nam per oblationem ministri, significatur omnis reuerentia quæ debetur ministro, Gal. 5. Is qui catechizatur, communicet &c & 1. Corint 9. Qui altari seruit, viuit de altari. Attamen superstitiosa opinio in oblationibus improbāda est, qualis fuit olim ethnicorum & multorum nostris temporibus, qua ingentia donaria attulerunt in templa, non hoc fine, vt ministros verbi aut pauperes iuuent, sed quia sentiebant hoc ipsum opus Deo tanquam cultum peculiarem atq; honorem, & mereri sibi gratiam & salutem hoc opere, sicut hac iniusta opinione Iudæi cumulabant sacrificia: quare reprehenditur hæc superstitio opinionum Psalm. 49. Non merentur ergo opera sabbathi iustificationem, sed fiunt à iam iustificatis & baptizatis fidelibus, tamen habent sua promissa præmia propter Christum ex misericordia in hac & post hanc vitam, 1. Corint. 3 sicut enim stella differt &c.

3. Tertiò, Allegoria sabbathi propria est, quòd sabbathum significat statum illum instauratæ naturæ post resurrectionem, in quo non solùm cessabunt labores corporis, sed etiam calamitates & peccata. Non erimus occupati carnalibus officijs, corpora non edent aut bibent, erimus liberi à peccatis & morte: talis quies erit illa noua vita, sed non tantùm erit quies sed accedet sanctificatio, quæ est præcipua pars sabbathi, quia in illa quiete fruemur notitia Dei, & glorificabimus

ficabimus Deum, Ioan. 17. Hęc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti filium tuum Iesum Christum. Ergo alia vita nostra erit in futuro in notitia Dei & glorificatione, quæ dicitur hîc inchoari, quatenus fide apprehendimus Deum & eius verbum. Sed nunc videmus per speculum in ænigmate, postea autem clariùs quasi de facie ad faciem, 1 Cor. 13. Hæc est allegoria veri sabbathi, sicut docet Apostolus Hebr. 4. & Esa. vltimo, erit sabbatum perpetuum. Monet igitur sabbathum quietem illam futuram in vita æterna, in qua homines notitia Dei fruentur, & Deum glorificabunt, & quanuis allegoria ad futuram vitam pertinet, externum tamẽ sabbathum conseruare maximè opus est propter ministerium verbi Dei & cæremonias, id est, vt cantemus, laudemus Dominum, &c. vt summa beneficia Dei veneremur & conseruemus. Aliqui etiam dicunt Allegoriam sabbathi esse vacationem, cùm patimur Deum agentem in nobis: ideo sabbathum intelligũt de patientia, quæ allegoria tametsi sit approbanda, non tamen sic propria est, vt est antedicta, sed quòd denotet futuram quietem: externum autem sabbathum est propter ministerium verbi Dei.

QVARTVM DEI PRAECEptum, Honora patrem & matrem.

CAPVT IX.

ARGVMENTA.

1. *Quarè Deus hoc præceptum dederit.*
2. *Qui sint parentes quos honorare debemus.*
3. *Quòd hæc obedientia & opera ciuilia, sint cultus Dei, & Deo placeant maximè.*

POstquam Deus in tribus præceptis prioris tabulæ docuit, quem cultum interiorem & exteriorem ipse à nobis exigit: nunc do- 1.

cet in

cet in secunda tabula, quæ erga homines exercere debeamus, etiam propter ipsum. Dedit ergo hoc præceptum, vt esset ordo in hac societate vitæ, vt scilicet alij præsint, alij obtemperent, eò quòd necessariũ est imbecilliores à præstantioribus defendi, regi & doceri: quarè præcipit hoc præcepto honorem & obedientiam præstantioribus. nam sicut boues non à bobus, nec caprę à capris, vt Plato inquit, reguntur: sic natura nostra infirmior est, quàm vt seipsam regere possit. Ideò Deus dat homines doctos & sapientes, præstantes heroas &c. quibus donat præ cæteris donis gregia, eosq; ornat, vt sint loco suo, qui pacem, iustitiam, libertatemq; conseruent. Sic sunt diuersa dona Spiritussancti, 1. Cor. 12. Et potestas à Deo est, id est ordinatio Dei, Rom. 13. Nam Deus per illos regit & conseruat iustitiam, &c. Et ideò illis debemus honorem & obedientiam propter Deum, 1. Pet. 2. eô quòd loco Dei constituuntur & vices tenent, & hæc ordinatio est maximè necessaria.

Parentes hoc præcepto, quos honorare debemus, sunt nostri genitores, quibus natura subiecti sumus, & illis tenemur honorem & obedientiam ex Dei præcepto, non solùm quia sunt genitores, sed quoniam Deus præcepit. Exo. 21. dicit, Qui percusserit patrem aut matrẽ, morte moriatur: & qui maledixerit patri vel matri suę, morte moriatur. & Deuter. 27. Maledictus qui non honorat patrẽ aut matrẽ. Eccl. 3. Qui honorat patrem suũ, vita viuet longiore. & iterũ, Qui timet Dominũ, honorat parẽtes, & quasi Dominis seruiet his qui se genuerunt, in opere, sermone & omni patientia. Vide latiùs caput de honore parentum.

Deindè parentes hoc loco iutelliguntur Magistratus & reliqui, quibus parentes suam vicem cõmiserunt, & illorum officium expediũt erga illos, vt sunt Tutores, Pædagogi, Patresfamiliâs, Prædicatores: hos omnes vocat scriptura etiam patres, eô quòd

sunt loco parentum, docent, instituunt, regunt: parẽtes enim in morte committunt filios suos tutoribus, aut mittunt ad magistros scholæ, vt doceantur, aut cõmittuntur mechanicis magistris, vt instituantur in arte &c. Omnes illi honorandi sunt ex Dei preçepto, & propter ipsum Deũ, illisq; debemus obedientiam in omnibus licitis. Ita iubet Apostolus Rom. 13. nos obedire & subditos esse magistratibus, non solũ ppter iram, id est, punitionem temporalem, sed etiã propter conscientiam, quia conscientia sit rea peccati coram Deo, & delinquit, si non obedit potestati. quæ Dei est minister, & gladium, id est potestatem, exercet, non vt homo simplex, vbi omnes æquales sumus, sed quia Dei minister, & loco Dei facit quæ facit. Sic ad Ephes. 6. Colos. 3. iubet seruos obedire & seruire Dominis suis quasi Domino nostro Christo, non ad oculum seruientes. sed ex animo: & adiungit promissionem, quòd tales etiam sua præmia habent apud Deum vltra temporale pro fideli labore: nam placent hęc opera ciuilia Deo vt maximè. Sicut ergo parentes non solùm dicuntur illi qui nos genuerunt, sed etiam magistratus, tutores, patres familiâs, pastores, &c. Ideò honor non tantùm debetur atque obedientia parentibus naturalibus, sed etiam omnibus supradictis, vt scilicet eos sic honoremus, nempè obediẽdo illorum iussis: timore, ne eos offendamus, eô quòd Deus hîc quoq; offenditur, si rebelles illis fuerimus: dilectione, vt illis corde faueamus, & bonum faciamus. Quòd si quis dixerit, imperia rapiuntur & tenentur ab improbis, infidelibus tutoribus res meę sunt commissæ, &c. Respondeo, ibi discerni debent personę ab ordinatione & officio DEI: politicus status Dei ordinatio est, vt conseruetur ciuilis iustitia: Si personæ abutuntur Dei ordinatione, ipsi viderint: nos obedire debemus non solùm bonis, sed etiã dyscolis, 1. Petr. secundo. Punit ergo Deus

maximè

maximè contumaces & inobedientes, ſicut Apoſto-
lus dicit Rom. 13. Qui reſiſtunt poteſtati, iudicium ſi-
bi acquirunt, id eſt, pœnam. Tradunt ferè omnes hi-
ſtoriæ, contumaces & inobedientes magiſtratib. tan-
dem extremas dediſſe pœnas. ideò dicit Salomõ Pro-
uerb. 24. Time Dominum fili mi & regem, & cum de-
tractoribus ſeditioſis ne commiſcearis, quia citò ve-
niet eorum exitium. Filij Iſraél quoties ex mandato
Moyſis pugnârunt atque obedientia, toties pauci
multos vicerunt: è diuerſo, quandò contra manda-
tum Moyſis pugnârunt, victi fuerunt à paucis, Num.
31. Punit quoque Deus Magiſtratus, ſi officio & com-
miſſioni Dei non ſatisfaciunt. ſic enim Saul à regno
deijcitur, quia non obediuit voci & mandato Dei de
Amalechitarum rege & gregibus ouium, 1. Reg. 15. &
ideò Deus huic præcepto annexuit promiſſionem vi-
tæ longioris & proſperitatis his qui obediunt. Etiam
magiſtratus habet promiſſionem longioris regimi-
nis, pacis, proſperitatis, ſi ex animo propter Deum ſa-
tisfacit ſuo officio, & ita vigilat, vt ſinguli ordines ſu-
um habeant atque faciant officium, ſi defendunt iu-
ſtos, & puniunt malos.

.3 Tertiò ſciendum quòd officia ciuilia ſunt cultus
Dei, id eſt, opera quæ ei placent, quibus honoratur &
colitur Deus, quanuis non fiant perſonę Dei, ſed fiãt
erga proximum ad noſtram neceſſitatem & vtilitatẽ
& ideò ſunt cultus Dei, quia ipſe illa præcepit: præce-
pit enim honorare & obedire parentibus, ergo quic-
quid fecero ex iuſſu & mandato parentum, etſi vel a-
quam ad lauandos pedes adferrem, vel aliud ſimile
opus exiguum fecero &c. hoc Deo placet, quia fit in
obedientia Dei, quam obedientiam ipſe Deus vt exhi-
beamus parentibus, præcepit. Sic ſi obediero magi-
ſtratui in re licita, opus etiam ſit qualecunque, hoc
opus placet Deo, quia propter obedientiam quam ip-
ſe præcepit, fit, ſicut etiã iubet Petrus 1. Pet. 2. Obe-
dite

dire omni humanæ creaturæ, id est, ordinationi superiorisstatus propter Deum. Sic Christus opera ciuilia probat esse cultus Dei, Matthęi vigesimo secundo, Cùm docet opera secundæ tabulæ,& inquit: Secundùm scilicet præceptum, est simile huic. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Verbum hoc, simile, habet suam emphasim, vbi opinio hypocritarum taxatur,qui propter cæremonias suas se efferunt ciuilibus officijs, quæ habent mandatum Dei, illæ verò minimè, sed potiùs gratis colitur Deus Matthæi decimo quinto: hîc verò non gratis. Quare Christus vult vt maiori studio præstemus hæc opera ciuilia, quæ ita placent vt opera primæ tabulæ: nam dicit, Simile huic.

Si igitur opera secundæ tabulæ placent vt primæ tabulæ, sequitur ea multò anteferenda esse traditionibus humanis: Sic & prophetæ reprehendunt Pharisaicam opinionem hypocritarum, qui suas traditiones præferunt operibus tam primæ tabulæ,id est, fidei, timori, dilectioni Dei, quàm secundæ tabulæ, id est,dilectioni proximi & bonis ciuilibus operibus. Oseæ sexto. Misericordiã volo &c. & Christus Matthæi vigesimo tertio. Vę qui decimatis mentham, anethũ,&c. Et relinquitis quæ sunt maiora legis, iustitiam,misericordiam,&c.

CAPVT X.

ARGVMENTA.

1. *In quibus punctis consistat honor quem debemus superioribus.*
2. *Quid sit præceptum, officium eorum, qui præsunt.*
3. *Quarè sæpè dissipantur imperia,magistratus prudentes & pacifici.*

Honoris gradus I.

HOnor magistratus cõsistit in tribus gradibus: primus est atq; præcipuus, vt agnoscamus præsentiã Dei, id est, quòd ipsi sint opus quod Deus instituit ad conseruandum ordinem inter homines & pacem, & quod intelligamus & agnoscamus nos Dei ordinatione illis subiectos esse: hoc sic agnoscere, est Deo honorem tribuere, & præsentiam illius agnoscere in huiusmodi personis. Quoties ergo honoramus Magistratum, toties Deo gratias agimus quòd talem ordinationem instituit ad nostram vtilitatem, Roman. 13. Deindè, quoties honorem defermus prælato toties animo petimus à Deo, vt hoc beneficium suum in societate hominum conseruet, id est, pios rectores in officio tueatur, ne regna fiant latrocinia. Sic Reges gestant coronas, & veteri more omnes Magistratus gerebant. Sic Doctores diademate & tiaris ornantur, quæ sunt insigna, quòd Deus sit author huius ordinationis atq; officij, & quòd hic sit author huius ordinationis atq; officij, & quòd hic sit author huius ordinationis atq; officij, & quòd hic

tum & scientiæ quam in eis cernimus: Sic de magistratu censendum est, quòd Deus illum per tales administrat. Nã sapientia ac prudentia, dona Dei sunt, non connascuntur nobis: ideò petijt Salomon in initio regni sui sapientiam, 3. Regum 3. & Sapiens dicit: Omnis sapientia à Deo est. Igitur ab illo petere debent omnes rectores, & totam gloriam Deo patri cœlesti referre, non sibiipsis, 1. Corinth. 9. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Tertius gradus honoris consistit in condonandis erratis magistratui: magna III. est enim infirmitas humani generis, & diabolus perpetuò conatur perturbare harmoniam humanæ societatis & ordinem: ideò multa existunt incommoda & errata. Quare opus est subditis æquitate quadam, ne temerè detrahant magistratibus etiam dyscolis suam authoritatem, non sicut filius Noæ ebrium patrem derisit, Gen. 9. Ambitiosa & carnalia ingenia laudi sibi ducunt; dum cauillantur & reprehendunt superiores eorumque leges. Ideò hæc vox, Honora patrem, maximè coércere debet illorum petulantiã. In his tribus gradibus consistit præcipuè honor parentum & magistratus.

Secundò, officium præcipuum est magistratus custodire legem vtriusque tabulæ, nam quòd ad externam disciplinam attinet, etiam primam tabulam magistratus tueri debet, iuxta illud 1. Timot. 1. lex est iniustis posita &c. Vbi Apostolus vult prohiberi lege & disciplina atque puniri non solum flagitia, quæ cum secunda tabula pugnant, sed etiam pugnantia cũ prima. Itaq; si magistratus quærat, quæ sint sua officia, in decalogum velut in speculum tueatur, & meminerit totius legis defensionem ad se pertinere, curare vt rectè doceatur populus de religione, deindè prohibere & punire idololatriam, blasphemias, homicidia, latrocinia, furta, adulteria, defendere rerum Dominia, non rapere facultates subditorum, recta exercere 2.

iudicia, ferre leges necessarias ad regendos mores p
puli, & ad retinendam pacem. Hoc modo contemp
bitur magistratus in Decalogo omnes partes sui o
cij. Et in hunc finē, vt magistratus sit verus custos l
gis Dei & vtriusq; tabulæ, Apostolus iubet orare p
regibus & omnibus qui in sublimitate cōstituti sun
vt quietam & tranquillam vitam agamus in om
pietate & sanctitate. Officium magistratus est, vt pa
efficiat ac tueatur, sed finis pacis non debet esse sec
dùm Apostolum, vt securi & quieti fruamur volup
tibus, sed vt honestè & piè viuamus, & populus doc
tur & instituatur ad religionem. Hic finis pacis m
ximè tuendus est & perquirendus à Magistratu. M
ximè enim hæc duo disciplina & doctrina, fieri de
bent in societate humana, ac conseruari à rector
bus, quæ etiam præcipit Apostolus Ephe. sexto, vt p
rentes exhibeant filijs. Disciplina est, diligenter co
cere cupiditates, certis exercitijs, laboribus, studijs
pœnis: his enim exercitijs domantur ingenia, fiunt
ad virtutes aptiora. Ideò Ethnici diligenter retine
disciplinam: & scriptura dicit Prouerb. 13. Qui par
virgæ, odit filium suum. Sed doctrina quoque piet
tis & religionis adhibenda est: nam doctrina sine
sciplina parum proficit, sicut Lactantius inquit
scientia & religione: & Apostolus ait: Si habuero
mem prophetiam & omnem scientiam, charitate
autem non habeam, nihil sum, 1. Corinth. 13. Est ig
tur lex siue disciplina pædagogus ad Christum, G
lat. tertio. Vult igitur Apostolus homines doceri
disciplina assuefieri, vt perueniant ad agnitione
Christi.

3. Tertiò, quoniam sæpè homines pace abutuntur, q
paritur & tuetur à pijs Rectoribus, in ocio obliti D
dedunt se voluptatibus: ideò Deus punit mund
frequentioribus bellis & dissipationibus regnor
Sic comminatur Christus Hyerosolimitanis Lucæ
qui

qui in diebus pacis obliuiscebantur Dei, & dediti omni voluptati, non agnouerunt tempus visitationis suæ: & de quibus Hierem. 6. dicit, quòd securi clamarent, pax pax, & tamen non erat pax. Abusus ergo pacis apud populũ est causa dissipationum Regnorum ac sæuissimorum externorum hostium occasio. Fit quoque aliquando propter ambitionem, auaritiam ac rigiditatem principum, sicut punitur Achab rex, quòd alienam vineam appetiuit, 2. Reg. 21. Regnum Israël dilaceratur propter idololatriam Salomonis, tertio Reg. 11. Roboam punitur, eô quòd noluit partem tributorum remittere, 3. Reg. 12. Sic Salomon in prouerb. 28. propter peccata populi multi sunt principes, & propter malos mores populi Deus dat infelices principes & hypocritas &c. Honorandi porrò sunt Magistratus & rectores, non præcipuè quòd de alto genere nati, sed quia locum Dei tenent.

CAPVT XI.

ARGVMENTA.

1. *Quòd Deus dedit nobis parentes ideò, vt sint nostri Domini loco sui, id est, Dei.*
2. *Quæ sint magna bona, quæ Deus nobis per parentes nostros facit.*
3. *Quòd non solùm sanos, sed etiam infirmos & senes parentes honorare debemus, & illis benefacere, vt simus capaces promissionis Dei.*

DEus præcepit honorare parentes, Exo. 20. Quia ipse proposuit & dedit nobis eos in Dominos nostros, qui locum suum teneant erga filios. Non enim casu fit, vt hic sit tibi pater, & hæc tua mater. Deus sic ordinauit & disposuit, atq; hęc est immen- 1.

sa Dei pietas erga genus humanum. Ipse dat parẽtes per quos nos creat & nutrit: dat Angelos, qui nos custodiant, seruent atq; seruiunt, Hebr. 1. Matt 8. dat nobis Christum redemptorem, per quem nos saluat, Ioan. 2. Debemus ergo his Dei donis maximam honorem & gratiarum actionem Deo, atque ex animo petere, vt Deus nobis hæc conseruet, quàm maximè ipsos parentes. Multa enim incommoda habent Orphani pueri & derelicti à parentibus. Tùm autem nobis Deus illos cõseruat, cùm eos colimus & timemus, si quando irascuntur, ne iram illorum contemnamus, quandò illis debitam obedientiam præstemus. Sæpè etiam priuat Deus filios parentibus, propter illorum contemptum & inobedientiam: aut parentes, aut contumaces filij antè diem moriuntur: nam habet hoc præceptum promissionem longæ vitæ. Ideò vult Deus, vt honorentur parentes propter suum præceptum & donum, quia ipse nobis parentes dedit.

2. Secundò, sunt multa bona quæ nobis Deus confert per parentes: ideò maximè vult, vt honorentur illos, primùm, quia parentes sunt instrumenta, quę nos Deus creat, & in mundum nasci facit. Quando enim iam Deus creat hominem, non accipit limum terræ adhoc, sicut in paradiso fecit, sed accipit patrem & matrem, & finit eos procreare proles: sic est primum opus bonum, quod Deus per parentes nobis facit, quia creat nos, & donat nobis vitam: hoc non possent facere vir & mulier, nisi Deus sic ordinâsset, vt ipse crearet filios: quibus enim non vult dare proles, illi manent steriles. Sæpè etiam sanctę steriles impetrârunt precibus à Deo fructus, sicut Anna 1. Reg. 1. Et Sara Gen. 15. Alterum bonum opus quod Deus nobis per parentes facit, est quòd nos, postquàm nati sumus, enutrit. Non enim dat nobis cibum de cœlo, sicut patribus olim Manna in deserto, sed de

matri lac in vberibus, & patri diuitias, vndè nos educare & vestire possint. Videmus enim, quàm difficilè se habeant pueri in illo statu, quo seipsos iuuare non possunt: & nisi Deus per parentes eos conseruaret, omnes in pueritia perirent. Ideò Tobias senior docuit filium, vt memor esset matris, & cogitaret quanta pericula passa esset propter eum in vtero,, Tob 4. Tertium bonum opus est, quòd Deus dat nobis Christianos parentes, qui nos faciunt baptizari & institui in fide & religione. Nam si parentes nostri non forent Christiani, non baptizaremur, donec adulti ipsi peteremus baptismum Si ergò haberemus infideles parentes & moreremur sine fide & baptismo, omnes damnaremur ex sententia CHRISTI, Ioannis. 3. 3. Qui non credit, iam iudicatus est. magnũ est ergò beneficium Dei, Quod nos per parẽtes adducit in Christianismum. Rursus, Postquàm iam aliquo modo creuimus, & annos habemus vt doceamur in verbo Dei, tunc docet nos Deus meliorem & necessariam doctrinam per parentes, nempe decem præcepta Domini, orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, catechismum &cæt. quod licet alij nos docuerunt, vtpotè in scholis aut in Ecclesia, tamen hoc factum est per commissionem Parentum & stipendium Nam & hoc illis etiam præcepit Deus, Ephesio. sextó Colos. 3 scilicet vt in doctrina & correctione Domini proles suas educarent. Docent præterea nos parentes honestos mores, & artes siue liberales siue mechanicans: vnde inter homines viuere possumus, & nos per illas sustentemus. Habemus denique ab illis portionem hæreditariam, & bona mobilia vel immobilia, quæ omnia Deus nobis per illorum laborem & pietatem distribuit. Ideò pessimi sunt filij, qui non agnoscunt hæc beneficia in parentibus, & qui contemnunt aut vili pendunt suos parentes. Si quis diligit instrumentum,, per quod multa elaborauit, cur non

magis parentes? Ideò dicit Salomon prouerb. 6. Conſerua præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: liga eam in corde tuo, & cum ambulaueris, gradiantur tecum: cùm dormieris, cuſtodiant te: & euigilans, loquere cum eis.

3. Tertiò, hoc præceptum ligat donec viuant parentes: ideò quanuis parentes ſunt infirmi aut ſenes vel defectuoſi, aut qualeſcunq; fuerint, tamen Deus per illos dedit filijs iam dicta beneficia: atque ideò non minus honorandi ſunt, immò colendi & diligendi propter Dei mandatum donec in terra vixerint. Deus quoq; verax eſt in ſua promiſſione erga eos qui honorant parentes, vt viuant vita longiore. Tota ſcriptura teſtatur infelicem futurum omnium illorum ſucceſſum, qui parentes contemnunt, & illis contrariantur. Filius Dauidis Abſalon cùm patrem de regno expellere laboraret, ſtatim peſſimè moritur ſuſpēdio, 2. Reg. 15. & 18. Sic & illis contingit, qui poſtquam parentes ad paupertatem redegerunt, poſtea nullam eis gratitudinem aut pietatem exhibent. Sic duo filij Sennacherib regis Aſsyriorum, occiderunt patrem: ſed tamen neuter eorum regnauit poſt eum, 4. Reg. 19. Sic contigit filijs qui inſidiantur regno & ſubſtantiæ parentis. filij Heli non audiêrunt patrem ſuum ipſos corrigentem, 1. Reg. 1. ideò diuinam vltionem experti ſunt. Econtra qui honorant parentes, habent felicem ſucceſſum. Dauid fugiens à facie Saul, & in magna anguſtia exiſtens, habuit tamen curam parentum ſuorum, quos commendauit diligenter regi Moab, 1. Reg. 22. & ſic tandem liberabatur ab omni periculo. Sem & Iaphet duo filij Noë, benedictionem patris meruerunt, quia patri nudato obſequium præbuerunt: Cham verò in filio ſuo maledictus fuit, quia patrem deriſerat, Geneſ. 9 Fuit & Chriſtus ſuis naturalibus parentibus ſubditus & obediens, Lucę ſecundo: in cruce quoque honorans matrem,

matrem, eam commendauit Ioanni, c.19. In omnibus igitur debent obedientiam filij parentibus præterquàm peccato, vt si te arcere vellent à fide & veritate, & ad impietatem cogere: sic non obedit Petrus Pharisæis Act.5. nec obstetrices Regi Aegypti. Exod. 1. Nec Balaam propheta regi Balaac, Num.22. Sic nec Matathias Antiocho, vt relinqueret legem & iustitiam Dei, 1. Machab.2.

QVINTVM DEI PRÆCEPTVM, Non occides, Exod. 20.

CAPVT XII.

ARGVMENTA.

1. *Quare non debemus occidere, quia Deus præcepit, & vindicare vult homicidium.*
2. *Quibus incumbit vindicare malum.*
3. *Quandò irasci sit sine peccato, & quandò cum peccato.*

HOC præceptum est obseruandum ex fide, sicut omnia præcepta fieri debent: quod ita contingit, quandò priùs fide statuamus nos propter Christum placere Deo, & postea obedimus Deo in his præceptis, timemus Deum, nec volumus eum offendere: ideò abstinemus ab iniusta violentia, resistimus iracundiæ, reprimimus odium: & quia hæc exercitia non sunt facilia, ideò pij adiuuãtur à Spiritu sancto, Romanor.8. ipse spiritus adiuuat infirmitatem nostram, &c. Et sic oseruantia omnium præceptorum fit cultus Dei propter finem, quia hoc fine præstatur vt Deo obediamus in his officijs. Prohibet ergò Deus triplex homicidium: Primum cordis, hoc fit ira & inuidia cordis: nam sicut ignis accensus non quiesc- 1. Homicidij triplicis primum.

scit,& ægrè reprimitur. De illo autem homicidio lo. quit Ioannes 1.Ioan.3. Qui odit fratrem suũ,homici. da est. est enim charitas vita spiritualis. Est porrò ho micidiũ oris, scilicet dum impij imprecantur linguæ vt Deus peste,plagis fulgure occidat proximum. Con uiciatores siue maledici regnum Dei nõ possidebũt, 1. Cor 6. Occiditur sæpè innocens in fama sua per ora detrahentium. Est tertiò homicidium corporis, vbi vita homo priuatur, qua nihil habet præstantius & nobilius. Prohibet igitur Deus ne quis occidat proximum. Nec Deus relinquit impunitos homici. das,est em̃ Deus maximè custos huius legis, sicut pa. tet,& testantur hęc verba Gen.4. Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra,& Matth.26. Qui ac ceperit gladium,(scilicet non concessum à magistra. tu) gladio peribit: quarè etiamsi quis homicida ef. fugerit manum magistratus aliquandiù,sciat tamen se Dei manum effugere non posse,qui mirabiliter re. trahit reos eiusmodi ad luendas pœnas corporales. Sic contigit Cain,qui occiso fratre,profugit à facie Dei,Geneſis 4. Hoc autẽ facit Deus, vt retineat pacẽ in societate humana. Requirit ergò hoc præceptum, sicut omnis lex Dei,perfectã obedientiã,& non soli manu & opere,sed etiã corde vult impleri,sicut etiã Christus interpretatur legem Matt.5. ideò præcipit, vt non solùm manu abstineamus ab homicidio,sed etiam ne corde aut lingua noceamus proximo:id est, ne lingua det consilium aut cõsensum, vt homicidiũ iniustum perpetretur: nã eidẽ pœnę subiacent & qui faciunt mala, & qui eis qui faciũt, assentiuntur, Rõ. 1.Ideò omnis amarulẽtia,ira,odiũ,vindicta prohibe. tur hoc pręcepto.

2. Secundò, Deus non vult vt malum,scilicet homici dium,furtum, adulteriũ &c. maneat impunitũ, ideò ordinauit magistratum, super terrã, & illi commisit gladium,qui loco suo vindicet malũ, Rom.13. nõ em̃ sine

sine causa gerit gladium : minister Dei est ad vindictã malefacienti &c. Ideò senatus mãdato Dei & eius authoritate punit malefactores: nã Deus dicit Deut 32. Mihi vindictã, & ego retribuam, id est, Dei est vindicta quam magistratus legitimè exercet, Priuata verò vindicta quæ fit sine authoritate magistratus, prohibita est: sic enim inquit Christus Matt. 5. non debetis resistere malo, scilicet si te quis percusserit in maxillam vnã, præbe ei & alterã: & qui te cogit ad vnum milliare, vade duo cum illo: & benefacite inimicis vestris, &c. Nos igitur patientiã habere debemus, & pati iniuriam, sed non vlcisci nosipsos, Rom. 12. Deus hoc commisit potestati, quæ si nõ punierit iniustitiam, vę illi. Publica ergò vindicta Dei præcepto per magistratum fieri licet & debet: & habet hęc publica vindicta legitima multas partes, id est, iudicia, bella, defensionem aduersùs latrones, supplicia maleficiorum legitima &c. hęc enim omnia concessa sunt Christianis, quia magistratus estres bona & diuina ordinatio, vt patet Rom. 13. Omnis potestas à Deo est. Tales extiterunt in officijs & imperijs suis Ioseph, Dauid, Iosue, Centurio, & multi alij sancti principes. Verùm magistratus debet legitimam & secundùm leges exercere vindictam mali. Si enim sine legum authoritate, priuata quadã cupiditate vteretur, seu quouis alio modo læderet aut vim inferret, hoc ad priuatam attineret vindictam, & esset grande peccatum.

3. Tertiò, quia aliud est irasci propter gloriam Dei, & amorem iustitiæ, & aliud ex priuata cupiditate, vt quandò nobis commoda nostra eripiuntur & interturbantur voluptates, ideò peccatum iræ intelligitur. Sed quandò fit studio defendendæ gloriæ DEI aut iustitiæ vel aduersus impietatẽ & turpitudinem, hic zelus & ira placet Deo, & non est peccatum. Sic Phinees promittitur sacerdotium propter zelum gloriæ DEI, & contra impietatem, Numerorum xxv. &.4.

& 4. Regum 10. laudatur Iehu, qui inquit, vide zelum meum pro Domino, & Psal. 68. zelus domus tuæ comedit me, id est, exarsi magno impetu defendendę domus tuæ. & 3. Regum 19. inquit Helias: Zelo zelatus sum &cæt. & Dauid inquit Psal. 138. Perfecto odio oderam illos. Sic quoquè Prophetæ sæpè maledicunt impijs: & sic in heroicis viris reperitur talis impetus & zelus defendendę iustitiæ & puniendæ turpitudinis, reipublicæ tuendæ, &c: & plurimùm commendantur. At ira priuata & exarsio cupiditate vindicandi, hæc peccatum est, & contra Dei præceptum Dilige proximum tuum sicut teipsum. Et Christus Matth. 5. iram refert ad hoc præceptum, Non occides vbi prohibet priuatam iram. Non solùm igitur manus aut gladius prohibetur hoc præcepto, sed etiam animus, ira, odium nocendi, maledicentia, detractio delectatio in miserijs aliorum. Verbis & cõsilijs clandestinis promouere cædes, bella, simultates, & punitiones aliorum, seipsum vlcisci verbo & facto. Omnia hæc deus grauissimè punit, & scriptura dicit Eccles. 28. Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & paccata illius seruans seruabit. Igitur priuata ira & vindicta, est grauissimum peccatum.

CAP. XIII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit vera reconciliatio proximi, quam Deus exigit.*
2. *Quòd illa Deo plùs placeat, quàm munus, id est, opus etiam quodcunq;.*
3. *Quale habeat præmium reconciliatio.*

VEra reconciliatio proximi, est perfecta cordis condonatio offensæ illi qui offendit: Est autē perfecta & integra condonatio, est & falsa & imperfecta. ali-

qui

qui enim condonant verbo solùm,& interim rancorem in corde retinent, & illa est falsa reconciliatio, quam & Christus reijcit Mat.18.in parabola cum seruo nequam, vbi ait: sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisq; frati suo de cordibus vestris: De ilis quoq; dicitur Hier.6. dicentes, pax pax,& non est pax. Sic Iudas foris simulabat se amicum, at in corde retinebat malum propositum, donec proditionē suam perficeret,Mat.26. Sic Absalon se simulat amicum Amnō fratri suo,licet stuprâsset Thamar sororē suam, donec nāciscceretur tempus occidendi illum, 2. Reg.13. Cordis autem condonatio in hoc cognoscitur,si beneficium sequitur:sic Ioseph condonans fratribus suis offensam in Aegypto, beneficijs eos affecit,Gen.44.& Moyses orat p sororeleprosa, quæ ipsum offenderat, Numer.12. Talem reconciliationem etiam docet Apostolus Roman.12. Non malum pro malo reddentes, sed è diuerso bonum,& sic carbones,&c. Insuper ad veram reconciliationem exigitur,vt accedas offensum, & ei loquaris, petendo, humiliando &c. Sic enim fecit Iacob Esau fratri suo, adorans illum, id est, reuerentiam ei faciens,& humilia verba profert,Gen.33. Et Christus inquit Matth.5. Vade,non dicit,quiesce, ne loquere illi:sed vade,inquit,& recōciliare proximo tuo. Qui igitur prior occasionem dedit offensę, tenetur quoq; prior alium adire & recōciliare:& rogatus, debet remittere fratri non solùm semel in die,sed septuagies septies,Matth.18. Quòd si quis prior occasionem dedit,& noluerit venire: accede tu illum propter DEI pręceptum,nam Dominus noster Christus id te facere iubet, & dicit: Vade reconciliari:ne igitur respicias hominem,sed obediētiam diuini pręcepti,& lucraberis fratrem tuum. Si autem perrexerit pertinacia sua, tu tamen liberâsti animam tuam à carcere odij,& eris excusatus coram Deo.

Se-

2. Secundò, hoc reconciliationis opus plùs Deo placet, quàm vllum aliud opus bonũ quantumcunq; etiam ſpecioſum: quia Deo non placet aliquod opus, quod fit irreconciliato proximo noſtro: ideò 1. Ioan. 4 dicitur: Si quis dixerit quoniam diligo Deũ, id eſt, mandatum & cultum eius ſeruo, ieiunium, orationẽ, Miſſam, & fratrem ſuum odit, mendax eſt: qui enim nõ diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quẽ non videt, quomodo diligere poteſt? Erat in veteri teſtamento opus præcipuum, offerre vitulos, arietes, hircos, columbos, &c. Leuit. 2. 3. 4. quos cultus & ſacrificia Deus præcepit, attamen Chriſtus Dominus noſter docet, quòd ille Deo non placet, ſed nobiliorem cultum eſſe, vt ſeruemus Dei præcepta & reconciliationẽ proximi. Nullum igitur opus Deo placere poteſt, ſiue id ſit prophetia, ſcientia, fides, eleemoſyna, caſtigatio corporis, niſi pacato proximo, 1. Cor. 13. Si habuero omnem fidem, &cet. Dilectionem igitur & miſericordiã Deus inprimis præcepit & exigit, pluſquàm ſacrificium aut vllum opus noſtrum. Quando igitur proximus tuus placatus fuerit, tunc Deo, placebunt & opera tua. Quare Chriſtus ampliùs dicit Matt. 5. Eſto conſentiens aduerſario, id eſt, concorda cum aduerſario, tuo citò, citò inquit, dum es in via cum eo, id eſt, in præſenti vita, ne fortè tradat te aduerſarius, id eſt, ira iudici Deo, & iudex tradat te miniſtro, id eſt, diabolo. Nam qui nihil vult remittere proximo ſuo, & tamẽ peccat quotidiè, illi reſeruabuntur omnia ſua peccata, & ſatisfacere tandẽ cogetur vltimũ quadrantem. Ideò ait Chriſtus, Remittite, & remittetur vobis. Luc. 6. Mat. 6 aliâs nunquã conſequeris indulgentiam. Sic Luc. 6. inquit Chriſtus, Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter cœleſtis miſericors eſt, id eſt, ob eandẽ cauſam condonate, qa pater cœleſtis condonat: ille enim remittit propter ſuam bonitatem offenſam, & nos propter eandem

patriã

patris bonitatem exhibitam in gratiarū actionē Deo patri, cōdonare debemus ꝓximo nostro. Hoc signum gratitudinis est recepti beneficij Christi, remittere offensam proximo: quod si non fecerimus, tūc cæcus cæcū ducit, & ambo in foueam cadunt perditionis: ambo ira obcæcati, æternam luent pœnā, nisi indulserint sibi mutuò delicta: Et iterum loquitur ad illos qui nolunt indulgere, Luc 6. Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quę in oculo tuo est, non consideras? Sic magni æstimas quod tibi fecerit homo: sed quid tu Deo feceris, non ponderas &c. Est igitur post fidem in Christum maximum opus dilectio proximi, reconciliatio, concordia, & beneuolentia: sine hac dilectione Deo non placet vel fides, vel oratio, vel eleemosyna: ideò dicit, vade primùm reconciliari fratri tuo, & posteà veniēs, offeres munus tuū, id est, facias quod cunq; opus bonū, & tunc Deo placebit: nō enim opus aliquod bonum reijciiur, sed inuidia cordis & odium, quæ omnia opera nostra contaminant.

Tertiò, quoniā Christus dicit, Remittite, & remittetur vobis: & docuit nos orare, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitorib. nostris: igitur patet quòd nostra dimissio offensæ proximi & reconciliatio, meretur nobis apud Deum nostrorū debitorū remissionem. Sed si hoc verū est, Christus gratis venit in mundū, Ga. 5. cui soli tribuitur quòd eius mors & sanguis & meritum tollunt peccata mundi, vt Ioan. 1. Nam hoc certū est, quòd peccatum propter opus Christi, id est, mortem, condonatur: non ꝓpter opus humanū. Ad hoc respōdetur, quòd fides nostra certa est & conscientia, quòd a solo Christo expectamus remissionē & iustitiā. Sic inquit Apostolus Rō. 4. Ideò ex fide, vt promissio sit certa, sed hęc fides nō est vera fides, nec rectè q̄rit in Christi morte remissionem, si nō primū remiserit offensam fratri suo: quo-

3. Luc. 6. Matt. 6.

modò

modò misericordiam accipiet, qui nullã exhibet fra-
tri, sicut in parabola patet de seruo nequam, Matt 18.
Ideò remissio nostra tametsi non meretur remissionẽ
à Deo, hoc Christo saluum manet, attamen capax nõ
est remissionis, nec verè eam à Deo accipiet, quisquis
primùm illam non exhibet fratri suo: ergò dimissio
offensę proximi, est signum certissimum, quod & no-
bis à Deo propter Christum dimittentur nostra delic-
cta: sin verò secùs, neque nobis dimittentur. Nam fi-
des sine opere mortua est. Fides enim semper efficax
est, modò opera attestentur veram adesse fidem: illa
sola Christum respicit, propter illum credit exaudiri
orationem suam, placere eleemosynam &c. dimitti
sibi peccata: sed hęc omnia signa sunt veræ fidei. Ideò
si opera non sequuntur, fides inefficax est mortua.
Fides igitur accipit beneficiũ Christi propter ipsum,
& opus probat & testatur se non inanem esse fiduciã.
Summa, fides credit quòd propter Christum ex mi-
sericordia nobis omnia donentur, remissio peccato-
rùm, exauditio orationis, salus æterna. Sed hanc fi-
dem esse veram & efficacem, testantur pœnitentia, o-
pus orationis, obedientia præceptorum Dei. Qua-
re etsi non appræhẽdunt bona Christi opera, sed ipsa
fides in gratuitam Dei misericordiam, necesse tamen
est adesse opera, quę testentur fidem non esse inanem
fiduciam: Ideò separari nullo pacto possunt, præser-
tim in adultis, Fides & opera: neq; fides esse potest
vbi opera non sint: opera enim certificant fidem.

SEXTVM DEI PRAECEptum, Non Mœchaberis. Exo. 20.

CAPVT XIIII.

ARGVMENTA.

1. *Quibus sit præceptum vt nubant.*

2. *Quom-*

2. *Quomodò quis mœchatur corde, ore & facto.*

3. *Quõ Deus punit adulterium hic & in futuro.*

CHristus atq; scriptura præcipit omnibus nubere, & vitare fornicationem & immunditiam, exceptis tribus hominum generibus: quorũ primum est, qui ex ex vtero matris sunt nati inhabiles ad matrimonium. Deindè qui ab hominibus sunt castrati, aut aliâs per accidentales infirmitates sunt facti defectuosi: postremò sunt, quibus Deus ex speciali gratia concessit donum continentiæ, qui se castrant propter regnum Dei, & qui votum solenne emiserunt cælibatus, vt ei fideliùs inseruiãt atq; imitẽtur: & qui hoc Dei donũ habent, Deo gratias agãt: Sic enim dicit scriptura Sapient. 8. Non possum esse continens, nisi Deus dederit. Et Christus dicit, Matt. 19. Non omnibus hoc datũ est, qui potest capere, capiat. Alijs verò omnibus hominibus, seclusis his tribus generibus, præceptum est nubere, vt Gen. 1. Crescite & multiplicamini &c. Et 1. Corint. 7. propter stupra vitanda suam quisque vxorem habeat, & quæq; suum virum. Et iterùm, Melius est nubere quàm vri. Prohibetur autem hoc præcepto omnis immunditia & luxuria, sub quacunque etiam specie comprehendi potest. Est quoque magna differentia inter vitam coniugatorum, & vitam fornicatorum ac nebulonũ. Nam vita coniugata non est peccatum, quia DEVS hanc instituit & ordinauit, sed vita adulterina & fornicaria peccatum est: hoc enim prohibuit Deus 1. Corinth. 7. Si quis nubit, scilicet legitimè, nõ peccat: ergò illegitima cohabitatio Deo displicet, eò quòd fornicatores regnum Dei non possidebunt, 1. Corint. 6. Ephes. 5. Galat. 6. Deus quoq; legitimè natis maiora confert gratiarum dona, quàm spurijs, vt communiter 1.

niter contingit: habent quoque benedictionem Dei eò quòd secundùm ordinationem & volũtatem Dei in legitimo statu sint nati: ergò cauenda est omnis fornicatio. Et Deus per Moysen præcepit Deut. 23. Non sit meretrix inter filias Israel, neque sit scortator inter filios Israel: hoc est Dei præceptum, contra quod facere non licet. Et quanuis permittantur lupanaria ob vitandum maius periculum, tamen non vt iustum defendi potest.

2. Triplicis adulterij primum.

Secundò, est triplex adulterium siue luxuria, quæ prohibetur: prima est cordis & in cogitatione, quam Christus prohibet Matth. 5. Si quis viderit mulierem alterius ad concupiscendam eam, id est, ea intentione, vt delectetur in cogitatione illa, is iã mœchatus est in corde suo. Ideò licet mundus hanc mœchiam non videat, nec puniat, tamen eum Deus in cœlo respicit, cui omnia nuda & aperta sunt, Hebr. 4. illum punit hîc & in futuro.

II. Deindè mœchia oris prohibetur, quæ fit cùm quis inhonestis verbis alienam vxorem alloquitur, incitat, & verba luxuriosa & cantilenas facit, aut certa inordinatis moribus, gestibus, ornatu meretricio, cuiuis placeat & prouocet ad luxuriam, sic monet Apostolus Ephe. 5. fornicatio autem & omnis immunditia aut auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinent &c. Matth. 12. De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines &c.

III. Postremò, vt nec opere perpetremus adulterium, sed omnes continentes simus vsque ad coniugium, sic commendatur prophetissa Anna Lucæ 2. quòd à virginitate sua vixerit cum viro suo annis septem: & Tobiæ filius docetur à patre, Tobiæ 4. Deindè, ne quis in matrimonio ad aliam accedat, sed seruet fidem, quoad vixerit, & honestatẽ: nam lex matrimonij non soluitur nisi post mortem alterius, Roma.

Est quoque furtum maximum, quod legitimi committunt, dum corporis sui ius non habeant viri, sed mulieres, & è diuerso, 1. Cor. 7. ideò se non debent defraudare, aut dare occasionem maligno. Sic exigit. Deus, quòd ex omni parte viuamus honestè & continenter, & cubile impollutum custodiamus Ideò turpitudo non debet nominari in nobis, nedùm perpetrari, Ephes. 5

Tertiò, tradunt sacræ literæ, quàm grauis sit ira Dei aduersus hoc peccatum: quare maxima cæcitas est, nō timere æternas & corporales pœnas: causa diluuij fuit libido Gen. 6. Sodoma cōflagrauit propter nefariā impuritatem, Gen. 19. Ciues Sichem interfecti sunt propter stupratam filiam Iacob, Genes. 34. deindè in deserto propter libidinem vna die 25. millia hominū perierunt, Num. 25. Posteà verò tota tribus Beniamin deleta fuit propter stupratam Leuitæ vxorem, Iudic. 19. Filij Heli propter adulteria perierunt, 1. Reg 2. adulterium Dauidi atque huius regno maximas calamitates attulit, 2. Regum 12. & vltimo: Samsonem quoq; fortissimum meretricius amor captiuauit. Ostendunt pœnas huiusmodi flagitiorum etiā gētium historiæ. Troia propter adulterinum raptū Helenæ euersa est, Romana respublica tota mutata est propter oppressam Lucretiā. Aiūt quoq; Constantinopolim ante captiuitatem horribilibus sceleribus pollutā fuisse. Certissimum enim signum est imminentis exitij Imperijs & ciuitatibus, quandò ad ipsa vitia accedit impunitas & contemptus peccati, sicut Esai 3. Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt. Cùm talis est licentia peccandi, sciamus non procul abesse pœnas. Apostolus igitur cūprimis multas conciones facit cōtra huiusmodi libidines, vt ferè nullū aliud vitium plùs carpsisse videatur, vt quod grauiter à Deo puniatur. Ephes. 5. fornicatio & immunditia nec nominetur in vobis, Gal. 5. opera car-

nis sunt scortatio, adulterium, immunditia, &cæt. &
addit ibidem. Qui talia agunt, regnum Dei non pos
sidebunt. Col. 3. fornicatio & impudicitia &c. propte
quæ venit ira Dei in filios inobediētes. 1. Thes. 4. Hæ
est volūtas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vo
à fornicatione, Heb. 13. Scortatores & adulteros iu
dicabit Deus, & 12. Pacem sequimini cū omnibus
sanctimoniā, sine qua nemo videbit Deū. & 5. Pet.
Apostolus exaggerat libidinis peccatum præ cęteris
peccatis, & significat præcipuè puniri homines pu
uatim & publicè. Iniustos, inquit, ad diē iudicij reser
uat, maximè verò ambulantes in concupiscentia im
munda iuxta carnē. Tenentur ergò magistratus pu
nire libidines, iuxta illud 1. Tim. 1. Lex iniustis est po
sita. nā magistratus est custos legis, & debet non so
lùm libidines, sed his vicina peccata prohibere, qua
illis occasionem dant, vt ocium, luxus, intemperan
tia, vt propheta ait Ezechiel 16. Hæc fuit iniquitas
Sodomæ, ocium, saturitas, abundantia, superbia, &
manū egenti non porrigebant: ideò fecerunt abomi
nationes, propter quas deleui eas. Sunt enim gradus
libidinum, & etiam in pœnis illarum sunt gradus, vt
habent exempla sacrarū literarum. Vt igitur hîc pro
pheta adiūgit vicina peccata, ita in hoc præcepto pro
hibentur omnia peccata illa seu vitia, quę alunt libi
dines, vt ebrietas, ocium, &cęt. Implemus autem hoc
præceptum sic & Dei cultum facimus, quādò primò
agnoscimus immunditiam nostram, & statuimus fi
de Deum propitium nobis fore propter Christum, &
incipimus Deo obedire in hoc præcepto, sic vt timo
re Dei & propter Deū repugnemus affectibus qui ad
libidines incitant, & abstineamus à fornicatione, a
dulterio, &c. & coniugio honesto vtamur secundùm
illud Pauli 1. Corint. 7. propter stupra vitanda &cæt.
Hæc inchoatio obedientiæ placet Deo, & sua habet
præmia, sicut patet in Iosepho Genes. 39. qui noluit
forni-

fornicari &cęt. & de Susanna Daniel. 13. illi timebant Deum, & ideò abstinebant.

CAPVT XV.

ARGVMENTA.

1. *Quæ personæ possunt contrahere matrimonium.*
2. *Quòd parentes non debent cogere filios ad matrimonium illius aut alterius personæ, sed liberum permittere.*
3. *Quòd filij sine parentum consensu non debent contrahere.*

MAtrimonium est combinatio animorũ ex consensu viri & mulieris, ac cohabitatio secũdùm Dei ordinationem, vsq; ad mortem. Rom. 7. Mulier mortuo viro soluta est à lege, Gen. 1. benedixit eis Deus, inquiens: Crescite & multiplicamini. & in eum finem, vt crescerent, & genus humanum multiplicaretur, creauit eos masculum & fœminam. Et cùm Deus instituerit matrimoniũ, vult etiam vt copulatio fiat honestè & cum ordine, vt masculus non quamlibet personã ducat, nec quęlibet persona cuiq; masculo nubat, sed licitum sit tãtùm eis, vbi nullum obstat impedimentũ. Prohibẽtur ergò personæ quædam à contrahendo cũ aliquibus matrimonio, ex diuina ordinatione & pręcepto propter sanguinis propinquitatẽ & affinitatem: Deindè quędã personę prohibẽtur ex lege humana & ordinatiõe Ecclesię: Personæ prohibitæ à Deo, sunt octo, vt Leuit. 18. scilicet Mater, nouerca, soror, soror nouercæ, soror matris, filij mei filia vera vel priuigna, soror patris: hę personæ non possunt à quoquam duci ex diuina ordna- 1.

tione & sanguinis ratione. Sed ratione affinitatis ne-
mo ducere debet vxorem fratris patris sui, vxorem
filij sui, vxorem fratris sui, filiam suam priuignam,
filij priuigni sui filiam, vxoris suæ sororem interim
dum viuit. Omnes hæ personæ prohibentur ratione
affinitatis à Deo. Aliæ verò personæ legitimè pos-
sunt duci ex diuina permissione. Sed quò amicitia
possit extendi, & eo esse extensior, quandò propinqui
aliàs se naturaliter diligunt & mutuo iuuant, statuit
Ecclesia non contrahi debere matrimonia in tertio
aut quarto gradu sine dispensatione. Igitur vltra ista
la impedimenta, quę in Leuitico exprimuntur, sunt
alia quæ certas habent rationes, vt error, quandò Ca-
tharina desponsatur, & Barbara apponitur, sicut La-
pro Rachel fuit Iacob apposita. Gen. 29. Conditio, si
si liberam dixissem, & posteà agnoscerem esse pro-
priam seu seruam. Votum, quo se quis primùm Deo
vouit: Crimen, vt si quis carnaliter cognouerit an-
cillam, is non potest in vxorē ducere illius puellæ so-
rorē: item qui peccat cum muliere, is eam etiā post
mortē viri non potest habere in vxorē: item si mulier
virū suū veneno sustulerit, nec hanc potest posteà ha-
bere, sicut Dauid peccat cum Bersabea &c. nō debuis-
set virum illius occidisse, vt ea potiretur. Cognatio
spiritualis, vt si leuâssem ancillam ex Baptismo, aut
ad confirmationem duxissem, non possum eam du-
cere. Cultus disparitas, vt si vellem ducere Iudęam,
Turcam, Gentilem vel hæreticam. Ligamē, vt si quis
vni puellæ vouit, & posteà alteram ducit. Honestas,
vt si sponsa moritur antequàm nuptiæ celebrantur,
non possum contrahere vsq; ad tertium & quartum
gradum illius defunctæ: sic est affinitas vsq; in tertium
& quartum gradum. Ordo, quia talis in ordinatione
vouit: etiam quandò quis nequit rem habere cum vx-
xore. Hęc impedimēta sunt ex constitutione humana
facta ad honorem Matrimonij, ne cum leuitate illa

De

Dei ordinatio labefactetur, id quod Apostolus iubet 1.Cor.14. omnia debere decenter & honestè, id est, sine scandalo fieri &c.

Secundò, parentes peccant si filios suos cogunt propter diuitias aut aliam ob causam ad matrimonium huius vel illius personæ, maximè quandò conscientia & amor reclamat, Apostolus 2. Corint. 13. inquit, Potestas, scilicet ad regendum animas, non est data in destructionem, sed in ædificationem. Ideò parentum potestas non extendit se amplius, nisi quantùm filijs cõducit ad ædificationem cõscientię ipsorum & animæ salutẽ. Qui ergò cogit filiũ suũ, vt hãc ducat, velit nolit, & vbi nec amor nec gaudium apparet, facit Tyrannicè, & abutitur sua potestate, & particeps erit omnium malorum quæ posteà euenient. Nec viri potestas est erga vxorem ad destructionem conscientiæ, sed ad ædificationem. Nec regis potestas est in subditos ad destructionem contra conscientiam animarum salutem, sed ad ædificationem: aliàs dicendum est, oportere Deo magis obedire quàm hominibus, Actorum quinto. Quòd si filius obedierit aut filia parentibus secundùm illud Euangelij dictũ, Matth.5. Si quis te adegerit ad vnum milliare, vade cum illo & alia duo: quia Christianus debet pati injuriam, & nulli facere: attamen parentes nõ sunt excusati à peccato. Deus non coëgit Adam, sed ostendit solùm ipsi Euam suam, Genes. 2 Ideò tales filij coacti hoc faciunt, & habent patientiam cum Iacob, qui postquàm septem annis seruisset pro Rachele, quam amabat, obtrusa ei fuit Lia lippis oculis, Gen. 29 Sed commisit hoc Deo, & Deus fuit cum illo. 2.

Tertiò, filius aut filia non debet contrahere voto cum aliquo sine scitu aut consensu parentum: nam Dei est præceptum, Honora patrem & matrem &cet. nec habetur exemplum in tota scriptura, quòd vouerint filij aut contraxerint soli inconsultis parentibus, 3.

tibus, sed scriptum legitur de parentibus, Date filiabus vestris viros, & filijs vxores. Hierem. 29. Exod. 22. dicit Moyses, si pater dederit filio vxorem. Sic Isaac & Iacob acceperunt vxores ex commissione parentum, Gen. 24. & 28. Ideò communiter malè succedit eiusmodi clandestina matrimonia sine consensu parentum. Ideoque nuptiæ celebrantur publicè & cum solenni lętitia, vt damnentur clandestina vota & matrimonia. Adam non accepit sibi ipsi sponsam suam, sicut textus habet, sed Deus adduxit illā ad Adā, Gen. 2. Sed inquis: Res acta est, & votum filij mei sine meo scitu & consensu, quid faciam? In tali casu possunt parentes Deo causam committere, & patiēter ferre inobedientiam filiorum, quam Deus nouit suo tempore vindicare. Ipsi sunt excusati coram Deo. Cogitent ergò filij, quàm sit periculosum: tàm longum statum incipere cum inobedientia parentum, quam illis Deus præcepit. Peccant etiam grauissimè decceptores pauperum virginum & ancillarum. Ideò cogitent vt in timore Domini coniugia sua incipiant, sicut Tobias iunior docetur ab angelo, Tobiæ 6. & 9. Vide latiùs capita de statu coniugatorum, & de educatione filiorum.

SEPTIMUM DEI PRAE-
ceptum, Non furtum fa-
cies.

CAP. XVI.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit intelligendum per hoc verbum furari.*
2. *Quòd merces iusta pro labore, non est furtum.*
3. *De restitutione furti, quomodò fieri debeat.*

Hoc

HOC verbum, furari, tam coram Deo & scriptura sacra, quàm coram mundo & legibus imperialibus, significat non solùm occultè furari proximo bona sua, sed etiam quandò cum violentia rapitur aut versutia, & iniustè ad se trahitur, & quicunq; vtitur alienis bonis sine consensu & voluntate iusti possessoris, quacunque etiam bona specie. Quare omnis species furti prohibetur hoc præcepto, Non furtum facies, Exo. 20. Leuit. 19. Deut 5 Ex quo elicitur primò, quod sacerdotes si non satisfaciunt officio suo, pro quo acceptârunt beneficia, 1. Cor. 7 vel si male cõsumunt hęc bona ad necessitatem concessa propter officium, nempè cum scortis & familia inutili, vbi pauperes egent, illi committunt furtum. Sic senatoribus debetur stipendium Roma. 13. Si plus debito grauant subditos, aut stipendium non illuc dirigũt, vt politia & pax conseruetur, vt singulorum officia sint in ordine suo, sed sumptuosè epulantur, ludunt, & pompas agunt ex sudore pauperum, id pro furto reputatur. Sic etiam aduocati & falsi iudices dum loquuntur hominibus tanquàm in statu causam habent, cùm tamen mala sit, tantum vt ipsi faciant lucrum, & interim pauperis causam suspendunt aut decipiunt, id quoq; furtum est. Oseas conqueritur 4. cap. furtum, homicidium, adulterium inundauerũt: à minimo vsq; ad maximum, omnes studẽt auaritiæ. Sic mercatores, emptores, venditores, quandò mendacijs verborum laudant mercem iniustam, vtuntur falsis vlnis & ponderibus & modijs, hoc maximè prohibetur Leuit. 19. Noli inæqualiter negotiari cum vlna & pondere, cum modio & statera &c. quoniam ego sum Dominus Deus vester, scilicet qui hoc præcipio, & Prouerb. 11. Statera dolosa abominatio est apud Deum, Quicquid ergo sic lucrabitur, furtum est. Sic dum mechanici merces vel opera sua ad fucum faciunt,

1.

ciunt,& cariùs volunt extrudere, quàm par & æquũ est, 1. Thess. 4. ne quis supergrediatur aut circumueniat in negotio fratrem suũ,quoniam vindex est Dominus de his omnibus. Tales etiam fures sunt mercenarij, qui plenam recipiunt mercedem à Domino & opera tamen infideliter perficiunt. Scriptura iubet, ne Domini illis retineant suam mercedem, idq; pro peccato nõ infimo censetur,vndè è diuerso si iniustè recipiunt operarij mercedem suam, ac negligenter expediunt opus Dominorum suorum, fures sunt coram Deo. Omnia hæc supradicta significantur per hoc verbum, furari, & in se comprehendit quicquid committitur cõtra iustitiam erga proximum nostrũ, siue sit in Spirituali aut seculari causa.

2. Secundò, quandò quis licitum suum præmium, pro laboribus suis accipit ad sustentandos liberos & familiam, hoc non debet reputari inter species furti. Matth. 10. Dignus est enim operarius mercede sua, maximè si opus aut officium est licitum. Vndè ad Ephes. 4. laborat quis manibus, vt habeat quod bonum est, id est,pro sua necessitate, & pueris, vxore & familia, deindè vt habeat vndè tribuat necessitatem patienti:hæ duæ sunt causæ, propria scilicet necessitas,& paupertas,quæ concedunt nobis,vt propria habeamus & diuitias, non vt indè quis superbiat, voluptuetur, ludat comessetur, inebrietur,aut cũ scortis dilapidet, sicut prodigus ille filius Lucæ 15. Deus enim tandem rationem exiget à te, quomodo vsus fueris bonis tuis concessis, & dicet, Redde rationem villicationis tuæ,Mat.18. Sunt porrò tria genera eleemosynarum,ad quæ tenentur ditiores. Primũ spectat ad ministerij ecclesiastici conseruationem, Luc.10.hoc genus eleemosynarum maximè est necessarium. Et Christus inquit, Qui dederit minimo alicui calicem aquę frigidę, in nomine meo,non perdet mercedem suam. & extant in prophetis amplissimæ promissio-

Tria Eleemosynarum genera. Matth.10.

promissiones, Malac. 1. Hagg. 1. Secundum genus est, largiri egenis, cognatis, parentibus, fratribus aut alijs propinquis Sic ad Tim. inquit Apostolus: Discāt primum exercere pietatem ad propriam familiam, & vicem reddere parentibus: ita si quis suos & maximè domesticos non curat, deterior est infideli, quia cognatis dupliciter obligati sumus: naturali propinquitate, & propter commune præceptum de iuuandis egenis. Tertium genus est iuuare alienos, qui scilicet nobiscum viuunt. Gal. 6. bonū operemur ad omnes maximè tamen ad domesticos fidei. Sic Deuter. 15. fit mentio de illis hominibus pauperibus, qui nobiscum habitant. I I. I I I. 3.

Tertiò, quoniā Apost. ad Eph. 4. prohibet de inceps furari, ideò maximè vult alienum reddi: Nam hęc regula est vera in genere de omnib. qui scientes & volē tes aliena possident & retinent, & habent vndè reddere possint. Peccatū non remittitur, nisi ablatum restituant. Ideò tenetur quis ad restitutionem, licet impossibilitas habeat excusationem, attamen voluntas debet adesse: nam quandiu retinetur scienter res aliena, tandiu prȩceptum Domini violatur, Non furtum facies. Ideò siue sit iniustum lucrum, aut pecunia per fraudem & dolum acquisita, vel iniusto titulo corrasa, teneris ad restitutionem. Insuper quoniam scriptura ait Eccl. 41. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri magni & precioſi: Igitur qui furantur famam bonam proximo suo, peiores sunt furibus rerum aliarū, quia rem nobiliorem (id est, famam bonam) furantur, & ideò vocat Apost. detractores, Deo odibiles homines. Et, Prou. 22. melius est nomen bonū, quā diuitiæ multę. Si igitur tenetur ad restitutionem, qui rem minùs ꝓcioſam alicui furatus est: ergo etiam in maiori tenetur reuocare verba, & restituere honorē cui detraxit: Quanuis in his quatuor secundùm Gersonē nunquā

aut

aut difficulter fit restitutio. Primò, si quis bona hæreditaria ad alios hæredes sua cooperatione facit venire: deindè, si quis minùs idoneos promouerit ad officia Ecclesiastica: aut ad bellum in re ciuili, quàm maximè iniustum, vbi multi occidũtur corporaliter, sicut in iniusta promotione spiritualiter. Postremò, si quis famam proximi abstulerit: in his enim quantitas damni æstimari non potest, vndè difficilia sunt ad restituendum: ab his ergo cauendum est maximè.

CAPVT XVII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit contractus.*
2. *In quem finem Deus permittit contractus.*
3. *Quomodò benedicuntur rectè contractibus vtentes, & quatenus malè vtentes grauiter puniuntur.*

1. COntractus est obligatio, qui ex duarum vel plurium partium pacto vel voluntate consurgit, sicut est inter emptorem & venditorem, qui ambo consentiunt in re cum pacto aut obligatione precij. Fit autem contractus quatuor modis: re, verbis, literis & consensu. Sunt autem contractus iuris naturę, quia vita humana habet opus mutua cõmunicatione. Ideoq; Euangelium non abolet ordinationes politicas & œcumenicas, sicut nec iura naturæ. sunt ergo contractus ordinationes Dei, sicut aliæ politicæ ordinationes, vt magistratus, iudicia, leges: & sicut Salomon dicit Prou. 16. Statera & pondus iudicia Domini sunt, id est, res à Deo iustè ordinatę: sine his enim homo agere non poterit. Spectant autem hæc ad corporalem nẽcessitatẽ procurandam: Ideò emere & vẽdere rectè atq; Christianè, non sunt peccata. Deus quoq; donat hominibus artes ac diuitias variarũ re-

rum

rum ꝓpter mutuam cõmunicationem, vt ex illis & cæteri alantur. Indè sunt tã varię artes mechanicæ, inuentiones rerũ, officia, scientiæ, quæ omnia sunt dona Dei, ad corporalẽ nostram societatem & necessitatẽ ordinata: ideò tales artifices agnoscunt artẽ suam esse donũ Dei, sicut etiã sciẽtiæ aliarum disciplinarũ.

Secundò, finis illarum ordinationum & contractuum est considerandus: est autem principalis finis huius ordinationis, & Deus ordinauit hæc dona in hunc finem, vt per eam exerceamus charitatem: ideò Christianus in fide debet vti contractibus. Hoc autẽ fit, quandò sic vtimur & exercemus mercaturam aut commercia, tanquam dona Dei, vt in eo ostendat charitatem & exerceat erga proximum. Qui verò sic agit in commercijs, vt defraudet proximum suum, & ipsi per dolum malum struit insidias, atq; incõmoda adfert, is grauissimè peccat, & dono à Deo cõcesso abutitur. Contingit autem hoc primum verbis, dum alter alterum in contractu decipit mendacijs, laudat merces falsas, iurat per nomen Dei in vanum, maledicit, nõ soluit debitum iuxta promissionem verborum suorum: hæc omnia sunt contra regulam Christi, cùm ait: Quòd tibi fieri non velis, alteri ne feceris, Matth. 7. Deindè decipit falso modio, libra, vlna, & cariùs inscribit mercẽ, quàm digna est: & hi quoq; grauiter peccant. Prou. 11. Statera dolosa abominatio est apud Deum, & pondus æquum voluntas eius. Et Leuit. 19. Nolite inæqualiter negotiari cum vlna, cum libra & pondere atq; modio: sit modius rectus vobiscũ, & non iniustus, quia ego sum, Dominus scilicet qui vobis hoc mando. Ideò hæc omnia destruunt charitatem, non ædificant. Igitur vult Deus, vt in timore Dei, id est, propter ipsum Deum, qui vult vt exerceas charitatem & iustitiam erga proximum, rectè exerceas tuam mercaturam. Nec hoc decet charitatẽ erga proximum, vt si velim emere mercem quàm vi- 2.

lissimè

lissimè potero,& extrudam quàm carissimè. Scriptura dicit ad Tit. 2. iustè & piè viuamus in hoc seculo: exigit Deus à te iustitiam etiam gratuitam erga proximum, sicut tu accipis gratis ab illo iustitiam Rom. 3. & Phil. 3. Sed quis possit enumerare omnes fallacias atq; versutias contractuum,& maximè huius temporis,vbi nulla conscientia, nulla politica fides, nulla charitas proximi reperitur? Non magnum est habere diuitias,sed hoc arduum est,an iusto titulo, bona conscientia, sine damno proximi & cum charitate habeas. Habuit enim & Iudas triginta argẽteos &

9. Tertiò,de benedictione & punitione contractuum dicit scriptura,primum de benedictione Deut.25. Non habebis in sacculis diuersa pondera,maius & minus, nec erit in domo tua modius maior &minor:pondus habebis iustum & ęquũ, & modiũ æqualem & verum, vt multo tempore viuas super terram,quã Dominus Deus dederit tibi·abominatur enim Deus illũ qui facit hęc:& Prou.16. melius est parũ cum iustitia,quàm multi fructus cum impietate & Mat.16. Marc.8. Luc. 9. Quid ꝓdest homini, si vniuersum mundum lucretur?aut quã commutationem dabit homo pro anima sua? Si ergo vis coram Deo longo tempore viuere, & prosperare in emendo & vendendo, iustè hęc omnia exerceas sine dolo aut damno proximi,idq; in dilectione propter Deũ, qui hoc tibi ꝑcipit. Dicitur Prou.12.Fraudulentus non inueniet lucrũ.Igitur cauete ab omni auaritia,inquit Christus Luc.12.Quod iustum est & moderatum, vt aliquãdo fiat laboribus tuis compensatio, non prohibetur: vult enim Deus perpetuam communicationem, ideoq; necesse est efficiæqualem compensationem:si enim vna pars tantùm daret, & altera reciperet, non esset perpetua communicatio.Ideò si res alterius partis exhauriretur, nõ maneret ęqualis compensatio,aut perpetua communicatio. Peccant igitur qui alios ita penitus exhau-

exhauriunt, vt ipsi affluant, cæteri depauperentur. vt faciunt vsurarij. De punitione quoq; eorum, qui perperàm vtuntur contractib. in ponderibus, vlnis ac libris falsis, inquit propheta Michę. 6. Audite tribus, adhuc ignis in domo impij, thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena: nunquid iustificabo stateram impiam, & sacculi pondera dolosa, in quibus diuites eius repleti sunt iniquitate, & habitantes in ea, loquebantur mendacium, & lingua eorum fraulenta in ore ipsorum, scilicet laudantium mercem non bonam, & vituperantium alterius mercem bonã &c. & sequitur: Ego ergo cœpi te percutere super peccatis tuis: tu comedes, & non saturaberis, & humiliatio, id est, depauperatio in medio tuî, tu seminabis, & non metes: calcabis oliuam, & non vngeris oleo: & vinum calcabis, & mustum non bibes &c. Ecce maledictio, qui falsis ponderibus proximum defraudant: tales sunt fures coram Deo, & punientur hîc & in futuro. Abbreuiantur enim dies illorum, sicut patet id in diuite, qui ampliat horrea sua, Lucæ 12. qui illa nocte fuit mortuus, & 3. Reg. 21. historia Naboth, cui rex Achab vineam inuasit pessimo consilio Iezabelis, nonne postea domus eius & filij puniti sunt? Sic sæpè Deus punit in filijs auaritiam parentum & transgressionem præceptorum suorum, Exo. 20. Iubet ergo Apostolus abstineri à turpi lucro, 1. Tim. 3. Tit. 1. & 1. Pet. quinto. 1. Timoth. 6. Nihil intulimus in hunc mundum, nec inde quicquam auferre poterimus: habentes ergo tegmenta & alimenta, his contenti simus: nam qui volunt diuites fieri, incidunt in varias tentationes diaboli.

CAPVT XVIII.

ARGVMENTA.

1. *Qui census sint à Deo ordinati, & quibus personis.*

2. *Qui*

2. *Qui census sint priuato arbitrio constituti.*

3. *Quandò sine peccato exiguntur.*

1.  Vm lex naturę exigat, ne quis locupletari velit detrimento alterius ideò doctrina de censibus maximè notāda est. Sunt autē primo census, quos diuina ordinatio & potestas instituit, scilicet ministris verbi Dei, deindè ministris Reip. id est, senatoribus: Et primò sacerdotibus & Leuitis constituit Deus primitias & decimas, tàm de frumentis quàm de animalibus, vt patet Exod. 22. Leuit. 27. Numer. 18. Deut. 12. Gen, 47. vbi Ioseph sacerdotibus constituit decimas, & liberauit à decimis. In his locis clarè constituuntur & deputantur Aaroni & filijs eius decimæ primitiæ oblationes atq; pecunia. Et in nouo testamento Luc 10. inquit Christus: Dignus est operarius mercede sua, & 1. Cor. 9. Qui seruit sacrârio, de sacrario & viuet. & Gal 6. Is qui catechizatur, communicet ei qui se catechizat, in omnibus bonis. Illis etiam ministris Ecclesiæ census Ecclesiastici iure debentur, vt se possint sustentare in ministerio verbi. Deinde etiam iure diuino debentur cēsus magistratibus pro conseruanda Repub. Matt. 22. Date Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Rom. 13. Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Sic magistratibus debetur stipendium tàm pro suis personis, quàm etiam pro conseruandâ Repub. id est, iudiciorum, ministrorum, pacis. &c. Sed tamen potestates pensare debent, ne immodicè onerent bona subditorum: alioqui peccarent contra Dei præceptum Exo. 20. Non furaberis, quandò sine iusta & necessaria causa ad Remp. pertinente onerant populum nouis & immodicis exactionibus, quia populus habet proprietatem in suis rebus, sicut in historia de Naboth legitur 3. Reg. 21. Vbi rex arguitur cū grauissima pœna filiorum suorum, quòd grauaret subditos.

Secundò,

Secundò, sunt census humano arbitrio constituti, 2.
vt cùm aliquis dat centũ florenos super fundum aliquem, id est, agrum, vineã, hortum, &c. vt quotannis venditor fundi restituat emptori quinquaginta aut sexaginta florenos secundũ voluntatẽ & contractũ, quos emptor ipse potuisset lucrari cum centũ florenis suis: cõmisit autem venditori, vt is negotietur cũ 100. florenis illis: & venditor restituit emptori quotannis tot florenos aut certos fructus. Hi contractus sunt liciti. Nam venditor posset totum fundum vendere, ergò & partem, & manet natura emptionis: saltem fundus talis sit, vt sustinere possit hoc onus, & & quòd seruetur in emptione mediocris æqualitas. Sic Ioseph emit regi omnes agros & fundos Aegypti Genes. 47. vt populus omnis de his fundis daret regi quintam partem fructuum, alias partes ipsi retinerent ad suam necessitatem. Non est autem ibi vsura, vbi supra mutuum nihil aliud sperare licet, Matth. 5. Sed est vera emptio, & sunt ibi substantialia emptionis, scilicet merx, precium, consensus. Tales igitur census nõ sunt vsura: & primum hoc interesse, quod habet emptor pro centum suis florenis in fundo vẽditoris, non est iniustum, sed licitum, quia ibi est vera emptio, quam admittit Euangelium & approbat, sicut alias ordinationes politicas.

Tertiò, qui volunt iusta conscientia exigere cen- 3.
sus, idq; vt non lædatur charitas proximi, & ne videatur locupletari velle detrimento alterius in secundo interesse, oportet seruetur æqualitas & mediocritas, ita scilicet, vt sic fructus fundi exigantur secundũ conditionem aut fertilitatem fundi vel agri, aut secundum quod fortuna venditoris contigerit, vt aëris intemperies, fulgura, diluuium, ignis, animalium & bonorum exitium, infirmitas ipsius venditoris, qui laborare non potuit, vt sunt varij casus infortuniorum qui accidunt. Quòd si tunc emptor strictè & sine

moderamine iuxta primũ intereſſe velit exigere fr
ctus & cenſus, & venditor ſine damno ſuo non p
ſet ſoluere, ibi diteſceret emptor, & venditor pen
an non hoc eſſet fieri diuitem cum alterius detri
to? & contra legem naturæ, Matt. 7. Non ergo ſic
guntur bona conſcientia cenſus & fructus: Sed de
emptor ex lege charitatis cedere de ſuo, & iuxta p
bilitatem & fertilitatem fundi illius anni exigere
ctus & cenſus, dicente Apoſtolo Gal. 6. Alter alte
onera portate, & ſic adimplebitis Chriſti legem.
talis moderatio non eſt, minimè ſana conſcientia
guntur cenſus. Non enim ſolum lucrum ſpecta
portet, ſed etiam habere reſpectum temporis ac fe
litatis fundi. Maximè hæc materia exigit legen
moderamina ſapientum: ſunt empti cenſus, quo
debitum perpetuò quaſi durat, vel cenſus excel
ſummam capitalem: ſic expiſcantur ciuitates, q
dò ſine conditione exiguntur. Sunt etiam qui ce
cenſum emunt, vt qui primò cum duobus floren
mit annuos cenſus decem florenorum, & nunc
renis emit annuè duos, & ſic cenſus cenſum pe
ſicut aqua rotam, adeò vt de ſolis cenſibus viua
ocio. Videat hîc poteſtas. Viderint quomodò
excuſent vocatores cenſuum, qui omnia ſtricte e
gunt ſine reſpectu pauperratis in venditore. Et q
uis ſcriptura concedit cenſus licitos, maximè m
ſtris Dei in vtroq; ſtatu, item perſonis plenis dier
qui laborare iam non poſſunt, ac defectuoſis in
ſpitalibus, vel etiam pro educatione filiorum O
norum, viduarum derelictarum, quas etiam Ap
lus iubet ſuſtentari de bonis Eccleſiæ, 1. Tim. 5
iuuenibus, validis, ac minimè defectuoſis non c
duntur cenſus huiuſmodi, ſed ad laborem remit
tur. Pſal. 127. labores manuum tuarum manduca
Et Geneſ. 3. in ſudore vultus tui &c. Quare tut
ſunt illi, qui panem labore manuum ſuarum m

cant, quàm nobiles illi qui vorant sine misericordia census pauperũ, aut auari vsurarij. Rectè dixit Apost. 1 Tim. 6. radicem omnium esse malorum auaritiam: Ideò exigere sine labore tam rigidè census sine cõpassione, est contrariũ maximè charitati Feliciores semper sunt habiti apud Deum, qui dant potiùs, quàm qui accipiunt. Illi enim seruant Euangelicum præceptum Matt. 5. Si quis contendit tecum pro vno miliari, vade cum illo & alia duo &c.

CAPVT XIX.

ARGVMENTA.

1. *Quibus propriè debentur reditus ecclesiæ.*
2. *Quam grauiter peccant, qui illos reditus ac testamenta in alium vsum conuertunt.*
3. *Quam graui pondere se grauant homines vtentes his redditibus ac testamentis, neglecto ministerio & officio.*

Ecclesia habet opus reditibus aut collationibus per testamẽta propter tres causas: Primùm ad alendos ministros Ecclesiæ, Luc. 10. Dignus est operarius mercede, 1. Cor. 9. Qui altario inseruit, viuet de altario. Secũdò, ad scholas conseruãdas, vbi sumptus suppeditãdi sunt doctoribus & aliquib. pauperibus scholasticis: vult Deus maximè hoc opus à nobis fieri, vt doceatur generatio altera, vt quoq; ponãt spẽ suam in Dño, Psal. 77. Sic laudatur Abrahã, q̃ doctus esset filios suos timorẽ Domini. Gen. 18. & Psal. 144. Gloriam regni tui dicent. Ideò vt instituantur in artibus & religione, vt ministerium verbi conseruentur, & alij ad rem politicam informentur, ad hoc sunt reditus conferendi: & ipsi parentes tenentur ad hoc educare filios suos; Ephes. sexto. Coloss. tertio, nam doctrinam & correptionem illis debent.

1.

Causarum trium prima

I I.

III. Tertiò, verè pauperibus, vt Paulus de viduis sem
narijs præcipit, 1. Timoth. quinto: Sic illi comm
cæteri Apostoli, vt memor esset pauperum, Gal
& ipse 1. Cor. 16. inquit: De collectis autē quæ f
in sanctos, sicut ordinaui in Ecclesijs Galatiæ, i
vos facite per vnam Sabbathi. Et Christus Matth
Pauperes semper vobiscum habebitis. & in hun
nem sunt reditus ordinati hospitalibus leprosor
aliorum: Et his tribus hominū generib. propri
bentur reditus Ecclesię atque testamenta, quæ
quasi collectæ, quę maximè reddi debent & non
neti à testamentarijs: nam id coram Deo tenen
vt satisfaciant vltimę voluntati testantiū bon
Ecclesię, sicut etiam in vita sępiùs dederunt. Ga
Hominis confirmatū testamentum nemo infri
aut reijcit vel addit: & officium est principum,
ipsi cōstituant eiusmodi reditus vel maximè
Ecclesiam, vt reditus & testamenta Ecclesię re
tur: ideò vocantur apud Esa. 40. Reges nutricij
inquit: Reges erunt nutricij tui, & reginæ nutr
&c. Si quis alius vtitur bonis Ecclesiæ, exceptis
dictis personis, is malè vtitur.

Secundò, graue peccatum est diripere facul
2. Ecclesiæ, & non rursus ad Ecclesiæ vsum & con
tionem conferre. Hoc non leue est furtum, sicut
in quibusdā nobilibus, qui alienam facultatē,
Ecclesię ad sua rapiunt commoda, nec Ecclesiam
uant vel ministros vel scholas, immò nec paup
sed ad solam pompam, luxum & auaritiam con
tunt, sic hodiè testamenta seruantur: & fit sic
passione Christi contigit, vbi milites diuidebant
stimenta Christi, & sortiebātur de illis: ita hodiè
cipes & potentes partiuntur inter se Abbatias, mo
steria, sacerdotia, beneficia, neglecto ministerio
no, studijs honestis ac pauperibus. Et sic punit
peccatum peccato, quia Episcopi & quotquot sun
o

officio verbi, aut deberent esse scilicet ministri verbi, & hoc negligūt, intenti curis ac negotijs alienis, non quęrētes quę Christi, sed quę sua sunt, & sic priuantur suis bonis Ecclesiasticis & censibus: quos raptores Ecclesię nobiles, conferunt in priuatos & prophanos vsus: & sic tandē vtrorunq; peruersitate, nempè Episcoporū & principū, extinguitur fides & religio Christi, ministeriū verbi diuini, cultus Dei, & redit paganismus: & sic maior erit eorū pœna, nam sanguinē omnium pereuntiū ab illis exquiret Deus, Ezech. 3. Et vę illis qui vel negligunt pauperes in hospitalib. vel census eorū rapiunt ad se, testamenta impediunt, horum clamor in cœlū ascendit, & Deus non obliuiscitur clamoris pauperum, Psal. 9. Sed quidam quęrunt excusationem, dicentes, beneficiū à meis progenitoribus est: conferā igitur aut filio, aut propinquis meis, aut ipse seruabo: Alius inquit, conferantur omnes reditus ac testamenta monachorū in vsus Reip. quid ad monachos? breui non erunt amplius: Respōdetur his, quòd scriptura tribuit stipendium & beneficium ministris verbi, non propinquitati carnis, & res semel Deo dicata, in alios vsus conuerti non debet. Erunt & sunt semper ministri diuini cultus, scholares, doctores, atq; pauperes, qui cùm necessitatem habeant, ex ijs beneficijs Ecclesiæ conseruari debēt: & sic omniū horū testatorum vltima voluntas ordinata est: si tu nunc ex inuidia vel proprio cōmodo horum voluntatē infringere voles, considera finē. Apostolus 2. Cor. 9. inquit: Deus hilarē datorem diligit, id est, nō qui ex tristitia aut necessitate donat aliquid. Nā reuocare semel donatū, tristitia est: quandò doles quòd maiores tui fecerint illa stipendia: multò minùs bona conscientia repetere poteris substantiā Ecclesię, nec in aliū vsum cōmutare, donec sunt & erūt ministri cultus diuini licet sint monachi, scholares, Doctores & pauperes: nam his prius & iure debetur

thesaurus Ecclesiæ, census & reditus ex vltima v
luntate testatorum. Raptoribus autem hæc non s
concessa.

Tertiò, quia beneficium datur propter offici
3. scilicet verbi, graui pondere laborant, qui nō sati
ciunt officio, & negligunt ministeriū verbi. Opo
igitur vt aut non vtantur beneficijs, aut non negl
officia. Olim Donatistarū Ecclesijs publici magi
tus auferebant facultates, & transferebāt ad pia
clesias: qua de re etsi conquerebantur Donatistę
sputabant, propter dissensionem dogmatū nemi
ripiendas esse facultates, Augustinus tamen facit
pecuniam Ecclesię esse, ideoq; rectè per magistr
eripi his, qui non pertinerent ad Ecclesiam, & tra
ferri debere ad veros vsus Ecclesię: nam hoc ver
est, vt qui labora-, manducet: sed & hoc verum e
primùm probetur, an falsus sit ille cultus quem
bent Ecclesię, quę sic priuantur suis facultatibus
sit ibi iustitia, non inuidia, nō hæresis. Ecclesia ca
lica tribuens Christo iustitiam, & seruans aliàs o
nem, non habet falsum cultū: igitur qui negligen
facit suum officium, videat: etiam qui facultate
piūt, videant, ne oculus sit nequā: grauiter pecca
les, peccata pauperū comedunt & bibunt, vt prop
ta dicit. Insuper replet Deus benedictione omnes
conferunt ad conseruationem ministerij & studi
vt patet Haggæi 1. Aedificate mihi domū. Item c
quęritur, Domus mea deserta est, & festinat v
quisq; vt domum suam extruat, ideò prohibui,
Malac. 3. Inferte omnem decimam in horreum m
&c Et Prou 3. Honora Deū de substantia tua &c
sunt omnes ꝓmissiones aut maledictiones eorū
vel conseruant, vel impediūt facultates Ecclesię
Et maledictio ac pœna æterna manet eos, qui spo
& alienant bona Ecclesię: sic punitur Achaz re
da, qui templum Domini spoliauit vasis, eaq; co

git, 2. Paral. 28. Nabuchodonosor insanus efficitur, Dani. 6. & regno spoliatur filius eius Balthasar. Antiochus in magnis pœnis moritur, 1. Machab. 1. & 6. 2. Ma. 9. Philistini rapientes Arcam, pessimè puniuntur, 1. Reg. 5. & 6. Videant igitur raptores bonorum Ecclesiæ, videant quoque vtentes bonis Ecclesiæ, neglecto diuino officio, quibus Christus minatur Mat. 23. Væ vobis scribæ & Pharisæi, qui comeditis domos viduarum, longas facientes orationes &c.

CAPVT XX.

ARGVMENTA.

1. *Quòd voluntas Dei est, vt de iusto lucro viuamus: ad hoc vult ipse cooperari.*
2. *In quibus rebus sit lucrū turpe & inhonestū.*
3. *De punitione quæ sequitur hic & in futuro iniustum lucrum.*

PRimò, maximè vult Deus, vt iusto labore nos conseruemus in hac vita, & pro illo etiam vult suam adiungere benedictionem, vt maximè caueamus ab omni inhonesto & turpi lucro. sic dicit Psal. 127. Labores manuū tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit: non autē eris beatus, nec benè tibi erit de turpi lucro viuere. Et Gen. 3. In sudore vultus tui vescēris pane tuo: non dicit, de turpi lucro vescēris. Sic Sapien. 10. honestauit illum in laboribus, id est, qui iusta arte laborat, & cōpleuit labores illius, id est, sua benedictione: adiecit preciū & fortunā, vt cum suis viuat. Et Apostolus hoc maximè desiderat in eligendo Episcopo, ne sit turpi lucro deditus & cupidus. 1. Tim. 3. ad Tit. 1. & 1. Pet. 5. nec turpis lucri gratia &c, Diligit ergo Deus maximè eū, q̄ de iusto labore & lucro viuit, & maximè illū odit, qui de turpi lucro viuit. Illū etsi p̄mittat hìc viuere & p̄sperari ad

rari ad tempus, in futuro tamē benedictione carebi
Ideò dicit Dauid Psal. 36. Melius est modicum iust
super diuitias peccatorum multas, id est, quàm di
tias cum peccato acquisitas.

Secundò, sunt multæ species turpis lucri, est en
primò vsura, est rapina in bello, & in via, est furt
occultum in vendendo falsas merces: est lucrū fal
monetę, est preciū lupanaris. Summa, est omne luc
quod cum peccato acquiritur & iniustè: de illo vi
re, coram Deo est peccatū. Est primò vsura, soluen
nim debitum & mutuum, nihil amplius debet, iur
Christi pręceptū Mat. 5. mutuū dantes, nihil inde
rantes. Vult enim Deus exerceri & ostendi charit
erga proximū. Igitur si quid vltra mutuū exigitur,
sura & peccatum est. Nam dicitur Deut 23. Fratri
absq; vsura mutuabis id quo indiget. Et Dauid
tificat eum, qui non dedit pecuniam ad vsuram, Ps
14. Est ergo hoc turpe lucrum, viuere de vsura. De
dè, viuere de rapina ex bello conquisita, iniusto
rùm bello. Iusta enim bella gerentes, fiunt veri D
mini rerum quas capiunt: & ideò res captas iustè
nent. Sunt autem iusta bella quæ suscipiuntur à
gitimis potestatibus ad propulsandam iniustam vi
vt contra Turcam seu latrocinium, quandò quis
cidit aut spoliat alieni principis subditos sine
causa: vel cùm suscipiuntur ad puniendum mani
stum scelus alicuius populi aut principis, vt Isra
mouerunt bellum ad puniendā tribū Beniamin p
pter stupratā Leuitę coniugē, Iudic. 19. Nam Deus
deò constituit magistratus, vt depellant latrocinia
puniant manifesta delicta, Rom. 13. bellum itaq; ge
re iustum est. Cùm bellum sit vna ex acerbissimis p
gis, quibus Deus mundū punit, pleraq; accidunt
bellis atrocia, quā exacta iustitię norma postulat
mediū in his actionib. accuratè institui potest. Ant
mē si principalis causa est iusta, sciat quoq; bellato
militan

militiam suam esse iustam, & res occupatas rectè possidere. Cæterùm miles, si pius est, non suscipiet nisi necessaria bella, moderabitur non necessariam crudelitatem, sicut Luc. 3. præscribitur militibus norma, vt sunt contenti stipendijs suis, &c. De raptoribus autem & spoliatoribus in via, Apostolus inquit 1. Cor. 6. Rapaces regnum Dei non possidebunt. Sic de turpi lucro viuunt lusores aleæ, chartarum, taxillorum, qui aut dolo, aut vi, aut metu decipiunt alios, quod est contra præceptum Dei, Non concupisces rem proximi tui. Sic qui de vadio lucrantur. Deus prohibet omnem auaritiam, id est, omnem speciem auaritiæ. Ideò tales tenentur ad restitutionem. Leges quidem concedunt ludos recreandi gratia animi, attamen sine fraude & dolo ac peccato, quod rarò aut ferè nunquàm fit, fieri debent: nam ibi oriuntur varia peccata, ira, odium, blasphemia, verba ociosa, & nonnunquàm cædes. Videant itaque & illi, qui domos lusoribus concedunt, & qui taxillos, chartas & aleas cum ingenti copia parant, vendunt, & ex hoc turpi lucro viuunt. Felix autem homo, qui panem suum in lætitia conscientię manducat, id est, sine dolo, fraude, & peccato, & sine detrimento proximi, vt sapiens in Eccles. 5. cap. inquit, Fruatur lætitia ex labore. Sic turpe lucrum reperitur in falsa moneta, vbi decipiuntur simplices homines, & depilantur principes ac diuites: ipsi verò falsi monetarij ditantur de tam turpi lucro, quod est contra regulam Christi & legem naturæ: Quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris. Est quoque lucrum meretricium, ex quo lenones aut copulatrices viuunt, & ipsæ meretrices de tali turpi lucro sæpè maximè ditescunt, cum tamen Deus omnem fornicationem prohibuerit: sed quomodò possunt omnes species turpis lucri in mundo recenseri? Est igitur graue peccatum, vitam suam sustentare de tali turpi lucro.

3. Tertiò notatur pœna turpis lucri, Ezech.22. sicut leo rugiens capiens q; prędam, sic animas deuorauerunt, id est, opes & precium, acceperunt sacerdotes eius, contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea, inter sanctũ & prophanum non habuerunt discrimen: Principes quasi lupi rapiunt prędam & auari sectantur lucra: & infrà, ideò effudi super eos indignationem meam, & in igne iræ meæ consumpsi eos, &c. Indignatio igitur Dei est super eos, qui auare sectantur turpia lucra, quę sunt cõmuniter furta: sic Iudas habuit triginta argenteos quibus vendidit saluatorẽ, Mat.26. Erat & hoc turpe lucrũ, sed sic punitur, vt seipsum suspenderet, & crepuit medius Actor. Ideò Salomon inquit: Benedictio Domini diuites facit. Quo fit, vt rarò ditẽtur lusores, raptores, & cęteri turpis lucri cupidi, & idẽ Prouer.28. Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quàm diues in prauis itineribus & Eccl.31. Beatus est diues qui inuentus est sine macula, sed quis est hic, & laudabimus eũ fecit enim mirabilia in vita sua, &c. quasi dicat, Rara est, inuenire diuitẽ qui collegit diuitias suas sine peccato. Ob id Christus nõ frustrà dicit Mat.19. Difficile esse diuitẽ intrare in regnum cœlorum, & Apostolus dicit 1.Tim.6. Qui volunt diuites fieri, incidũt in tentationes & laqueos diaboli, in desideria multa & inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.

Prouer.10.

OCTAVVM DEI PRAECEptum, Non falsum testimonium dices, Exod.20.

CAP. XXI.

ARGVMENTA.

1. *Ad quid nos Deus obligat hoc præcepto erga suam personam.*

2. *Ad*

2. *Ad quid erga proximum.*
3. *Quàm grauiter puniatur falsum testimoniũ.*

EXigit Deus à nobis hoc præcepto, vt p- 1.
pter ipsum præstemus veritatem in omni vita dictis & factis. Sic enim inquit Propheta Psal. 30. quoniã veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam. Quoniam ergò Deus est summa veritas, ideò vult vt propter ipsum simus veraces: & omnis qui seruat veritatem, Deum honorat. Qui autem mendacium diligit, diabolum honorat, & illi seruit: hic enim est pater mendacij, Ioan. 8. Ideò petijt Propheta Psal. 118. Ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque &c.

Maximè ergò requirit Deus, vt propter ipsum præstemus veritatem in iudicijs, in cõtractibus, emptionibus ac venditionibus. Quare falsa testimonia, accusationes, sententiæ atque iudicia maximè prohibentur, vt propter ipsum Deum ab his abstineamus. Vt enim hic confirmantur iudicia, & omnia forensia officia, si ritè & bona conscientia fiant, in hunc enim finem Deus ordinauit magistratum. Romanor 13. Ita econtrà damnantur omnes falsæ & calumniosæ accusationes, falsa testimonia, violationes pactorum ac promissionum. Deus enim est qui dicit, Non dices falsum testimonium &cæt. Ergò propter ipsum obedire debemus.

Secũdò, hoc præcepto exigit à nobis Deus, vt pro- 2.
ximi nostri gloriam, honorem, fidem & famam iuuemus cõseruari & augeri, sicut nos cupimus nobis fieri ab alijs hominibus, iuxta naturalem regulã. Matt. 7. Et hoc propter Deum facere debemus erga proximum. Igitur grauissimè peccant, qui mendacijs, detractionibus, falsis suspicionibus furãtur bonã famã alterius: melius est em̃ nomen bonum, quàm diuitiæ multæ,

multæ, Prouerb 22. Quòd si verbum omne ociosum in iudicio suam habebit sententiam, Matth. 12. quid fiet de his verbis, quibus proximus in fama læditur, quibus pax & concordia scinditur, vbi mendacium testificatur pro veritate? id quod Apostolus Roma.1. pro grauissimo peccato enumerat, quod etiam mereatur reprobum sensum, inquiens: cōmutauerunt veritatem Dei in mendacium. & ibidem 2. cap. inquit, Qui non acquiescunt veritati, cōsentiunt autem iniquitati. Ideò ad Ephes. 4 admonet, inquiens: Loquimini vnusquisque proximo suo veritatem, quoniam inuicem sumus membra. Tenetur igitur quisq; proximo suo loqui veritatem, & eius bonam famam & nomē defendere, omnia piè interpretari, & hoc propter Deum qui id iubet & exigit à nobis. Sunt autem tria genera contrariantium huic præcepto Dei, scilicet detractores, mendaces, suspicioſi: hi nociui sunt proximo suo. primò, detractores, qui Deo sunt odibiles, Rom. 1. Sæpè ac multa loquuntur à tergo falsa pro veris de proximo, & sic famam ac bonam æstimationem furantur. Hoc vitium iam admodum vulgare est in mundo, & non habetur ampliùs pro peccato. Hoc itaque notandum est, quòd qui falsos sermones de aliquo spargunt, ij tenentur ad restitutionem famæ, sicut in furto, vt Gerson inquit. Nam inter bona externa præcipuum est bona æstimatio: rectè igitur dicitur ab Augustino, Bona conscientia opùs est nobis, bona autem fama de nobis opùs est proximis. nam honesta opinio inuitat alios ad virtutem. Ideò dicitur Eccl. 41. Curam habeto de bono nomine, hoc enim præstantius est mille thesauris: Vndè illa sententia, honestus rumor alterum patrimonium. Sunt itaque peiores, qui aliorum famam, & præcipuè doctorum vitam, rodunt, quàm qui diripiunt aliorum bona. Vide latiùs de detractione. Secundum genus est mendaciloquorum: est autem mētiri, aliud loqui quàm

quàm sentias, & dissimulata veritate falsa dicere, & hoc semper est peccatum mortale, quia fit iniusta voluntate nocendi, & est damnabile coram Deo, iuxta illud Psal. 5. Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Est verò etiam mēdacium necessarium seu occultatio quædam, quandò ex iusta causa aliquid occultatur, sine detrimento tamen alterius. Sic Abraham dissimulat Saram suam esse coniugem, & dicebat sororem esse, Genes. 12. & 20. Sic obstetrices in Aegypto excusant se, Exo. 1. Sic Raab defendit exploratores Iosuæ 2. Dauid simulat se morbo laborare, cū ad regem sibi infensum esset eundem, 1. Reg. 21. Sic Iudith fallit Holofernem, Iudith. 13. Talis occultatio non est mendacium: nam mentiri non est solùm occultare, sed occultata veritate falsum dicere. Christus occultauit se duobus discipulis in Emaus, Luc. vltimo, tamen non negat se eum esse, qui erat: ideo tales occultationes non sunt peccata, nam differunt hæc duo, quandò id quod debet dici, occultatur vel deprauatur. Sic aduersus hostem licet vti occultatione pro tanto, ne violentur pacta. Nam pactorum & iusiurandi religio iure diuino seruanda est, atque adeò fides hosti data seruanda est. Sed præter pactum & iusiurandum vti occultatione consiliorum cōcessum est. Sic occultare licet innocētem à Tyranni alicuius inquisitione, ne ipsum miserabiliter & innocēter trucidari faciat: in tali enim casu manifestatio spontanea peccatum est. Est quoque mendacium iocosum, vt sunt poëmatata, & fabrè dicta, vt dum dicimus lupum esse imaginem tyranni, vulpeculam viri circunspecti, &c. Tertium genus est suspicioforum hominum, qui de proximo nihil boni cogitant, sed omnia verba & facta eius siniſtrè interpretantur: & magnum studium est quorundam, vt deprauent probabiliter dicta & facta aliorum, quemadmodū Iudæi miracula Christi adscribebant Beelzebub principi dæmo-

dæmoniorum, Luc.11. Sic Phariſæus factum pecc
tricis Luc.7 inquiens: Hic ſi eſſet propheta &c. T
les falſum teſtimonium ſæpè committunt cõtra pro
ximum. Eccleſ.3 Multos ſupplantauit ſuſpicio, ſcil
cet illorum qui malitia cordis laborant. Tales ſu
peſſimi homines, qui eiuſmodi effutiunt & imag
nantur de alijs, quod tamen illi nunquàm aut dix
runt aut cogitárunt.

3. Tertiò, dicit ſcriptura Prouer.19. Teſtis falſus
erit impunitus: qui ergò Deum, qui ſumma eſt ver
tas, nõ timet, idq; ad honorem eius, is non eſt ver
& ipſum certiſſima pœna manebit, ſicut patet in d
bus ſenioribus Suſannæ, Daniel.13. qui lapidan
ab omni populo. Porrò peccat falſus teſtis, quia d
cipit iudicem: nam iudex iuxta eius allegata pro
ſententiam, & ſic ampliùs grauatur peccatum, f
teſtimonij, & ideò dicitur Prouerb.22. Teſtis m
dax peribit de populo meo, nam incurrit maxim
Dei iram, iuxta illud 1. Paralip.19. Impio præbes a
xilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia ru
geris. Peccat poſtremò falſus teſtis in proxim
eumq; innocentem quẽ falſo teſtimonio lædit. Pr
uerb.25. Iaculum & gladius & ſagitta acuta, ho
qui loquitur contra proximum ſuum falſum te
monium. Sicut enim homo læditur ac vulneratur
gitta aut gladio, ita quoq; in fama ſua falſo teſtim
nio. Nec etiam ſolùm grauiter peccant, qui loqu
tur falſum teſtimonium, ſed quoq; ij qui libenter a
diunt, aſſenſum præbent, & citò credun
&c.

CAPVT XXII.

ARGVMENTA.

1. *Quòd iudicium politicum ſit opus Dei, & illo ordinatum.*

2. Qu

2. *Quòd fieri debet rectè & iustè, non ex fauore aut precij causa, sed propter veritatē & ipsum Deum.*

3. *Quæsit punitio falsorum iudicum & procuratorum.*

DIxit Moyses filijs Israel Deuter. 1. Iudicium Dei est, id est, loco Dei sit, & à Deo est ordinatum. Nam Deus cōstituit potestatem, & dedit ei gladium, Roma. 13. vbi ordinauit & instituit iudicia, eaque approbauit. Iudex igitur est loco Dei, & ipsius gerit vices: Itē, procurator ex parte hominis causam perorat coram iudice, est quoq; minister iustitię, seruiēs vt veritas & iustitia vincant, vt tutentur orphani & viduæ. est itaque vterq; Dei minister. Matth. 5. Beati pacifici, id est, qui procurant pacem & iustitiam, nam filij Dei vocabuntur. Et quoniam iudicium Dei est, debet quoq; esse Deo conforme in tribus, potestate, veritate & bonitate, id est, vt iudex cogitet se non humana, sed Dei potestate exercere iudicium. 1. Petri 4. tanquàm ex virtute, quam Deus administrat. Romanorum 13. Omnis potestas à Deo est: deindè vt fiat in veritate, quia Deus verax est, Romanor. 3. Qui odit omnem dolum & fraudem, maximè in opere & officio suo, quia iudicium opus Dei est. Porrò in bonitate fieri debet, quia Deus bonus est, & opera eius lucent misericordia. Matth. 6. faciens Solem oriri super iustos & iniustos. 1.

Secundò, Deuter. 16. dicitur: Iudices & magistros constitues in omnibus portis, vt iudicent populū iusto iudicio, nec in alteram partem declinent: non accipies personas, neq; munera, quia munera excęcant oculos sapientum. Et Numer. 11. dicitur Moysi: Congrega senes populi, quos tu nosti quòd senes sint 2.

populi

populi &cæt. Iudex igitur & aduocatus iustus n
debet respicere munera, personam diuitem vel pa
perem, neque preces, vel agnationem aut amicitia
ne falsè ex amore iudicet, & iniustã causam tuea
pessimi enim sunt cõsultores, amor & odiũ, vt Ei
nicus dixit. Et quia potestas facit Dei iudiciũ, po
stati quoque debetur tributum, Roman. 13. non de
aut potest iudex vel procurator vltra debitum stip
dium bona conscientia aliquid à personis recipere
plùs recipit, furtũ committit erga pauperes, & te
tur ad restitutionẽ. Deu. 16. iusti quod iustum est
quere. & propheta Dauid Psal. 14. eum beatificat,
munera super innocentes non accipit: is nõ mou
tur in æternum. At inquiunt quidam, Nullas ca
largitiones, quòd si quis munus honorariũ dona
rit vxori aut filiæ meæ Velum, Zonam, aut crepid
aut serici partem, &c. voluntariè id facit simil
qui offert pecuniaria dona: Respondetur, Iudex
non exigit talia, tamen recipiens, & per illa iudi
falsificans, grauissimè peccat: non enim iustum iu
cium vendere licet, eô quòd iudicium Dei est atq
testas, Deut. 1. Rom. 13. & gratis accepisti, ideò & g
tis dare debes. Ideò inquit Gregorius, Qui rectè
cat, & tamen prẽmium retributionis expectat, fr
dem in Deum perpetrat: quia iustitiam quã gratis
partiri debuit, acceptione pecunię vendidit. Te
tur igitur aduocati esse patroni veritatis: & grau
peccant in Deum tam iudices, assessores, Scabini, &
aduocati, quãdò scienter causam iniustã defendu
facientes contra Dei prẽceptũ: Non dices falsum
stimoniũ &c. Est etiã mortale peccatum & illicitu
alium subornare ad faciẽdum malũ, consulendo,
uando, defendendo aut consentiendo, Rom. 1. Dig
sunt morte, & qui hæc faciant, & qui assentiuntur
cientibus. Porrò peccant aduocati, ac scabini, cũ
tuentur aut accusant quod ignorant, & certo dele

dere aut accusare, idque fit negligentia ipsorum & insciti a: tunc enim iusta causa sæpè pro mala iudicatur, aut mala pro iusta: quia aduocatus asinus est, & non euoluit libros, & sic negligit causam proximi, quod tamen sibi nollet fieri, Mat. 7. Quare tenetur ad restitutionem damni. Item, quandò falsa allegat, & docet falsum testem, vt sic causę victoriam obtineat: Sic enim facere solēt illi spermologi suis cauillationibus, astutijs & calliditatibus verborū, causam pauperis vel aggrauantes vel falsificantes. Periculosum itaq; valdè est, procuratorē agere, cùm præsertim auaritia & inuidia regnāt, & proximus pauper grauatur vel causa à iudice suspenditur vel prolongatur.

3. Tertiò, iusti iudices & procuratores vt habent magnam promissionem gratię Dei, sic & pœna ipsos expectat si iniusti fuerint. Esaias primo cap. dicit: Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite & arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra vt coccinū, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt &c. Ecce magna Dei promissio atq; bona iustis iudicibus. E diuerso suas habent comminationes, qui negligunt in iudicio pauperes, & propter munera iudicant. Hierem. 15. Inuenti sunt in populo meo impij, insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendum feras: sicut decipula plena auibus, sic domus eorum plenæ dolo: ideò magnificati sunt, ditati, incrassati sunt & impinguati, & prætereunt sermones meos pessimè, causam viduæ non iudicauerunt, causam pupilli non direxerunt, & iudiciū pauperi non iudicauerunt: at nunquid super his non visitabo, dicit Dominus, aut super gentem huiusmodi non vlciscetur anima mea? ideò vir cum muliere capietur &c. Vide totum cap. Hier. 5. & 6. Insuper omnes ferè prophetæ clamârunt & conquesti sunt de falsis illis iudicibus ac procura-

toribus, qui vorantes munera, hoc habent proa
gio: Es möchte der remg ſeyn &c. Eſai.1. Om
diligunt munera, ſequuntur retributionem, pupi
non iudicant,& cauſa viduæ non mouet eos, prop
hæc ait Dominus, conteram ſceleſtos peccatores
qui Dominum derelinquunt, cõſumentur. Soph
3. Iudices eius lupi, veſperè non relinquebant in
nè: prophetæ eius veſani & viri infideles : manè
nè, iudicium ſuum dabit in luce,& non abſconde
&c. Pilatus quoq; falſus iudex,& Iudas proditor
uocatus falſus ſuum acceperunt præmium : ideò
cit propheta Dauid Pſalm.57. Rectè iudicate fili
minum &c.

NONUM DEI PRAECE
ptum, Non concupiſces do-
mum &cæt.

CAPVT XXIII.

ARGVMENTA.

1. *Quæ ſit differentia inter legem Dei, & le humanas ac philoſophiam.*
2. *Quòd concupiſcentia etiam ſine externo o re peccatum eſt.*
3. *Quomodò non debemus concupiſcere domo proximi.*

1. HAEC eſt differentia legis Dei ab hum
nis legibus & philoſophia, quia le
humanæ prohibent externa facta m
nuum & operis,& illa punit ac dam
1. Tim.1. Lex iniuſtis eſt poſita &c. I
humana poteſtas & philoſophia ſolam externã
g

gunt iustitiam, nihil curantes de interioribus motibus cordis: sed qui fecerit legem, viuet in ea, scilicet temporaliter & coram mundo iustus reputatur. Sed præcepta legis Dei non solùm de externis rebus & factis loquuntur, sed etiam de interioribus affectibus, inclinatione & immunditia naturæ. Quandò igitur lex ait, Non concupisces domum proximi tui &cæt. duo complectitur, affectum malum, & causam mali affectus, scilicet ipsum morbum naturæ, qui vocatur peccatum originis: hunc morbum humanæ naturæ non aduertunt leges & philosophia, neque iudicant esse peccatum. Ideò lex Dei accusat eum, est enim lex Dei spiritualis, Rom. 7. id est, Spiritu intùs & corde, non solùm foris opere vult impleri. Et quoniam nemo viuit sine hac concupiscentia, quæ impressa est naturæ, illiq; inhæret inseparabiliter, indè fit quòd nō possumus legi Dei satisfacere, sed habemus opùs aliena iustitia, nempè Christi, ideò illam Apostolus optat Philip. 3. Est igitur hoc præceptum ad cognocendum morbum naturæ nōstræ.

Secundò, quoniam nemo est sine concupiscentia 2.
super terram, nec etiam puer vnius diei, & illa est peccatum Rom. 7. Vbi Apostolus dicit, Ignorabam concupiscentiam, nisi lex diceret, Non concupisces: indè est, quòd omnes nascimur peccatores, nam in Adam omnes peccauimus, Rom. 3. & Psal. 13. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: & non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens: Ergò illa concupiscentia vel potiùs peccatum originis seu morbus naturæ, est verè peccatum, & tale, vt damnet hominem, si non tolleretur in baptismo, per iustitiam, CHRISTI ex misericordia propter fidem in illum. Tollitur quidem in baptismo, non vt non sit: fomes enim peccati manet, id quod omnes sentiunt, sed vt non imputetur ijs qui non secundùm carnem ambulant:

Rom.8. nec obediunt concupiſcentijs eius, Roma
Vel igitur oportet, vt concupiſcentia manens ſe
per per totam vitam mortificetur, & contra illam p
gnetur : & tunc non eſt peccatū imputatiuè, id qu
vbiq; docet Apoſtolus Rom.5.6.& 8. Deus enim n
vult imputare, quatenùs ei, id eſt, concupiſcentia
obeditur, ſed potiùs donat Spiritum ſanctum, vt m
tificetur, & hoc fit vſque ad mortem hominis : ve
concupiſcentiæ non reſiſtitur, ſed illi obtempe
mus, tunc damnabile erit peccatum, vt Roma. ſe
Si ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis, id
ſi concupiſcētias mortificaueritis: ſin autem mi
moriemini ſcilicet à gratia, quæ non imputat co
cupiſcentiam pro peccato, quatenùs illi reſiſti
Concupiſcentia igitur peccatum eſt. Naturalis v
ratio hominis tametſi externa facta & opera co
derat, non inuenit peccatum in paruulis & pijs a
minibus, ſed lex Dei morbum naturę tanquàm vi
tangens, dicit illum & illum peccatorem, quia na
ra eius oppreſſa eſt peccato, Rom.7. nō habitat in
ne mea bonum: ideò pueri, licet non habeāt actua
& externa peccata, tamen ratione morbi naturę ſu
peccatores. Habent quoq; paruuli concupiſcentia
& motus internos, iram, iuſtitiam, concupiſcentia
pulchri, odium tædij: & ſentimus quotidiè hanc c
cupiſcētiam etiam poſt baptiſmum, quam ſi quis
mo non haberet, nunquàm curaret quæ corpori
placerent, aut diſplicerent: & ſolùm intenderet
rei quę Deo placeret: ſed quia pleni ſumus affectib
ideò nos agnoſcere oportet, hunc morbum eſſe pe
catum: & tamen non imputari pro peccato, ſi non
cundùm carnem ambulauerimus. Hæc igitur valet
plus ad humiliandum nos, quàm vt nimiam nar
extollamus, ſuperbiamus, certemus: ſed vt ſimus c
paciores & auidiores ad gratiam Chriſti quę rēda
qui datus eſt nobis à Deo, vt noſtra ſit iuſtitia, ſanc
ficat

ficatio & redemptio, 1. Corinth. 1. Ideò Deus dicit: Non concupiſces: nempè vt vel ſic agnoſcas concupiſcentiam eſſe peccatum.

Tertiò, in hoc præcepto per domum proximi, non ſolùm ædificium eſt intelligendum, ſed tota res domeſtica, & quicquid ad hanc pertinet. Eſt igitur hæc ſententia, Noli concupiſcere, vt libenter velis eſſe quod proximus tuus eſt, vel in tali ſtatu, familia, ſplendore, diuitijs, poteſtate, honore, titulo, officio & ſumptuoſitate, &cæt. Sed quod ſis, eſſe velis, iuxta gentilem poëtam, & ſorte tua contentus eſto. Deus habet varia dona, & diſtribuit cuique prout vult, Roma. 12. quare dono ſuo vnuſquiſq; debet contentus eſſe, ſuo honore, ſtatu, bonis, & cogitare quomodò Deo gratias agat pro eo quod habet, vt ſuo ſtatui & officio ſatisfaciat, & placeat Deo, & hoc Deus mandato ſuo præcepit, ne aliena concupiſcamus, nō proximi ſplendidam domum, amplos hortos, agros, paſcua, vineas, nec ea p fas & nefas ad nos trahamus, maximè quando videmus proximum laborare ære alieno aut inopia, tunc circunuenimus eum, & bona illius cum eius detrimento & vili precio noſtra efficimus. Quin hoc potiùs ſtudere debemus, vt proximus noſter maneat in ſua poſſeſſione, diuitijs, ſtatu & honore, mutuum illi dantes, & nihil vſuræ indè ſperātes, vt Chriſtus nos docet Matth. quinto. Ideò qui ſic proximum ſuum in tempore neceſſitatis ſuæ circunuenit, licet iuſtè & rectè emat vel ad ſe redigat eius bona, non tamen erit ſine peccato, quia Deus dicit, Non concupiſces domum proximi tui. Videant ergò hìc vſurarij diuites, qui omnem ſubſtantiam proximi ſui exigunt: grauiter etiam peccant luſores, qui per varias practicas pecunijs proximi inſidiantur. Quicunque igitur pauperem vel diuitem in neceſſitate, fraude vel dolo decipit, ac minori precio bona eius ad ſe trahit, id quod (proh dolor) iam commune

3.

est in mundo, grauissimè contra Dei præceptum p
cat. &c. Est enim, inquit Gerson, grandis tẽtatio b
boli, qua facit vt homo alterius concupiscat statu
domum, officium. religiosi volunt statum habere
cularium, & seculares religiosorum &c. Nemo
tur concupiscat rem proximi sui: quia quilibet
peret naturaliter manere in sua domo, suo statu &
ficio, ideò & hoc faueas proximo tuo. Sic Chri
Ioan. 21 dixit, tu me sequere. quid ad te Ioannes, q
faciam cum Petro? Quare quisque ambulare de
secundùm vocationem suam, 1. Corint. 7.

DECIMVM DEI PRAECE
ptum, Non concupisces vxorem
proximi tui.

CAPVT XXIIII.

ARGVMENTA.

1. *Quid hoc præcepto Deus præcipit & exig
nobis.*
2. *Quomodò transgressores huius præcepti
niuntur.*
3. *Quòd serui & ancillæ non debent credere
cile detractoribus, & qui eos alienare vol
à suis dominis: nam & Deus illos punit.*

1. QVoniam Deus omnia creauit, & il
sunt cœlum & terra, & omnia qua
eis sunt, Psalm. 145. ipse enim verus
Dominus: Deindè quoniam ipse di
buit suum, id est, bona & diuitias, pro
ipse vult. Si enim Matth. decimo dicitur murmura
tibus, Nónne mihi licet facere de meo, quod vo
to

tolle quod tuum est,& vade &c.Ideò si nũc hoc Deus distribuit proximo tuo,tu debes esse contentus,& nõ concupiscere alterius bonum,nec id inuidere ei,quia Deus hoc illi & non tibi concessit, nec ei nocere, aut damnum inferre quouis modo vel in substantia, vxore,familiaribus,domesticis. Qui enim hoc agit,is arguit Deum, quasi non sit æquus & iustus distributor bonorum & donorum suorum, sed vult ipsum docere quomodo bona sua expendat. Ideò prohibet hic Deus concupiscentiam omnium rerum in parte & in toto contra proximum. Ne concupiscas,aut dolò vel fraude tibi vsurpes vel quocunque titulo speciosо aut forma,sed sis sorte tua contentus : hæc humilitas maximè D E O placet, atque etiam exigitur. Ideò quod Deus in toto prohibuit præcedenti præcepto,id est, donum proximi vel totã domesticam rem vel officium vel statum, nunc in priuato etiam concupisci prohibet, vt vxorem,seruum,ancillã,bouem, equum proximi: nec quis dicere debet,solam partem cupio rerum proximi, non totum, nihil vicino meo tantillum nocet:est alioqui satis diues &cæt. Ideò quicquid Deus proximo tuo dedit, nec totũ nec partem de illo concupiscere debes.

Secundò, concupiscere bona proximi in vanum 2.
fit:nec enim ideò habemus, quia concupiscimus,etsi per fas & nefas illud ad nos traxerimus, nihil tamen prodierit,sed plus nocebit,& melius foret quòd nunquàm vidissemus in illa proximi bona:nã Deus nullo pacto relinquit hoc peccatum impunitum. Sicut Dauidi 2. Regum 11. nihil proderat,quòd alienam vxorem,id est,Vriæ concupierat & tenuerat:fuit enim paulò post sic punitus, vt filius eius Absalon omnes mulieres Dauidis publicè dehonestaret: & præterea persequebatur patrem, cupiẽs eũ occidere,2. Reg.16. Quid profuit Achab, quòd vineam alienam ipsius

Nabaoth cõcupiuit & inuasit, 3. Reg. 21? Puniuit eum Deus, & in bello fuit interfectus. Ita hodiè etiam accidit ijs, qui de alienis bonis acquirendis cogitant, vt cum illis omne infortunium simul acquirant. Quoniam igitur concupiscere alterius bona peccatum est, ideò à tali concupiscentia abstinendum est. Nam si quis alium præuertat è domo sua, vel è centibus, sic eum punit Deus hîc temporaliter, vt in alia domo nunquàm benè illi cedat, quam dolo abstulit proximo suo: sic de agro aut hortis, vbi tempestates cœli & fulmina deperdũt fructus: similiter de iumentis, equis, bobus, ouibus, porcis, &cæt. quæ subito aut mala morte pereunt, sic in nulla parte aderit illa fortuna. Sic quoque Deus confudit duos illos senatores, qui Susannã concupiscebant, Dan. 13. Sic vxorem illius Aegyptij, quę concupiscebat Ioseph adolescentem. Quare cuique sinamus quod suum est, quod Deus minus dedit illi, idq; faueamus illi ex corde, quem Deus illi fauet, siue sint diuitiæ, elegans vxor, præstantes equi, &c. Christus ascendit in altum, vt daret dona hominibus: nõ igitur debemus inuidere proximo: nam grauissimum est peccatum inuidentiæ externæ gratię, estque contra Spiritum sanctum, qui distributor est omnium bonorum. Saul inuidebat Dauid regnum, & turbatus fuit, 1. Reg. 18. sic fratres Iosepho inuidebant, quod à patre plus amaretur, Gen. 37. Sic Chore, Dathan & Abiron inuidebant Mosi sacerdotium, Numer. 16. Sic Satrapæ & principes inuidebant Danieli, quòd is à rege præ illis diligebatur, Daniel. 6. Vndè & discipulos suos compescuit Christus, Matth. 20. certantes de sessione in regno cœlorum. Vult ergò Deus vt quisq; sit gratus de acceptis donis pro se, & vt proximo faueat id, quod Deus concessit.

3. Tertiò, quoniam peccatum est, proximi familiam concupiscere, & verbis aut facto abducere à pro-

ximi seruitio, vt tibi seruiat, ideò non facilè debent credere serui & ancillæ detractoribus, qui intendunt eos alienare à Dominis suis, quos Deus illis adiunxit, nec alienis citò se addicere: hoc enim peccatum est tam in suasoribus, quàm in seruis obsecundantibus. Debent autem seruitores & ancillæ debitum tẽpus seruitij expectare & complere, nec fidem Dominorum fallere. Qui autem hoc non faciunt, non solum peccant in famam propriam: reputantur enim apud omnes inhonesti & leues, sed etiam in Deum, propter quem tenentur seruare fidem suis Dominis vsq; ad exactum seruitij tempus. Sic Paulus ad Eph. 6. Coloss. 3. inquit: Serui, obedite Dominis vestris in timore & tremore, sicuti Christo Domino, non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo. Voluntas Dei est, vt seruiatis his vestris Dominis. Ideò bona voluntate seruite illis, sicuti Domino, & non hominibus: Seruus ita debet cogitare, seruiam Domino meo, ac si Deo seruirem: & sciat quòd recipiet à Deo præmium fidelis sui seruitij, & non solùm temporale, sed etiam ęternum. Ergo qui concupiscit proximi sui famulum aut ancillam, datque illis ansam relinquendi suos Dominos antè tempus completũ, hunc Deus impunitum non relinquet, nec prosperabitur, aut habebit vnquam familiam fidelem aut obedientem: Præterea ipsos seruos inconstantes Deus varijs infortunijs puniet, vt seruire tandem cogantur Dominis impijs ac dyscolis in pœnam &c. In his itaque omnibus DEVS timendus est præceptis.

DEVS PATER NOSTER in cœlis, Matt. 6. Lucæ 11.

CAPVT XXV.

ARGVMENTA.

1. *Quarè Deus nobis hominibus factus est pa-*
pius & amiciſsimus.
2. *Quæ ſit differentia inter Deum patrem*
ſtrum in cœlis, & patrem noſtrum in ter
3. *Quis ſit pater, & cum ſciat defectus filiorum*
cur tamen ab illis vult exorari.

1. QVANuis Deus propter peccata no
meritò eſſe poſſit formidabilis lu
& damnare nos omnes, tamē mœru
lij placatus eſt, vt nunc velit eſſe p
omniū illorum, qui credunt in fi
ius ieſum Chriſtum. Ioan. 1. dedit poteſtatem fi
Dei fieri his qui credunt in nomine eius, &c. I
omnium Chriſtianorum, qui in ipſum credunt,
us eſt pater: non credentium autem iudex eſt fe
dabilis. Sic Eſa 63. vocat Deum patrem, Tu Do
pater noſter, redemptor noſter es. & 2. Corin. 1.
Apoſtolus: Pater miſericordiarum & Deus toti
ſolationis. Si ergo eſt pater nobis, & nos igitur
eius, & hęredes regni eius, Rō. 8. Ideo dicitur 1. Io
videre qualem gratiam dedit nobis pater, id eſt,
us, vt filij Dei nominemur & ſimus. Hæc ma
gratia Dei eſt, vt nos in filios propter Chriſtū re
at. Qui ergo dedit vt filij ſimus, inquit Auguſt
quid ergo non dabit filijs petentibus aliquid? I
ceſſit quod maius eſt, nempè eſſe filios, quomodo
terna dona, quæ minus ſunt, negabit? Vt ergo o
homines natura peccatores Epheſ. 2. efficeret
filij Dei, Deus primò facit denunciare verbum
voluntatem ſuam toti mundo, & ſic prædicatur
angelium in vniuerſa terra Marc. vlt. Matth 24.
intelligimus, quòd poſtulet pœnitentiam & fid
& promittit vitam ex miſericordia propter Chri
pœnitentibus & credentibus, deindè aperit co
no

nostra,& donat vt credere valeamus Euangelio Ioan. decimoquinto inquit Christus: Non vos me elegistis,sed ego vos elegi &c. Ideò nisi ipse corda nostra aperuerit,nemo verè potest credere:aperire autē omnibus paratus est, quibus facit denunciare verbum. Si quis autem contempserit, & Euangelio non obedierit,Rom.10.is non efficietur filius Dei. Et sic primò antequam quicquam petimus à Deo,oportet vt Deus nobis fiat pater, id quod fit per fidem in Christum. Posteà dicimus & oramus: Pater noster qui es Matth. 6. in cœlis: iam vocamus & habemus eum patrem, antequàm quippiam petierimus. per fidem igitur verbi ipse mihi pater, & ego filius eius factus sum: & quoniam pater nobis est factus,ideò misericordia & gratia sua nos fouet, regit, mundat & saluat, & maiori studio curat nostra,atq; nouit defectus & tribulationes filiorum suorum per fidem filij sui, quàm vllus pater carnalis. Ideò dicit Esa 49. Nunquid potest obliuisci mater filij sui &c.

Secundò dicimus Deum patrem nostrum in cœ- 2.
lis,ad differentiam patris queni habemus in terris, qui cùm sit homo peccator,mortalis & vt filius,non potest hoc nobis donare, quod verus pater in cœlis donat,nempè remissionem peccatorū,sanitatē corporis,& alia bona spiritualia,patientiā,misericordiam, pacē cordis,fidem, timorē, dilectionem Dei, & alios fructus Spiritus. Gal 5. Postremò nec vitam ęternā potest donare, sicut pater cœlestis. Est igitur multo ampliùs diligendus & timendus pater in cœlis, quā terrenus. Maximè etiam conformes & obedientes filij esse debemus erga hunc patrem Deum in cœlis,vt faciamus quæ pręcipit, & omittamus quæ prohibet, vt credamus verbo eius,& illi per omnia obtemperemus. Sic enim dicit per prophetā Malach. 1. Filius honorat patrem, & seruus Dominum suum. Si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus

ego

ego sum, vbi est timor meus, dicit Dominus exercitu. um? Nihil enim abominabilius filio proteruo erga parentes, quos etiam Dominus occidere iussit Deut. 21. Multo peiores sunt filij proterui & inobedientes erga Deum: illi enim punientur morte æterna, id est, damnatione. Si non longam vitam habebūt inhonorantes parentes, Exod. 20. neque æternam habebunt illi, qui Deo non obediunt, & plurimum gloriantur de patre & Euangelio.

3. Tertiò, quia pater libenter audit loqui filium suum, & sæpè dat occasionem illi vt loquatur, & vult etiam pater, vt filius petat ipsum pro re necessaria humiliter: in hoc enim agnoscit filius patrem superiorē illi, & honorat ipsum, sic Deus pater noster in cœlis vult vt ipsum alloquamur, & hoc fit per orationem: nam cùm oramus, tunc cum patre Deo nostro loquimur: quandò verò audimus vel legimus scripturam vel Euangelium, tunc ipse nobis loquitur. Ob id etiam Apostolus Rom. 15. inquit: Quæcunque scripta sunt, &c. Et quia orare Deum patrem, est cultus diuinus & honor quem illi debemus, ibi eum agnoscimus omnium datorem: ideò scriptura vbique iubet orare Psal. 49. Inuoca me in die tribulationis. Matth. 7. Petite, & accipietis, Ioan. 16. Lucę 18. oportet semper orare &c. Igitur quanuis pater sciat nostra necessitatem antequam petamus eum, Mat. 6. scit enim pater vester &c. vult tamen vt illi loquamur per orationem, vt debitum cultum ei impendamus, vt pręceptū eius impleamus, quia iussit petere. Ipse enim Christus inprimis docet nos petere in nomine suo, Ioan. 16. vt certi simus de exauditione: nam pater sic honorat filium, vt nihil propter ipsum deneget. At hoc est petere in nomine Christi, quandò hoc petimus, quod ille iussit nos petere, vt dicendo: Pie Deus & pater, ego hoc à te peto, & hoc non facio à meipso: dilectus enim filius tuus iussit & præcepit mihi, ideò si exaudis me,

dis me, etiam audis dilectum filium tuum Dominũ nostrum Iesum Christum: quòd si me non audis, nec exaudis filium tuum. Sic enim 1. Ioan. 5. dicit Apostolus de tali oratione, Hæc est fiducia quam habemus ad Deum, quodcunque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos. & quoniam scimus quòd nos audit, ideò etiam scimus quòd hoc impetrabimus quod petierimus. Et quoniam Deus nobis pater factus est propter mortem filij, ideò anima turbata non desperare, sed consolari se debet. Ipse pater Deus curam nostrî plus habet & diligentiùs, quàm vllus pater terrenus, sicut patet Matth. 7. Quis vestrũ si filius eius petierit panem, illi lapidem daturus est &c. & addit: quantò magis pater vester qui est in cœlis, dabit bona si postulaueritis ab eo?

DE SANCTIFICATIONE nominis sui.

CAPVT XXVI.

ARGVMENTA.

1. *Quomodò oporteat nomen Dei in se sanctum, in nobis etiam sanctificari.*
2. *In quibus rebus dehonoratur nomen Dei.*
3. *Quod sit præmium piè, & quod malè tractantum nomen DEI.*

NOmen Dei in se sanctum est. Sic enim inquit propheta Psal. 53. Confitebor nomini tuo Domine, quoniam sanctũ est, & Psal. 110. sanctum & terribile nomen eius. Luc. 1. Et sanctum nomen eius. Hoc nomen in æternum sanctum erit, & non potest a nobis nec magis nec minùs sanctificari in se. In nobis autem vt sanctificetur, docuit Christus vt petamus. Matt. 6. Primò scilicet, vt nos sanctificet nomen 1.

men Dei, in quod credimus, Nam fides nominis Dei nos sanctificat, 1. Corinth. 6. nunc abluti & sanctificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi. Quando igitur Deus dat donum fidei, hac etiam fide nos sanctificat. Sic Paulus omnes fideles vocat sanctos in exordijs epistolarum suarum. Hæc est quoque vltima petitio, quam fecit Christus ad patrem antè captiuitatem, vt Deus nos dignetur sanctificare fide & agnitione nominis sui, inquiens Ioan. 17. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Et iterùm: Hęc est vita æterna, vt cognoscant &c. Tunc ergo nomen Dei in nobis sanctificatur, quandò à Deo datur, vt verè ipsum agnoscamus, atq; recto cultu colamus. Nisi enim non fides nominis Dei sanctificauerit, animales permanebimus & filij damnationis. Deinde nomen Dei, quod nos per fidem iustificauit & sanctificauit, à nobis sic sanctificatur, quandò soli Deo tribuscribimus omnem iustitiam, sapientiam & bonitatę, & dicimus cum Propheta Psalm. 113. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. & Daniel 9. Nobis confusio, tibi autē gloria. Sumus enim omnes peccatores, & egemus gloria Dei, Rō. 3. Solā itaq; nomē Dei sanctū est. Qui ergo seipsos iustificāt, sanctificāt, & iactant suam ꝓpriam iustitiam & sapiētiam, illi nomen Dei non sanctificant: & hoc quidē naturę difficile est, & quasi contrarium, tribuere soli Deo in operib. sapientiam, iustitiā ac gloriam, & sibi penitus nihil retinere. Voluit Adā in Paradiso esse æqualis Deo, nec dare soli Deo gloriam Gen. 3. hoc voluit & lucifer Esa. 54 & hodiè cū ipso omnes mundani homines. Nā nisi Spiritus S. mortificauerit affectū naturę hominis, non poterit soli Deo in omnib. gloriam dare. Sic Christus Ioan. 8 respondit Iudęis: Ego gloriam meam non quęro. ergo nemo suam gloriam quærere debet, nec de virtutibus, fide & charitate atque iustitia operum gloriari ac præsumere, quia hæc

hæc omnia dona Dei sunt: igitur qui gloriatur, in Domino glorietur, 1. Corinth 1. Hierem. 9. Hæc est maxima virtutum vna, non quærere propriam gloriam, sed solius Dei nomen sanctificare, atque illi honorem asscribere in omnibus rebus & factis. Sic enim à nobis nomen sanctificatur Dei, & hoc Deo placet, qui humilibus dat gratiam, & superbis resistit, Iacob. 1. ad illos inquit: Amice ascende superiùs. Postremò, nomen Dei à nobis sanctificatur, quandò ipsum nomen Dei nobis precioſum est atq; sanctum, ne illo vtamur in rebus non sanctis, sed potiùs in peccatis, quàm in rebus salutaribus, quod fit peiurando, conuiciando, maledicendo &c. aut quandò in rebus leuibus vtimur nomine Dei sine vlla reuerentia, timore aut honore, id quod vix vnus seruat, & ij faciunt cõtra præceptum secundũ primę tabulę, Non assumes nomen Dei tui in vanum &c. Vt igitur diabolus nos non impellat ad varia illa flagitia, rogandus est Deus vt nobis donet quatenus nomen suum nobis sanctum sit, quod super nos est inuocatum & super alias res sanctificatas per nomen Dei.

Secundò, conqueritur Dominus per Prophetam Esai. 52. inquiens: Iugiter & tota die nomen meum blasphematur, id est, peruersi fideles qui confitentur ore nosse Deum, attamen factis negant, ad Titum 1. faciunt vt Deus blasphemetur ab infidelibus & gentibus, quæ sic dicunt: Illéne Deus est, qui habet tam pessimè viuentes, & enormia facinora perpetrãtes, pro suis cultoribus & adoratoribus? quomodò potest esse verus eorum Deus, cùm tales permittat viuere? Qui igitur se inquinant periurio, adulterio, superbia, blasphemia &c. illi Deum inhonorant, & sunt illi scandalum, quia eum non timent, nec reputant pro Deo vero, & faciunt malo suo exemplo, vt etiam à gentibus nomen Dei blasphemetur. Vndè dicit per Prophetam Malach. 1. Si ergo pater ego sum, vbi est 2.

vbi est honor meus? Et si Dominus ego sum, vbi est ti mor meus, dicit Dominus exercituum? Quilibet te. netur ad laudem nominis Dei semper & omni tem. pore sicut Psalmista dicit: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo: & tene. tur operam dare, vt ab alijs & vbiq; nomen Dei ho. noretur & glorificetur, non blasphemetur: Blasphe. matur autem, quandò doctrina falsa pro vera doce. tur: vbi falsitas honoratur, & veritas nominis Dei dehonoratur: quandò verbo Dei non creditur, fit vt nomen Dei blasphemetur, quasi verax non sit: sic qui negat fidem Christi, & qui dicit Deum patrem suum in cœlis, & tamen non vult obedire Deo & seruare e. ius præcepta, hæc contumelia in Deum est, sicut pa. tri carnali est indecorum, si filiũ habet indisciplina. tum, & sic dicit Deus Ezech. 36. Nomen meum blas. phematur inter gentes propter vos, &c. Rom. 3. No. men Dei per vos blasphematur. 2. Petr. 2. Per quos via veritatis blasphematur.

Tertiò, Tobiæ 1. legitur, quomodò Tobias in Hie.
3. rosolyma intrabat templũ Dei, & ibi adorabat & san. ctificabat nomen Dei, & nolebat inhonorare Deum, adorando vitulos aureos quos erexit Ieroboam, 3. Reg. 12. & Dominus fuit cum eo. Et Christus promit. tit copiosam mercedem in cœlo ijs, qui propter glo. riam nominis sui odio habentur Matt. 5. Sic quoque Deus promittit 1. Reg. 2. Quicunq; honorificauerit me, glorificabo eum, & Psal. 14. Timentes autẽ Do. minum glorificat. Qui ergo de honore & sanctitate nominis Dei augenda cogitat, vt hoc semper laude. tur & glorificetur ab omnibus, is iterum glorifica. bitur omni honore & fortuna hîc & in futura vita: qui autem blasphemat per se, aut occasionem alijs dat, is quoq; punietur in hac & post hanc vitam. Nec euadet pœnam, qui nomen Domini facit blasphema. re, sic dicitur Dauidi 2. Reg. 12. Verũtamen quoniam blasphe.

blasphemare feciſti inimicos nomen Domini, filius tuus, qui natus eſt tibi, morietur. Et rex Aſſyriorum Sennacherib propter blaſphemias quas fecit in Deum, & fecit dici regi Iuda, ſcilicet quòd Deus illum nec defendere aut iuuare poſſet, vna nocte per angelū de populo ſuo interficiuntur 185. millia hominū. Et Balaam propheta dedit conſilium regi, vt faceret fornicari populum Iſraël, & ſic Deus eorum inhonoraretur, & permitteret eos cadere: & populus fornicatur, & nomen Dei blaſphematur, & occiſi ſunt 24. millia hominum, Num. 25. Apocalyp. 2. tenentes doctrinam Balaam, qui docebat blaſphemiam & ſcandalū coram filijs Iſraël, edere & fornicari.

DE REGNO DEI.

CAPVT XXVII.

ARGVMENTA.

1. *Quid ſit regnum Dei.*
2. *Quomodo ad nos perueniat regnum Dei.*
3. *Quomodò oporteat quotidiè regnum carnis in nobis corrumpi, vt creſcat regnum Dei in nobis.*

APoſtolus dicit ad Rom. 14. Regnum Dei eſt iuſtitia, pax & gaudium in Spiritu ſancto, id eſt, his rebus regnat Dominus Deus in omnib. qui in regno ſuo ſunt, iuſtitia primò, quā dat ipſe Deus, & imputat homini propter Chriſtum, hoc eſt, Chriſti iuſtitiam donat & imputat peccatori, qua iuſtus reputatur contra dęmonem, peccatū & infernum, & hanc iuſtitiam ad Phil. 3. petit Apoſtolus, & Chriſtus ait Mat. 5. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam. Niſi hac iuſtitia Chriſti quis fuerit reputatus iuſtus, nemo coram Deo poteſt eſſe iuſtus, Pſal. 142. Non iuſtificabitur 1.

in conspectu tuo omnis viuens. Deindè, regnum Dei pax est & securitas, quòd homo certò scit sibi esse remissa peccata propter Christum. Rom. 5. Iustificati fide, pacem habemus apud Deum. Ephes. 2 Ipse est pax nostra: postremò, regnum Dei est gaudium in Spiritu sancto, quia conscientia lætatur, quòd habet iustitiã & pacem Christi: ideò propter hanc gratiam & donã diligit, laudat, glorificat & gratias agit Deo, & cum quadam voluptate incipit facere quod Deo placet, & vitare quod displicet Deo. Sic regit Deus conscientias: in his rebus interioribus est regnum Dei, non in cibo, potu aut vestitu. Regnum enim Christi significat motus spirituales in corde, quos excitat Spiritus sanctus, id est, appetitum iustitiæ Christi, pacis & securitatis de peccatis propter Christum, idemq; excitat gaudiũ cordis de gratuitis beneficijs Christi receptis, & gratias agit, & obedire legi incipit. In his rebus Christus regnat in nobis atq; viuit, id est, sua iustitia, pace & gaudio. Est igitur regnũ Dei, id est, quo Christus in cõscientijs regnat ac viuit, nõ externa tuum obseruatio, quia regnũ Dei non venit cũ obseruatiõe Lucę 17 sed intra vos est, Sed est regnũ Dei, id est, quo Christus in nobis viuit & cõscientias regit, vt fides, inuocatio, patiẽtia, timor, gaudiũ cõscientię, gratiarũ actio, dilectio, & similes motus atq; fructus spiritussancti, Gala. 5 Hi motus sunt necessarij cultus Dei, sed ritus & cæremoniæ non sunt sic necessarij, vt fides sit inutilis, aut quasi non contingat iustificatio sine illis obseruatiõibus: Sunt enim ritus mutabiles, sed non isti motus cordis; qui perpetuò ad verum Dei cultũ exigũtur: In ritibus est libertas, hic aũt nõ item, ad Gal. 4. In libertate qua Christus nos liberauit state, nec iterum iugo seruitutis subijciamini, & Coloss. 2. Nemo vos iudicet in cibo, potu, & parte diei &c. Non hic prohibẽtur ordinationes & ritus in politicum finem, sed quantũ ad finẽ iustificationis. Sic

Chri-

Christus etiam veram ordinationem tribuit spiritui & motui cordis, non certo loco vel ritui, Ioan 4 Regnat igitur Christus & viuit in motibus illis spiritualibus cordis, vt dictū est, & de his rebus interioribus est regnum Dei, & hos requirit motus à suis subditis.

Secundò oportet vt hoc regnum Christi ad nos veniat: alioqui nos ex corrupta nostra natura nunquā ex nobis ad illud peruenire mus. Ideò iussit Christus exorare patrem, vt illud ad nos aduenia t. Matt. 6 Adueniat regnum tuum &c. Duplici autem via aduenit ad nos regnum Dei, primum per prædicaionem fidei hoc est, quandò fides prædicatur & Euangeliū, scilicet quod Christus mortuus est pro peccatis nostris & resurrexit propter nostram iustificationem, Roma nor, 4 id est, quod nos per mortem suam liberauit à peccato, morte, & inferno: hoc qui credit corde, & dolet de peccatis, ac cupit sibi exhiberi meritum passionis Christi, illi propinquat & aduenit regnū Dei, Sic dicitur Mat 3 Pœnitentiā agite, quoniam appropinquat regnum Dei, & sic quotidiè ad nos peruenit regnum Dei, quotics audimus verbū Dei, & illi obedimus, & sic sunt in regno Dei, & ad illos venit qui obediunt Euangelio, & credūt, timent, atq; diligūt Deū, & proximum suū, qui sunt patientes, benigni, misericordes, &c. Diligenter ergo audire debemus verbum Dei, vt eo magis ad nos veniat regnū eius. Deindè veniet ad nos regnum Dei, quando post resurrectionē & iudiciū illud in re accipiemus, vt Christus inquit Matthei. 25. Venite benedicti patris mei, possidetē paratum vobis regnum: futurum enim est regnum patris, & in illo præparauit diligentibus se, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, Esa. sexagesimo quarto. 1. Corrinth. secundo. Et illud ad nos veniet post Christi regnum, quod hic consistit in fide, timore dilectione, iustitia, pace, & gaudio spiritussancti &c. Et ideò dicitur CHRISTI regnum, quia hic in præsenti

his motibus regnat & viuit in cordibus fideliũ: patrẽ regnũ vt nobis donetur Christus suo sanguine acquisiuit ac comparauit, modò nos simus hîc in regno Christi: si filius cupit hæreditatem paternam, multò magis nos regnum patris cœlestis petere debemus, idq; maximè cò, ne ab illo excidamus, sicuti Iudęi excciderunt. Sic Mat. 8. Multi venient ab occidente & oriente, &c filij autem regni eijcientur foràs.

3. Tertio, vt Deus noster & saluator Christus in nobis plenum habere possit regnum, oportet quotidiè diminui & corrumpi regnum carnis & sathanę. Sathanæ autem regnum & carnis sunt peccata & vitia Gal. 5. Opera carnis sunt &c. Quia igitur Christi regnum in virtutibus interioribus & spiritualibus cordis consistit, id est, fide, dilectione, patientia, timore, benignitate, continentia, &c. Igitur quotidie oportet mortificari opera carnis & regnum sathanæ extirpari, vt Christus in nobis viuere & regnare possit. Ad hoc etiam Deus mittit crucem, infirmitatem, tribulationem &c. vt regnum peccati in nobis destruatur. Sic inquit Apostolus 2. Cor. 4. quandò is qui foris est homo noster, corrumpitur, tunc ille qui intus est, renouatur. Rom. 8. Corpus mortificatur propter peccatum, & Rom. 6. Vetus noster homo crucifixus est, vt destruatur corpus peccati. Quia igitur regnum Christi est noua & æterna iustitia & vita, & in corpore nostro hærent reliquiæ peccati, ideò Deus vult vt corpus hoc aboleatur, & subijcit illud afflictionibus huius mundi, & denique morti. Est tamen hoc etiam suauissimum consolationis gaudium in conscientia, quòd scimus huiusmodi pressuras & afflictiones esse sacrificia, quæ Deo placent & grata sunt, ijsque ei maximo honore afficitur. Psal. 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum &c. Roman. 12. Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctã, Deo &c.

D I

DE VOLVNTATE DEI.

CAPVT XXVIII.

ARGVMENTA.

1. *Quæ sit voluntas Dei, quam rogare debemus vt fiat.*
2. *Quæ sit voluntas Dei, quam vt nos facere possimus, rogamus, sicut faciunt angeli in cœlo.*
3. *Quæ sit vera abnegatio propriæ voluntatis.*

VOlũtas Dei quę sit, Christus ipse explicat, Ioan. 9. inquiens: Hæc est voluntas patris mei qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die, & Apostolus 1. Timoth. 2. Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. Semper itaque petere debemus, vt hæc voluntas DEI fiat, ne ex parte nostra impediatur: impeditur autem Dei voluntas, quandò carnalem nostram voluntatem facimus & sequimur, quandò plùs diligimus & eligimus mundana & carnalia, & tenebras peccatorum magis quàm lucem, Ioan 3. Sic etiam Christus arguit etiam Hierosolymitanos Matthæi 23. Quoties volui te congregare, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti? Sic Christus voluit saluum permanere Iudam, & vocat eum amicum, Matt. 26. Amice, ad quid venisti? Ipse autem noluit, sed desperauit, & se suspendit, Mat. 27. Act. 1. Vt igitur mala nostra volũtas pereat, & Dei fiat, rogamus, vt Deus donet fidem, quę sit efficax in nobis, vt eius voluntas de salute nostra impleatur. Est quoq; hæc petitio summè necessaria: nam si Deus non dederit fidem, dilectionem, timorem &c. nunquã hæc ipsius voluntas complebi- 1.

tur de salute nostra, sed ipse donat & paratus est dare hęc omnia, quæ ad salutem nostram requiruntur. Nam ideò mandat prædicari Euangelium per totum orbem, Marci vltimo, Matt. 24. vbi nobis offert obsequium & beneficium, & vltrò promittit salutem. Hæc non faceret, nisi voluntas ipsius esset, vt omnes salui fieremus. Igitur causa damnationis & peccati voluntas Dei non est, Psal. 5. Neq; volens iniquitatis Deus tu es. Causa itaque damnationis & peccati diabolus, instigans malum, & ipsa voluntas hominis obediens diabolo, qui corrumpit voluntatem hominis, vt illi consentiat, & non diuinæ voluntati. Vtergo voluntas Dei in nobis prævaleat, & efficiatur ac compleatur de nostra salute, orandum est.

2. Voluntas Dei est, quam à nobis vult cõpleri, & illa est, vt seruemus illius præcepta. In his enim nobis expressit, quę à nobis requirat fieri, quæ sibi placeant & quę displiceant. Ideò inquit Mat. 19. Si vis ad vitã ingredi, serua mandata. quoties ergo seruamus illius pcepta, toties eius voluntatem facimus. Ideò Mat. 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, introibit in regnũ cœlorum: sed qui facit volũtatem patris mei qui in cœlis est, id est, seruat illius præcepta. Rom. 12. vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta, Eph. 5. Intelligẽtes quæ sit voluntas Dei, id est, credere & illius seruare præcepta. Sic 1. Thess. 4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, & sciat vnusquisq; vestrum vas suum possidere in sanctificatione &c. Hæc igitur est voluntas Dei, quam nos facere debemus, & sic obedientes esse Deo, sicut angeli sunt & tota cœlestis militia, in nullo resistentes. At inquis: Quis poterit sic implere pręcepta Dei? ego non sum natura angelus, & caro odit legem Dei, Roma. 8. Nemo ergo potest facere hanc Dei voluntatem: Respondeo, viribus humanis nõ est possibile: at Spiritui sancto, qui datur vt

adiuuet

adiuuet nostram infirmitatem, Roma.8. non est impossibile: etsi immunditia carnis maculat opus, ne sic purè fiat, attamē placet Deo hęc obedientia, quòd primò persona per fidem in Christum est iustificata, & sic dicitur 1. Ioan. 1. & 5. Mandata eius grauia non sunt, id est, non sunt vltra possibilitatem naturæ, si adierit Spiritussanctus, sed erunt possibilia, in quantum in hac via nobis possibile erit: Sic parentes Ioānis erant sine querela antè Dominum in obseruatiōe pręceptorum, Luc. 1. at alia erit obedientia & multò perfectior in futura vita, quando moles carnis non remorabitur, ibi erimus sicuti angeli Dei, Matt. 13. & etiā obedientes Deo per omnia sine murmure, sicuti Angeli in cœlo: ita enim de angelis canimus Psalm. 102. Benedicite Domino omnes angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonis illius. & iterum: Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius. Est igitur voluntas Dei quam à nobis fieri exigit obseruantia præceptorum eius, atque nostra sanctificatio, obedientia etiam Euangelij, quòd si aliquid deerit, propter fidem non imputabit, scilicet de perfecta obedientia legis.

Quoniam petimus fieri Dei voluntatem, ideò sequitur, quod nostram propriam voluntatem abnegamus, id quod maximè fieri debet & oportet, si saluari volumus. Hoc enim Christi exemplum docet, quo dicit Ioan. 6. Ego descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me. sic etiam in horto Mat. 26. inquit: fiat voluntas tua: ita Christus voluntatem suam, alioqui rectissimam, voluntati patris subiecit: & nos tunc verè nostram abnegamus voluntatē, quandò in omnibus rebus Dei voluntatem pręferimus, siue in aduersis, siue in prosperis, sanitate vel infirmitate, vita vel morte, dicentes: Fiat voluntas tua. hos Christus beatificat, Matt. 5. dicendo: 3.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Munda autem corda sunt, quæ in omnibus rebus Deum vident, & eius ordinationem & dispositionē agnoscunt. Sic Dauid agnouit Dei voluntatem, quando maledicebatur à Semei, 2. Reg. 16. dicens: Dominus præcepit illi vt maledicat mihi. Sic Christus inquit Petro, volenti gladio ipsum defendere, Matthæi vigesimo sexto. Calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum? Ideò non in hominem inimicum nostrum respicere oportet, sed in Deum, qui hoc permittit, & nos per illum sic humiliat. Felix homo qui semper suam voluntatem offert diuinæ voluntati, nec reclamat aut murmurat per impatientiam. Talis voluntas quæ Dei præfert voluntatem in omnibus, consentit in crucem & tribulationem, semper Deo gratias agit. Deindè precatur ne sua voluntas prauа fiat, vt illam Deus impediat & custodiat à malo proposito, sæpè proponimus malum facere, vindicare & occidere, furari, &c est enim prauum cor hominis: ideò vt Dei fiat voluntas, semper orandum est.

DE PANE NOSTRO quotidiano.

CAPVT XXIX.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit panis noster quotidianus, quem pro nobis & tota Christianitate petimus.*
2. *Quomodò hunc panem comedere debemus quotidie.*
3. *Quarè pro quotidiano, & non annuo aut perpetuò, pane nos Christus orare voluit.*

Quoniam

QVoniam in homine est spiritus & corpus, ideò & duplicem panem notat scriptura, vt reficiatur totus homo. Primò enim panis scilicet verbi Dei, qno reficitur spiritus, Matt. 4. Non in solo pane viuit homo, &c. & Ioan. 6. Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi: & hunc panem vocamus supersubstantialem, quia non temporalem vitam, sed animæ conseruat, consolatur & cõfortat, & de hoc pane verbi Dei inquit Dauid, Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. Hunc quoq; panem comedimus, quandò credimus verbo Dei, & docemur & agnoscimus quid sit Christus, ac tunc agnoscimus Christum, quandò intelligimus hoc quod dicit Apostolus 1. Corinth. 1. Qui scilicet Christus datus nobis est à Deo, vt sit nostra sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio, vt quemadmodũ scriptum est Hierem. 9. Qui gloriatur, in Domino glorietur: tunc intelligis hoc, dum agnoscis quòd tua sapientia aliud nihil est quàm damnabilis stultitia, tua iustitia damnabilis iniustitia, tua sanctitas damnabilis impuritas. Summa, vt te nihil estimes esse nisi peccatorem, & nullam habere aliam consolationem, nisi Christum qui tibi datus est sic, vt illo vtaris, quòd eius iustitia sola te retineat & saluet, ideò quia illam inuocas & cupis, ac in illam confidis: & sic fides est aliud nihil, quàm sic hunc panem comedere, sicuti inquit Ioan. 6. Pater meus dat vobis verum panem de cœlo. Pro hoc pane verbi Dei, vt quotidiè nobis frangatur, rogandus est Deus, vt donet sacerdotes doctos. Lucæ 10. Rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suã. Ideò est magna plaga indoctum sacerdotium, vbi est fames verbi Dei, sicut conqueritur Hieremias Threnorum 4. Paruuli petierunt panem, & non erat qui frãgeret eis: Est igitur panis verbi noster panis, id est, qui credimus: corporalem panem Iudæus & gentilis 1.

Psal. 118.

æquè manducant: hunc verò panem verbi non manducant: ideò est panis filiorum Dei & specialiter nostrûm: ideò ne nobis deficiat, docuit Christus orare pro pane quotidiano, vt quotidiè magis gloria Dei manifesta fiat, & fides augmentetur per prædicationem verbi Dei.

2. Est quoque panis materialis, necessarius ad sustentationem naturæ & corporis: & hunc panem quoq; creauit Deus propter nos, vt nobis seruiat, vt dicit propheta Psalmo 103. Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illis in tempore oportuno &cæt. Matt. 6. Scit pater vester cœlestis, quia his omnibus indigetis. Nominat autem hic Christus panem quotidianum, vbi vult intelligi per nomen panis, omnem necessitatem nostram, quæ ad hãc vitam temporalem pertinet, id est, cibum, potum, vestitum, domum, animalia, pecuniam, agros, vxorem piam, probos filios, & fidelem familiã, & alia quæ ad illa pertinent, vt solem, pluuiam, pacem, &cæt. ne pereant fructus terræ, &cæt. omnia illa rogamus sub nomine panis. Nam Sathan mille modis noceret & damnum inferret frumentis, animalibus, hominibus, nisi impediretur virtute Dei. Ideò petimus hac oratione, vt Deus nos custodiat à malis plagis, &cęt. Tunc autem rectè comedimus hunc panem, quandò his omnibus cum gratiarum actione vtimur, non ad peccata, id est, superfluam comessationem, ebrietatem, &c. Sed moderatè ad necessitatem: Tunc autem cum gratiarum actione comedimus, quando agnoscimus q hunc panẽ nostrum non habemus ex nobisipsis, aut propter nostram sapiẽtiam, astutiam aut diligẽtiam, sed quòd sit donum Dei: ipse enim aperiens manum suam, implet omnia benedictione: nisi ipse posuisset in terra aurum & argentum, in vanum laborarent metallatores: & nisi ipse daret incrementũ terræ, frustrà rigaret & plãtaret homo, 1. Corinthiorum tertio.

Ideo

Ideò nemo alium decipere debet emendo vel vendendo: nam hoc nihil faciet ad prouisionem tuam, sed potiùs incommodabit: & licet Deus aliquandiu tibi permittat fortunam, non tamen diu durabit, sed hoc fit vt postea casu grauiore cadas in damnum, miseriam & paupertatem: quare omni creatura vti debemus cum gratiarum actione, 1. Tim. 4.

Vult Deus vt quotidiè ipsum rogemus pro pane quotidiano, non annuo vel perpetuo: & hoc primò, quoniam Deo placet & illi honor est, si sæpiùs à nobis rogetur: ideò quoque iussit sine intermissione nos orare, Lucæ. 18 & etiam promisit, siquid petierimus in nomine suo, hoc vult donare: Secundò inquit Mat. 6. nihil solliciti sitis de crastino, crastinus enim dies ipsi curæ erit: si ergo non debemus esse solliciti de crastino die, sed simpliciter petere pro pane quotidiano: certum est, quòd cras iterum petere debemus panem, eò quòd etiam cras sicut hodie indigemus, & hoc vult Deus, vt quotidie à nobis honoretur pro patre & enutritore, quæratur & inuocetur: & signanter dicit, ne solliciti simus sicut Ethnici, qui anguntur pro temporalibus, eo quòd ipsi non credunt futuram gloriam & vitam: neque laborem prohibet, omnibus mandatum Genesis. 3. In sudore vultus tui &c. Sed sollicitudinem: nam filius non est sollicitus, sed pater: attamen filius laborare debet: sic scit pater noster in cælis, quòd his omnibus indigemus: & hæc minora sunt quę quærimus sollicitè, quandò iam maiora accepimus: nõnne anima plus est quàm esca, & corpus plus quam vestimentum? Ergo minora illa Deo committere debemus, qui ea non negabit, quãdo iam maiora nobis dedit: & præterea, si volucres pascit, ornat lilia & vestit, quare non magis filios & credentes? Ideò quærite sollicitè prę omnibus alijs, & primum regnũ Dei & iustitiam 2.

iustitiam eius, id est, fidem, timorem, & dilectionem Dei & proximi: nam sic quærentibus promisit Deus regnum æternum, ergò adijciet & terrena. Proue. 10. Non occidet Dominus fame animã iusti: & vult Christus, vt homo fidelis cor suũ extendat in totam Christianitatem, & petat pro tota cõgregatione omnium hominum, vt Deus verbo suo & pane quotidiano nos pascere dignetur: nam vt inquit Chrysostomus, qui pro tota Christianitate petit, pro illo etiã petit tota Christianitas: & quandò oras pro tota Christianitate, etiam pro te oras. Delectatur enim Deus potiùs audire totam congregationem quàm singularẽ Pharisæum. Matth. 18. vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo. Ita qui cum communitate cantat, benè cantat, etiamsi vox mala sit, sed qui solus cantat, non manebit sine iudicio.

DE DIMISSIONE DEBITO-
rum coram Deo & proximo.

CAP. XXX.

ARGVMENTA.

1. *Penes quid certi reddamur, quòd Deus nobis dimiserit debita.*
2. *Cur petamus nobis dimitti debita, iuxta Matthæum, & non peccata.*
3. *Quòd nulla oratio exauditur, nec sacrificium aut opus Deo placet, vbi retinetur inuidia.*

1. CHristus promisit, & verbum ipsius est, Matth. 6. Quandò dimiseritis hominibus peccata eorũ, tunc pater vester cælestis cõdonabit & debita vestra: sin autem, &c. Ecce hæc est promisio, si dimiserimus alijs, & nostra nobis dimittẽtur: si verò minùs,

nùs, nec nostra condonabũtur. docuit ergò nos Chri stus orare, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: non vt nostra dimis sione debitorum proximi, mereamur remissionẽ de bitorum nostrorum. Vnus est Christus, qui pro pec catis nostris mortuus est, & resurrexit propter iusti ficationem nostram, Roman. 4. ille est agnus Dei qui tollit peccata mũdi, Ioan. 1. hic semetipsum pro no bis obtulit, Galat. 1. Sed quòd nobis virtus passionis Christi, quæ tollit omnia peccata, non distribuitur nec efficax sit in nobis, nisi & nos dimiserimus pro ximo debita. Ideò tunc certus es, quandò ex fide & amore Christi propter eius præceptum dimittis offen sam proximo tuo, quòd tibi sint dimissa omnia tua debita: sin autem non dimiseris, nunquàm eris cer tus de tuorum debitorum dimissione, neque tibi pec cata tua remittentur: Nam illam causam quã tu præ tendis, quòd non vis dimittere, habet & Deus erga te & quidem maiorem, vt tibi quoq; non dimittat: nec possibile est, vt homo verè credere possit, quòd Deus ipsi remittat peccata, qui ipsemet non vult remittere proximo: etsi Deus velit remittere debita, attamẽ re uocaret propter duritiam cordis nostri, quòd etiam non volumus cedere & remittere, sicut patet in exem plo Matth. 18. de seruo nequam, cui iam erant sua di missa debita: sed quoniam ipse nolebat commisereri conseruo suo, ideò eius debita redibant, & cogebatur soluere quod priùs erat condonatum: hæc grauissi ma est sententia. Insuper nouit Deus, quàm graue sit homini credere si quandò contra Deum peccauit, q Deus hoc gratis ex misericordia propter Christũ ve lit ei cõdonare, sicut in Cain videmus, qui dixit: Ma ior est iniquitas mea, quàm vt remissionem merea tur, Gen. 4. Ideò appposuit Deus hoc signum, per quod certò agnoscceremus tunc esse delicta nostra remissa, quãdò nos hominibus sua dimiserimus. Nam multò

leuius

leuius est, nos condonare hominibus, qui non tantum in nos peccarunt, sicut nos in Deum, tamen Deus facilior est ad condonandum nobis, quàm nos proximo. Habes itaque in hoc Dei verbum: si tu remittis proximo, & Deus iam magis paratus est tibi remittere. Quilibet homo coram Deo est peccator, & habet hic in terris inimicum etiam peccatorem contra se. Ideò facere debet cum debitore suo, sicut cuperet sibi fieri à Deo.

2. Petimus nobis dimitti debita, & non peccata: quia debitum se magis extendit, quàm peccatum: Dicitur peccatum, quādo iniustè facimus contra Dei præceptum: Debitum autem dicitur, quando bonum facere debemus, & non facimus, quandò nō exoluimus, hoc quod Deo & proximo nostro debemus: vel etiamsi fecerimus, non tamen facimus perfectè vel integrè. Igitur quandò iam peccatum propter fidem est dimissum, & facti sumus filij Dei, accepimus spiritū sanctum, qui iuuat nos certare contra peccata, & confortat ad bona opera, attamen adhuc non facimus perfectè quod facere tenemur, etiamsi non aperte facimus contra eius mandata, quia tamen non facimus quæ tenemur, semper debitores manemus: & hoc debitum nobis dimittitur propter Christum, quando illum aut patrē propter hoc oramus, & quoque proximo nostro indulgemus: semper enim debitores Deo manemus, id est, minùs facimus quàm debemus. Ex hoc apparet, quarè nos nunquàm per opera propria nostra possimus à peccato, morte & inferno liberari & iustificari: nam & bona nostra opera indigent indulgentia, quia non sunt perfecta, ideò oportet nos omnes per passionem & mortem, & resurrectionem Iesu Christi liberari: nam propter ipsius mortem & meritum promisit Christus nos liberatū iri, non autem propter opera & merita nostra Actorum, 10. capite: huic omnes prophetæ testimonium perhibent,

perhibent,&c.& ibidem 15 cap. Gratia domini nostri Iesu Christi credimus nos saluari. Igitur hanc satisfactionem & indulgentias exigit à nobis Deus, Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, 1 Ioan. 2 Sed non erit in nobis efficax, nisi & nos remiserimus.

Vbique testatur scriptura, nec orationem nec opus aliquod nostrum esse efficax coram Deo, nisi dimisso debito Marc. 11. cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquē, vt & pater vester qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra: q; si vos nō dimiseritis & cæt. Sacrificiū Cain, qui inuidebat fratri suo, Deus nō respexit, Gene. 4. Neq; munus altaris vult, fratre irreconciliato, Matt. 5. Rogandus est Deus pro duplici gratia: Primò, vt nobis remittat debita: eo enim omnes indigemus: deindè, vt donet nobis gratiam & adiutoriū suū, vt quoquè proximo nostro possimus indulgere, alioqui nostra natura tarda est & tenax. Exēplo igitur Christi qui in cruce orauit pro crucifixoribus, vt pater illis dimitteret, Lucæ 23. & nos dimittere debemus, sicut Christus docet benefacere & orare pro inimicis, Matthæi. quinto. vt simus filij patris qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & donat pluuiam &c illum patrem cælestem sequi debemus, non terrenū. qui sępè occasionē dat vindictæ & odij &cęt. Et quoniam Christus omnes iubet orare & petere dimissionem peccatorum & omnes sancti hanc orationē vsurparunt, & etiā dimiserunt debita proximis suis: sic & nos facere debemus, neque aliquis sic sefactum existimet, quasi nō habeat delicta: reliquiæ enim peccatorum hærent in carne, etsi spiritus sit sānctus fide, quare & omnes homines sancti orarunt sibi dimitti delicta. Et nos quoque omnes debemus, ne nobis imputet Deus, sed condonet pro sua misericordia, & cæt. 2.

DE

DE TENTATIONE nostra.

CAPVT XXXI.

ARGVMENTA.

1. *Quomodò & quarè Deus nos tentat variis modis.*
2. *Quare Sathan etiam nos tentat.*
3. *Quomodò orandus est Deus, vt nos conseruet, ne succumbamus & obediamus tentationibus.*

1.  Criptura testatur Deum nos ideò tentare, vt nos probet, an eum ex toto corde diligamus. Sic tētauit Abraham Genes. 22. & filios Israel cum mannain deserto, Exod 16. Tripliciter ergò nos tentat Deus, vt probet: primò in fide, permittit enim hæreses fieri, vt probet fidem nostram erga illum, sicut patet in Deuter. 13. Non audies verba prophetæ falsi, quia tentat vos Deus vester, vt palàm fiat, vtrùm diligatis ipsum in toto corde vestro & in tota anima vestra &c. & 1. Cor. 11. inquit Apostolus: Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant. & Mat. 24. Surgent Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna &c. Deindè tentat nos infirmitate corporis, vndè Tobiæ 2. dicitur: Hanc tentationem ideò permisit Deus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & S. Iob. & Iob ipse cap. 23. propter grauissimas passiones, quas in corpore pertulerat, dicebat de seipso: Probauit me Dominus quasi aurum quod per ignem transit. Sic sæpè sancti infirmantur & tentantur, vt illorum patientia nota fiat. Sic Apostolus tentatur 2. Corin 11. Tertiò tentat etiam nos Deus in rebus, sic enim dicit ad Abraham Gene. 11. Egredere de do-

Tripliciter nos tērari.

I.

II.

III.

de domo tua & de cognatione tua, & cap. 22. de filio Isaac tentatur, vt ipsum immolaret. Sic Iob perdit omnem substantiã suã, & inquit: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Cùm ergò nos Deus tentat, hoc facit ad profectum nostrũ & coronam.

Tentat quoque nos Sathan, vt nos decipiat & damnet, & hic nulli parcit, sed tanquã leò circumit, quærens quem deuoret, 1. Pet. 5. nam nec Christo ipsi pepercit. Matth. 4. & parentes nostros in Paradiso tentauit, Gene. 3. Tripliciter quoquè ipse tentat, gula & auaritia, sicut tentauit Adam & Christum: & ideò Apostolus 1. Tim. 6 vocat auaritiam laqueum Diaboli quo multos huius nostri seculi homines trahit & illaqueat: Deindè, superbia & inani gloria: hæc supbia ipsũ è cælo deiecit, & ideò nouit quã displiceat Deo hęc supbia, Nã superbis resistit, humilib⁹ aũt dat gratiam. Iacob. 4. 1. Pet. 5. ideò sæpè homines tentat de superbia & inani gloria, Ezec. 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia & saturitas panis &c. & per inanẽ gloriam turbat pacẽ, excitat lites. Vltimò tentat nos luxuria & voluptate carnali, sicut Dauid conqueritur Psalm. 37. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus. Multos enim ꝑstrauit Sathan hoc vitio luxurię, Gen. 6. in diluuio Sodomam, & alias ciuitates, populum Israel in deserto fornicantem cum filiabus Moab, Nume. 25. Vbi semper vltio Domini magna est subsecuta, sic deiecit Dauid, Salomonem, &cæt. Sic semper tentat nos Sathan, vt perdat ac damnet animam. Tentatur quoque homo in mundo à dextris & sinistris, vt rectè dixerit Iob 7. Militia est vita hominis super terram. A sinistris tentamur ira, inuidia, amarulentia, impatientia, paupertate, & infirmitate, & in omnibus ijs quæ pœnalia sunt homini, vbi homo damnum & pœnã accipit ex tẽtatione, sicut sępè mundus occasionẽ præstat carni nostræ, quæ prona

est & de facili obedit, sicut cõqueritur Apostolus Roma. 7. Non habitat in carne mea bonum, &cæt. A dextris autem impugnat nos Sathan dulcibus, id est, ijs quæ carni placent & sunt amica, vt luxuria, ebrietas, diuitiæ, superbia, inanis gloria, auaritia, & in omnibus ijs quæ dulcia sunt carni, quærit occasionem nos tentandi: Hæc tentatio pessima est, & asscribitur temporibus Antichristi, qui voluptatem omnem concedet suis sectatoribus. Ideò dicit Dauid Psalm. 90 Cadent à latere tuo mille, id est, à sinistris per hæc quæ pœnalia sunt homini: sed à dextris tuis decem millia, per hæc quæ suauia sunt carni, &c. Sic iam totus mundus in maligno positus est, 1. Ioan. 5. Nihil videmus præter studium auaritiæ & inanis gloriæ, cõcupiscentiam oculorum & carnis, superbiam vitæ &c. 1. Ioan. secundo.

3. Et quoniam tam fortis est vbiq; in mundo Sathanæ tentatio, ideò docuit nos Christus clamare ad patrem Matt. 6. Ne nos inducas in tentationem. Inducãt in tentationem, est quãdò Deus permittit, quod tentatio tam fortis fit, vt illã nõ possimus sustinere, sed permittimus nos Sathanã sic decipere & excæcare, vt in corde nihil ponderemus nec respiciamus nisi solam voluptatem, & non cogitamus nec consideramus iram Dei aduersus peccatum, & sic consentimus diabolo ad peccandum. Nam hæc est potissima ratio omnis damni & periculi, quia nemo finem ponderat: quãdò enim finis æstimaretur, quidnã ex opere nostro perpetrato esset euenturum, sæpè ex maiori deliberatione faceremus res nostras: & fit sæpè dum quis incautè credit alteri, vt in damnũ incidat, & hoc quoq; dicitur induci in tentationem. Clamare igitur serio debemus ad Deũ, vt ipse nos conseruet: sic enim conseruauit Ioseph, Susannam, Iudith, à luxuria facienda, in re fidei Tobiam: ille enim nolebat adorare vitulos aureos Ieroboam. Sic Noë & Abraham, sic hi-

die

diè fideles conseruat puros, ne incidant in tentationem sectarũ. Et hoc maximè credere debemus, quòd Deus vult nos conseruare, & nõ permittere vt inducamur in tentationem: alioqui nemo esset tutus à Sathana. Ligauit em ipsi manus Deus, ne tantùm quantùm velit, tentare possit fideles. Sic inquit Apostolus 1. Cor. 10. Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, &c.

DE LIBERATIONE à malo.

CAPVT XXXII.

ARGVMENTA.

1. *Quid significetur per hoc nomen, Malum, à quo liberari volumus.*
2. *Quare in genere petimus liberari à malo, & non in specie, vt ab hoc aut illo malo.*
3. *Quare non petamus custodiri à malo, sed liberari.*

MAlum significat nõ solùm peccata quæ fiunt contra Dei præcepta, vt idololatria, Blasphemia, maledictio, furtum, adulterium, homicidium, vel etiam diffidentiam contra DEI promissa &cæt. Sed hoc verbum, malum, significat etiã omne infortuniũ in corpore & anima, in honore & rebus, quod nobis propter peccatum cõtingit, vt persecutionem, bellum, incendium, infirmitatem, pestilentiam, caritatem annonæ, & omne damnum quod Sathan nobis quotidiè inferre studet: nec enim recenseri possunt omnia mala quæ excitat Sathan his nouissimis temporibus: ideò petimus liberari à malo, hoc est, secundum Chrysostomum, à Diabolo: & rectè vocatur ma- 1.

tur malus, (der böse.) quia malorum omnium nobis caput & causa est: petimus igitur liberari ab illo malo, id est, principe mundi Diabolo, & ab omnibus corporalibus & spiritualibus malis, quibus ille malus id est, Diabolus electos Dei afficere solet. Nam Diabolus nostri generis humani iuratus hostis est: in hoc totus incumbens, vt nos seducat, excæcet & damnet in æternum. Sed non potest superare signatos sancto spiritu ad iustitiam & sanctificationē per fidem Christi, sed omnes eius vires pedibus fidelium calcantur in eo qui dicit: Princeps huius mundi non habet in me quicquam, Ioan. 16.

2. Petimus in genere liberari à malo, & non in specie vt ab infirmitate, fame, bello, &c. cuius ratio est, quia nos non sufficienter agnoscimus, quid nobis prosit aut quid noceat: nā si quis putat infirmitatē magnū esse sibi damnum, si autem sanus esset, fortè grauius peccare posset, vt per hoc etiam damnaretur, vel aliquid aliud præsumeret, propter quod mereretur mortem: si autē infirmatur, manet in vita & etiam saluari potest. Sic etiam quis putat diuitias sibi plurimum esse proficuas: & ideò nihil discit, ociatur, & discordias excitat, aliquando etiam occiditur: aut nihil facit, quàm quod edit, bibit, & ludit, vnde in varias incidit infirmitates, & moritur: q̄ si pauper fuisset, & aliquid didicisset & laborasset, meliùs & salubriùs vitā trāsigeret, Sic sępè quis putat male sibi fieri, si habuerit aduersitates & persecutiones, aut quandò impeditur à suo proposito, & nescit nec intelligit quod magis pernicies sua fuisset, si ea mala non habuisset. Ideò nos nescimus, quid nobis bonum vel malum sit in veritate: & propterea à nos hoc committimus Deo, & in genere petimus, vt ille dignetur nos liberare à malo, quod ipse scit nobis malū esse, nouit enim meliùs quā nos: Quare inquit Petrus. 1. Pet. 4. Instemus oratiōi, & cōmēdemus fideli creatori animas nostras

&c.

&cæt. Ideò, quando breue verbum hoc dicimus, Libera nos à malo, Deus scit nos liberare, vbi opus est, Vult quoque DEVS, vt hanc orationem ad ipsum dirigamus, vt in omni malo quod nobis obuiat, apud eum quæramus opem, & non apud alium hominem: nam dicitur per prophetam Ieremiæ, decimoseptimo. Maledictus qui confidit in homine, Ideo soli Deo confidere debemus: nam licet homines nos protegãt aut iuuẽt, non homines hoc, sed Deus per illos facit tanquã per instrumentum: si autẽ id facere Deus noluerit, nec homines poterunt facere. Si infirmamur, & Deus noluerit nos sanos, nec medicus opitulabitur: quando autem vult nos sanari, tunc faciet per medicinam, quam ad hoc quasi instrumentum creauit & ordinauit: multò minus proderunt refugia ad incantatrices & spurcitias dæmonum, &cæt. Sic dicit propheta, Clamabitis ad me, & ego exaudiam vos, &cætera. Quare plurimum Deo displicet, quoties per alia media auxilium quærimus, quam per ipsum: nam ibi debitus cultus & honor ei subtrahitur quem exigit à nobis, & tribuitur creaturæ vel Diabolo, id quod grauissimum est peccatum.

3. Petimus liberari. & non custodiri, à malo: non dicimus, Custodi nos à malo, sed libera nos: Nam certum est, & nos iam fatemur, quod in malum iam incidemus; si dixerimus quod peccata non habemus nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est, 1. Ioann 1. Rom. 3. Omnes peccauerũt, & egent gloria Dei adhuc fomes peccati latet in carne nostra, sicut calor in calce, & natura nostra oppressa est peccato & priuata originali iustitia, ex qua radice supullulãt varia externa vitia, superbia, auaritia, furtum, mẽdacium, mala conscientia, inuidia, hæresis: hos motus carnis excitat in nobis Sathan, vt ei obediam⁹ & dãnemur, Ne igitur penitus succũbamus & opprimamur & obediamus concupiscentijs carnis, sicut Apostolus

admonet, Rom. 6. rogamus liberari à malo, vt tãdem veniat vbi plenè ſumus liberati, ſcilicet in cœlo. Et quoniam noſtra voluntate peccato Adę in quo omnes peccauimus, Romanorum 6. incidimus in mala, quæ ſequuntur peccatum: ideò ad punitionem porta e oportet ad tempus mala, quatenùs corrigamur. Ideò non petimus vt ſtatim Deus extinguere velit & tollere omnia mala, ſed liberare poſtquàm multa mala perpeſſi fuerimus, vt nos ex illis eruat ne finaliter pereamus, ſicut etiam dicit propheta Pſal. 33. Multæ tribulationes iuſtorum, & de his omnibus liberauit eos Dominus: Dominus cuſtodiat omnia oſſa eorũ, & vnum ex his non conteretur. ideò etiã Deus ad punitionẽ peccati permittit mala & crucem ſuper collũ noſtrum, vt reliquię peccatorum in carne, & propria noſtra voluntas mortificetur, donec tandèm penitus liberamur ab omni peccato, & malo, qđ fiet in morte & reſurrectione: ideò quandò petimus liberari à malo, etiam petimus felicem finem, & hunc etiã petere debemus, vt Deus concedat, & nos ab omni malo liberet. Debemus ergò eſſe prudentes & patientes, Matt. 10. Eſtote prudentes, & 1. Petr. 4. Eſtote prudentes, & vigilate in orationibus: prudentes autẽ in hoc ne peccatum quod adhuc nobis inhæret, ſequamur etiam & obediamus, Romanor. 6. patientes in hoc, vt crucem & omnia mala quæ Deus nobis imponit, voluntariè portemus: & Deum ſeriò inuocemus, vt nõ permittat nos perire in malo. Amen. quod ſignificat, hoc certò fiat, ſed hoc non ſolùm ore dicere oportet, ſcilicet amen, id eſt, fiat, ſed etiam corde certiſſimè credere, quòd Deus ſic nobis faciet propter Chriſtũ filium ſuum, qui ſic docuit orare: ſicut certa & vera ſunt omnia, quæ Chriſtus locutus eſt, ita hoc certiſſimè credere debemus, quòd hæc omnia ꝓpter Chriſtum exaudiãtur: Nam ſicut credimus, ita fiet nobis, Mat. 9. fiat vobis ſecundùm fidem veſtram.

Credo

CREDO IN VNVM Deum.

CAPVT XXXIII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit Deus.*
2. *Quid sit credere in vnum Deum.*
3. *Quomodò omnes damnantur, qui non credũt in Deum.*

CHristus Ioan. 4. inquit: Deus spiritus est, id est, nõ est caro aut aliquid corporale, vt lapis, lignum vel creatura, sed est spiritualis substantia vel natura, to- 1.
ta perfecta, bona, potens, & est ipsa bonitas, iustitia, misericordia, &cæt. Non enim est aliud bonitas, sapientia, misericordia ab ipsa essentia & natura Dei, sed reipsa sunt illa substantia spiritualis, quæ Deus est: in Deum nullum cadit accidens: igitur ipsa bonitas, summa misericordia, iustitia, potentia, &cæt. sunt Deus. Non sunt in Deo actus culpabiles, scilicet mentiri & malè velle, sed ipse est summa veritas: nec sunt in eo actus pœnales, vt dolere, metuere, quia omnipotens: nec actus corporales sunt in eo, vt dormire, ambulare, comedere & bibere, &cæt. nec actus vitiosi, vt superbia, ira, inuidia &c. quia ipse est summũ bonum: dicitur aliquandò Deus irasci dum punit peccata, sed hoc metaphoricè dicitur. Est igitur Deus summum bonum, omnia sciens, omnia potens, nullum habens consortem in nomine & virtute in creaturis. Naturam DEI velle inuestigare, est nobis impossibile, nec commissum vt faciamus: dicit enim Eccle. 3. Altiora te ne quæsieris: Viæ Dei, inquit Apostolus Roman. 11. sunt inuestigabiles. Non igitur Deum cognoscere debemus secũdùm naturã,

sed in rebus: hoc enim docet Apostolus Romanorum primo. Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, id est, potentia Dei agnoscitur, qua omnia creauit: sapientia, qua omnia ordine vario gubernat: benignitas Dei, qua omnia conseruat: non enim recedit à creatura, sicut architectus à domo: sed omnia portat & conseruat sua virtute. Igitur ex varijs & quidē pulcherrimis creaturis agnoscimus creatorem, Actorum 17. In ipso viuimus, mouemur, & sumus. Nisi peccatum obfuscasset nostrum intellectum, multò clariùs videremus in creaturis vestigium Dei.

2. Credere in vnum Deum, est primò firmiter tenere & credere, quòd sit vnus Deus, qui te creauit corpore & anima, & omnia quæ habes, dedit, ad Hebr. 11. Accedentem ad Deum oportet credere quia est, id est quòd sit vnus Deus & Dominus super omnes creaturas: Insuper oportet credere, quòd sit remunerator inquirentibus se. Igitur credere in vnum Deum, est aliud nihil, nisi totam fiduciam & spem ponere in Deum, tanquàm in suum creatorem, à quo habet animam & corpus & animam, tanquàm in suum nutritorem, defensorem, & saluatorem: hæc enim à solo Deo credit & sperat sibi euētura esse: nisi enim Deus enutriat, defendat, saluet, in vanum erit omne studium hominis. Psalm. 126. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, &c. Sic Apostolus Roman. 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis nocebit, si Deus defendat? quis fame aut gladio peribit, si Deus saluat & custodit? Ideò inquit Petrus, 1. Petr. 5. Omnem sollicitudinē iacite in Deum, ipsi enim est cura de vobis: sub potenti vos humiliamini sub potenti manu Dei. Est quoque credere in Deum, credere verbo eius, & obedire mandatis eius: Malach. 1. Si Dominus ego sum, vbi est timor meus? Si pater, vbi honor meus, dicit Dominus exercituum? & Lucæ sexto inquit Christus: Quid vocatis

vocatis me, Domine Domine,& non facitis quę dico vobis?Credere igitur verbo Dei, est credere in Deum: est quoque obedire mandatis eius, ne dicatur de nobis quod Apostolus ait ad Tit. 1. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant:credere ergo in Deum,est omnem spem & fiduciam in illum locare, tanquam in summum bonum & omnipotentem Dominum,cui nihil resistere potest,qui omnia habet in sua manu, quique diues est in omnes, illum inuocantes, qui solus labores & dolores cōsiderat Psal. 9. cui etiam omnia nuda & aperta sunt: summa,nihil deesse poterit qui Deum habuerit pro Deo suo, ipsumq; vt Deum glorificauerit, Roman. 1.

Sunt aliqui qui negant esse Deum aliquem,& omnia fieri ex incerto, sicut fuerunt olim Protagoras, Epicurus,Anaxagoras,qui dixerunt nullum esse Deum,nec curare mortalia:&illi recto vocabulo Athei, id est, sine Deo, prę cęteris Philosophis vocabantur, & de illis dicit Dauid Psal. 13. Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus: & omnes illi damnati sunt, & damnantur adhuc omnes, qui sic viuunt,quasi nō sit Deus,non illum timent,nec laudant,nec agnoscunt. Ideò nos dicimus,Credo in vnum Deum,id est,quòd talis sit,omnia gubernans.Sunt quoq; qui plures credunt Deos, sicuti Pagani, qui varia idola & plures Deos colunt,de quibus dicit Dauid Psal.113.Simulacra gentium argentū & aurum, opera manuum hominum.& iterum: Dij gentium dæmonia:& ideò prę cipit Deus Exod.20. Non habebis Deos alienos corā me. Igitur & illi sunt damnati, verum Deum non agnoscentes:quare inquit Christus Ioan.17. Hęc est vita æterna,vt cognoscant te solū Deum verum,& quē misisti Iesum Christum. Nos igitur credimus & confitemur vnum Deū,sicut scriptura docet Deut.6. Audi Israël, Deus tuus vnus est, vnus scilicet verus Deus: Et licet sint tres personę, est tamen vna natura & 3.

essentia, Matt. vlt. Christus expressit tres personas & vnitatem naturę, inquiens: Baptizate eos in nomine (non in nominibus, sed in nomine) Patris & Filij & Spiritussancti. Est igitur hæc fides Catholica, vt vnũ Deum in Trinitate personarum, & Trinitatem personarum in vnitate naturæ veneremur, vt inquit D. Athanasius in suo Symbolo, Quicunq; vult saluus esse, &c. Inexpiabile igitur scelus est, non credere, aut spem suam non ponere in summè sapientem, summè bonum, & summè potentem Deum.

PATREM OMNIPOTENTEM, creatorem cœli & terræ.

CAPVT XXXIIII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit credere in Deum patrem.*
2. *Quid Deus pater filijs suis, id est, credentibus vult dare in præsenti & in futura vita.*
3. *Quàm sit res gloriosa, esse & dici filium Dei, & habere Deum pro patre.*

1. CREdere in Deum patrem, est credere, Deus qui est omnipotens, qui est creator cœli & terrę ac omnium creaturarum, sit pater tuus, & multo maiorem curam de te habeat, quã carnalis pater, sicut dicit per prophetam Esai. 49. Nunquid potest obliuisci mater pueri sui? & si ipsa obliuiscitur, ego tamen non &c. & 1. Petr. vltim. Ipsi enim est cura de vobis. Est quoque certa fiducia, credere & tenere, quòd Deus pater noster est omnipotens, ne quis de potentia Dei patris in iuuando dubitet. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos &c. Rom. 8. neq; creatura, neque mors, neque diabolus: Si Deus iustificat, quis

quis est qui condemnet? Est quoq; credere, quòd Deus pater noster, est creator cœli & terrę & omnium rerum, quæ ad nostrum vsum creauit, quo nos sustentare velit, & semper de manu sua reficere. Matth. 6. Scit pater vester quia his omnibus indigetis. Deus depauperari non potest. Sed diues est in omnes qui inuocant nomen eius, Romanor. 10. Credere quoque in Deum patrem, est firmissimè tenere & nullo pacto dubitare, quòd Deus qui propter filium suum nobis factus est pater, etiam propter eundem Christum nos recipiat in gratiam, & ex misericordia nobis exhibeat & offerat filium suum cum omnibus bonis filij, Romanor. 8. tanquam certissimum pignus salutis æternæ. Qui ergo sic credit verbo Dei patris nostri, hic rectè cognoscit ac veneratur Deum patrē: quare grauissimum peccatum est, tam pium Deū patrem non agnoscere: est enim patris nomen amabile: si gaudet filius quòd principem habet patrem, quanto plùs gaudeat Christianus, quoniam Deum habet patrem?

Non sine causa Deus vult à nobis nominari pater & esse, 2. Cori. 12. inquit Apostolus: Non debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs. Quoniā ergo Deus est noster pater, & nos filij eius, igitur dare vult nobis in præsenti vitæ, necessaria, & in futuro, gloriam æternam. Ad filios enim spectat hęreditas ac diuitiæ parentum. Si ergo nos filij Dei, ergo & hæredes, Rom. 8. hæredes Dei & cohæredes Christi. sic Esa. 64. & 1. Corinth. 2. scriptum est, quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. & Rom. 8. Non sunt cōdignę passiones huius temporis ad futurā gloriam quę reuelabitur in nobis. Habet enim Deus pater noster triplicia opera, quæ in nobis exercet donec saluamur, & ad vitam perueniamus: primò Deus pater creauit nos, corpus & animā dedit & vitæ 2.

& vitæ neceſſaria: omnes quoq; creaturas nobis ſub. iecit: deindè, quia Adam peccauit, & nos omnes in peccatis naſcimur, ideò nos Deus filius iterum à peccato redemit & liberauit Roman. 4. mortuus eſt pro peccatis noſtris, & hoc ſua morte impetrauit nobis quòd noſtra nobis dimittuntur peccata, quoties voluerimus & petierimus, Matt. 18. Poſtremò, quoniam peccata nobis per fidem ſunt remiſſa, datur nobis etiam DEVS Spirituſſanctus, qui nos ſanctificat, & iuſtos ac bonos facit atque templum Dei. Hęc omnia nobis contingunt, quia Deus eſt pater noſter, & nos filij eius: Ideò dicere, credo in Deum patrem, idem eſt quod, credo in Deum patrem qui me creauit, credo in Deum filium qui me redemit, credo in Deum Spiritumſanctum qui me purificat & ſanctificat: aut, credo in Deum qui eſt Pater, & Filius, & Spirituſſanctus. Et quoniam Deus nobis pater eſt, ideò omnem ſpem & fiduciam in illum locare debemus: nemo enim tam infirmus eſt, quin poterit ſanari, quia Deus omnipotens: nemo tam pauper, quin illi poſſit ditare: nemo tam ſimplex, quin poterit eum ſacere ſapientem: nemo tàm deſpectus, quin poſſit eum exaltare: nemo tam ſordidus, quin poſſit eum iuſtificare: nemo tàm infidelis, quin poſſit eum facere fidelem: ideò illi ſoli fidere debemus, quoniam omnia ſunt in ſua poteſtate & manu. Inſuper quia omnia creauit ad noſtrum ſeruitium, Solem, Lunam, elementa, herbas, fructus & animalia, & hæc antequam nos crearet, vt indicaret quantam pro nobis curam ageret, vt antè noſtram natiuitatem omnia noſtra neceſſaria eſſent creata: ideò illi fidere toto pectore debemus: Nam ſi creauit cœlum & terram, ergo eſt Dominus illorum, & omnia oportet fiant in cœlo & in terra, ſicut ipſe vult: & quia ꝓpter nos hæc omnia creauit, ideò & ſic contingit: quare iubet nos non eſſe ſolicitos, quid manducemus, aut quę operemur, Mat. 6

ſed ſo-

sed solum primùm quęrere regnum Dei & iustitiam eius,&c.

Magna gloria nobis est, quòd sumus & dicimur fi 3.
lij Dei: Homines plurimùm mirantur & extollunt fi lium principis, diuitis, aut regis potentis: maior gloria hæc est, quoniam filij Dei sumus: ideò inquit 1. Io an.3. Videte qualem charitatem ostendit nobis pater noster Deus, vt filij Dei nominemur & simus, propte rea mundus non nouit nos, quia non nouit eum: Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum appa- ruit quod erimus &c. 1.Ioan.3. Sic Ioan.1. dedit pote- statem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine e- ius. Ad illam igitur magnam gloriam promouet nos Fides, vt nominemur & simus filij Dei. Igitur si Chri stiani apud mundum sunt despecti atq; spectaculum, 1.Corint. 4. sunt tamen filij Dei, & primę Tim. 4. In hoc enim laboramus & maledicimur, quia speramus in vnum Deum, qui est seruator omnium hominum, maximè fidelium. Et quoniam filij Dei propter fidē Christi facti sumus, ideò maximè cauere debemus peccata, ne transgrediamur præcepta patris: plurimū enim grauat peccatum, si quis in Deum peccauerit, sicut docuit Heli filios suos, 1. Reg. 2. Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: Si autem in Deum peccauerit vir, quis pro eo orabit? Pudeat ergo male- dicus, adulter, vsurarius, fornicator, ebriosus &c. qui ita pessimè viuunt, quandò dici volunt filij Dei.

ET IN IESVM CHRISTVM filium eius vnicum, Dominum nostrum.

CAPVT XXXV.

ARGVMENTA.

1. *Quòd*

1. *Quòd credere debemus, quòd Christus sit filius Deus verus, vnicus & naturalis.*
2. *Quòd Christus sit Dominus noster.*
3. *Quarè vocatur Iesus Christus filius Dei.*

1. OMnes credere tenentur Iesum Christum esse verum filium Dei, sic enim ait Ioan. 1. In principio (scilicet, quandò Deus creauit creaturas, iam) erat verbum & hoc erat ab æterno apud Deũ & Deus erat verbũ: omnia quoq; p hoc verbum creata sunt. Sic Ioan. 10. ipse Christus dicit, Ego & pater vnum sumus, in natura scilicet, & Ioan. 14. Philippe, qui videt me, videt & patrem meũ: & iterum, si credideritis in Deũ, & in me credite: ergo & Deus, & 1. Ioã. 5. Hic est verus Deus & vita æterna, & ad Hebræ. 1. vocat Apostolus filium splendorem patris & figuram substantiæ eius. Totum Euangelium D. Ioannis & vbique scriptura probat, Christum esse filium Dei & verum Deum: ideò hoc credentibus promittitur vita æterna: Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verũ Deum, & quẽ misisti Iesum Christum. Damnati ergo sunt omnes Iudæi, qui negant Christum dicere se filium Dei, & etiam dicunt illum esse peccatorem, Ioan. 9. & Samaritanum, Ioan. 8. ideò dicit illis Christus: si non creditis, quòd ego sum verus Deus, in peccatis vestris moriemini, Ioan. 8. Sic Photinus hæreticus, dicebat Christũ esse sic filium Dei, quẽadmodum sunt omnes sancti viri & homines, qui benè viuendo per adoptionem efficiuntur filij Dei, sicut dicitur Matth. 12. qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater &c. At scriptura dicit, quoniam natus est nobis saluator Christus vnicus DEI filius, plures sunt filij adoptiui, & vnus naturalis & consubstantialis: & ideò dicitur vnus, quia solus

Lucæ 2.

solus ipse est naturalis filius Dei: Nos quidem per fidem efficimur filij Dei, Ioan. 1. scilicet adoptiui. At Christus est natura filius Dei, inquit Augustinus. sic quoque damnantur Arriani negantes Christi diuinitatem: Primus igitur Articulus fidei de Christo, est, ipsum credere esse verum & vnicum naturalem & cō substantialem filium Dei: & qui de hoc dubitat, damnabitur.

Dicitur Christus & est Dominus noster, quia nos ac quisiuit precioso suo sanguine: eramus enim propter peccatū sub Dominio Sathanæ, qui dicitur princeps huius mundi, & regnum habet tenebrarum: at Christus sua morte vicit Sathanam, & spolium eius diripuit, Lucę 11. & sic eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus remissionem peccatorum & redemptionem: non igitur sumus nostri iuris: nam magno precio empti sumus, 1. Corint. 6. & Dominus est nobis factus Christus, qui dedit semetipsum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, ad Tit. secundo cap. Sic enim scriptura dicit: Christus mortuus est & reuixit, vt & viuentibus & mortuis dominaretur, Roma. 14. Et Psalm. 8. Gloria & honore coronâsti eum, & constituisti &c. Sic quoque sanctus Thomas Ioan. 20. inquit: Dominus meus & DEVS meus, vtranque naturam confessus: Dominus, quia redemptor à Dominio Sathanę: Deus autem, quia creator. Igitur sub illo Domino nostro Iesu Christo militamus & viuimus, & Diabolo ac pompis eius in Baptismo valediximus. Habet enim Christus regnum fidei, in quo vt Dominus præsidet super fideles, & illis distribuit dona ac protegit, donec omnis principatus euacuabitur & patri reddetur, 1 Corin. 15. Propter illum Dominum nostrum Iesum Christum pater nos iustificat, & miseretur, & pec-

2. Colos. 1.

& peccata condonat, Actorum 10. Preces exaudit, Ioan. 16. & vitam donat æternam, Ioan. 3. Igitur quic. quid petierimus, hoc in nomine Domini nostri Iesu Christi petamus. Magna igitur consolatio turbatę cō scientiæ est, scire & agnoscere Christum Dominum nostrum & adeò potentem, quòd vicerit peccatum, Sathanam & mortem: adeò fortem, quòd de omni periculo nos saluare poterit: adeò gratum patri, quòd omnes sibi subiectos & fideles in æternum seruare vult: Est igitur Dominus nomen potentię ac regiminis, vt sese consolētur fideles. Sic dicebat Dauid Psal. 26. Dominus illuminatio mea & salus mea: à quo trepidabo? Dominus protectio vitæ meę, &c. Et Psal. 22. Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es Deus. Et quoniā Christus nos è regno Sathanę liberauit, & in regni suum posuit, ideò est Dominus noster.

3. Cōmunissima nomina quæ habet filius Dei, sunt Iesus Christus, & hoc propter duo officia & opera, quæ fecit & adhuc quotidie facit pro nobis: primò intercedens pro nobis apud Patrem orat, & officium sacerdotis facit, ideò Christus vnctus dicitur: deindè quotidiè propter nomen suum, quia credimus in illum, ideò saluamur, & ob id Iesus, id est, Saluator, dicitur. Et primò tametsi Christus semel sacerdotale officium exercuit in cruce, semel se pro peccatis nostris offerens patri hostiam immaculatam, Hebræ. 5. & 7. quo vnico sacrificio nos reconciliauit patri, sacerdos tamen dicitur in æternū Psal. 109. quia quotidie apparet vultui Dei pro nobis, Hebræ. 9. & ideò in cœlum ascendit, vt pro nobis oret, scilicet vt distribuatur nobis virtus istius sacrificij, vt pater propter ipsum nostrî misereatur, & condonet peccata, nos iustificet & purget à peccato. Et ideò dicitur Christus, quia noster vnicus mediator est, 1. Tim. 2. & sacerdos, quia pro nobis patrē exorat: & nisi illiū

sacerdo-

sacerdotem, hoc est, exoratorem, vnctum Christum haberemus apud patrem, quis posset subsistere à tyrā nide Diaboli, peccato, &c? Quoties igitur nominamus eum Christum, hoc credimus, speramus & cupimus, vt patrem nobis reconciliet, vt propter illum nobis pater faueat ac misereatur, ne quotidiana nostra peccata nos priuent salute: ideò propter hoc officium sacerdotis apud patrē dicitur Christus, id est, vnctus: sacerdotes enim & Reges vngebantur quondā: sic Christus à Deo vnctus, nobis est perpetuus sacerdos. Sic etiam dicitur Iesus, quod idem est quod Saluator: ita angelus dixit rationem nominis, Mat. 1 inquiens: Vocabis nomen eius Iesus, quia ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum: nullus enim alius est saluator generis humani, nisi Iesus, sicut Petrus Apostolus inquit Actorum 4. Non est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri, nisi in nomine Iesu, &c. Et quanuis semel passus sit mortem, qua nos omnes redemit, quotidie tamen adhuc distribuitur efficacia illius credentibus, Ioan 3. vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitā æternam. Quotquot ergo saluantur, virtute illius mortis Christi, qua salutem meruit nobis omnibus, saluantur: ideò dicitur Iesus, id est, Saluator, vt quoties hoc nomen dico vel audio, vt salutē cupiam propter illum Iesum. sic quoties audio Christum, toties cupiam eius preces ad patrem pro iustificatione mea & remissione à peccatis: & ita quotidie orat & saluat: & ideò dicitur Iesus Christus: sunt quoque alia nomina filij Dei, quæ videas Esa 9. vbi dicitur princeps pacis, pater futuri seculi &c.

QVI CONCEPTVS EST DE Spiritusancto, natus ex Maria virgine.

CAPVT XXXVI.

ARGVMENTA.

1. *Quòd Christus non de homine, sed de Spiritu sancto sit conceptus & formatus in vtero virginis de sanguine & carne illius.*
2. *Quare Christus sic de Spiritusancto concipi & de virgine nasci voluerit.*
3. *Quòd beata virgo sit perpetua virgo, & mater sit in partu, & post partum.*

3. HOC sine hæsitatione credere oportet quòd beata virgo non de homine, sed de Spiritu S. prægnãs facta est. Sic enim docet angelus virginẽ ipsam, cũ quæreret, quomodo cõciperet sine viro, Luc. 1. Spiritussanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: & quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. Sic etiam dicit Esa. 7. Ecce virgo concipiet, & pariet filium &c, non dicit, concipiet viro. Igitur qui primum hominem creare potuit sine matre, hæc virtus & potestas Dei altissimi potuit efficere ex purissimis guttulis sanguinis Mariæ conceptionem Christi, eò quòd dixit illi angelus, quia apud Deũ non est impossibile omne verbũ: & q̃ Deus supra naturã probat exemplo sterilis Elizabethę, quæ iam grauida est. Ideò omnes Iudęi sunt condemnati, dicentes Christũ de semine Ioseph esse natum. Sic quoque illi dicit angelus Matthæi 1. Quod enim in ea natum est, de Spiritusancto est, ideò hoc firmiter credendum, quòd non ab homine sit conceptus IESUS Christus, sed quòd Spiritussanctus operatus est illam conceptionem in vtero virginis Marię.

2. Quòd de Spiritusancto concipi & de Maria virgine nasci voluerit, hęc ratio fuit: ad conterendũ eam serpen-

serpentis, id est, ad abolendū peccatum, & destruendā mortem: Si enim Christus conceptus esset de virili semine, tunc natiuitas eius esset carnalis & polluta peccato originali, sicut nostra iustitia est: Nos omnes filij Adam ex virili semine concipimur, & ex mulieribus nascimur, ideò cogimur dicere cū Dauide Psal. 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Et Ro. 5. In quo omnes peccauimus, scilicet in Adam. Eph. 2 Eramus natura filij iræ &c. Si ergo Christus ita fuisset filius iræ & peccator, non potuisset esse redēptor noster: Quomodò enim peccator peccatores mundaret, & maledictus alios à maledicto liberaret? Ad redemptionem igitur generis humani necessaria fuit talis conceptio de Spiritu sancto, & non ab homine, vt immaculata eius conceptio & natiuitas, impurā omnium aliorū hominū conceptionē (iuxta illud, Ecce in iniquitatibus conceptus sum) mundare posset: hæc verò munda esse nō potuit, nisi esset à Spiritu S. quòd omne semen aliàs foret corruptū. Ideò etiam virgo sine omni peccato, etiā ab originali, fuit p̄seruata, electa, & ordinata ex prosapia Abrahę, Isaac & Iacob, & Dauid ad hoc opus, vt sic pura virgo à Spiritu S. conciperet illum. Sic etiam Deus promisit patribus, Abrahæ Genes. 22. mirabile semen, dicens: In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ: Semen autem hoc est Christus, sicut exponit Paul. Gal. 3. Benedictio illa, est iustitia, vita & salus æterna. Omnes homines in Adā peccauerunt, & omnes sunt maledicti, rei mortis æternę damnationis. Sed Deus sic instauratorē dedit hominib. id est, Christū, vt sicut in Adā omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificarētur, 1. Cor. 15 Sic nobis scriptura describit duos admirabiles homines: primū, Adam peccatorē, Gen. 3. ex quo habemus peccatū, mortem & damnationē: secundum Adam, Christum iustum & iustificatorem, ex quo habemus

Psal. 50.

1. Cor. 15.

iustitiam, vitam & salutem æternam. Oportebat ergo hominem esse planè benedictum, id est, innocentem, iustū & omninò incontaminatum & liberum à iugo Sathanę, qui debebat tollere nostram maledictionē, id est, peccatum & mortē, qui debebat benedicere nos, id est, donare Spiritū Sanctū iustitiam & veram vitā. Et talis est Christus Deus noster. Igitur ait Ioan. Venit princeps mundi huius, sed in me nō habet quicquā: hoc est, nullū ei ius est in me, quia nō sum peccator, Ioan. 8. vbi peccatum est, ibi mors regnat & Diabolus, qui habet mortis imperiū, & tyrannidem circa: at vbi nullum est peccatū, ibi nec Sathan habet vllam iurisdictionē aut potestatem. Ideo volebat Christus concipi de Spiritusancto, & nasci de Maria virgine &c. Et hoc firmiter credere debemus.

3. Tertiò, quòd beata virgo perpetua virgo sit, hoc primò sic probatur. Gen. 3 Scriptura dicit Christum semen mulieris & filium naturalē mulieris, non nominat ipsum filiū viri, sed solū facit mentionem hominę. Mulier hîc non dicitur, quę virū cognouit, sed ratione sexus, & quia sine adiutorio viri Maria concipit & parit, ideò est vera mater & vera virgo. Sicut iam Paulus dicit Gal. 4. factū ex muliere: cęteri homines nascūtur de viro seu ex volūtate viri vt Ioā. 1. nō & de muliere, sed scriptura dicit Christū solum filium mulieris, id est, Marię: ex quo sequitur, q beata Maria est vera virgo in partu & post partū, sicut & antè partum. Deinde Christus promittitur Abrahę, quòd is deberet esse de semine suo, Genes. 22. & in illo semine deberent benedici omnes gentes terrę. Sed Maria venit corporaliter de Abrahā & Dauid. Christus nascitur solus de Maria corporaliter, quę Maria est de semine Abrahę, de quo Christus nascitur, qui est filius Abrahę, Mat. 1 Rom. 1. filius Dauid secundùm carnē, id est, secundùm semē quòd est Maria: Ex quo sequitur, beatam Mariam puram esse virginem, quia [illegible]

virili ad[illegible]

virili adiutorio & semine concipit & parit, & Christus solus fructus est mulieris, & non viri: ideò & beata Elizabeth Luc. 1. dicit, benedictus fructus ventris tui. Igitur omnes Anabaptistæ damnantur, qui negant Christum natũ & fructũ esse virginis. Postremò hoc maximè probat Spiritussanctus per os prophetę Esa. 7. qui dicit, Dabit vobis Deus signum, Ecce virgo concipiet & pariet filiũ: hîc notanter dicit de singula ri signo, quod erit quando nascetur Christus, nempè quod virgo concipiet, pariet, & tamẽ manebit virgo: igitur hoc firmiter credere debemus, & dare fidẽ Euãgelistis Lucę & Matthęo, qui eam nominant expressè virginem. Sic enim Lucas ait: Missus est angelus Gabriel ad Mariã virginẽ, & Matthęus allegat Esaiã propheram, Ecce virgo concipiet, &c. Quòd Euangelista Matth. dicit, quod Ioseph eam non cognouit, donec filium suum primogenitũ peperisset: non sic accipiendum est, quòd post partum Christi illam cognouerit, sed est modus dicendi scripturę, sicut Genes. 8, Coruus non est reuersus donec terra exiccaretur, qui coruus nunquam tamen fuit reuersus. Sic etiam accipitur in Psalm 109. donec ponam inimicos tuos &c. non sic est intelligendum, quòd post nouissimum diẽ Christus non sedeat à dextris patris, id est, potestate Dei, sed quòd perpetuò erit Deus & Dominus, &c.

Lucæ 1. Matth. 1. Esa. 7.

NATVS EX MARIA virgine.

CAPVT XXXVII.

ARGVMENTA.

1. *Quòd Maria sit vera & naturalis mater Christi, verum sanguinem & carnem ministrãs.*
2. *Quomodo singulariter illi dicatur, Dominus tecũ, gratia plena, benedicta inter mulieres.*

3. *Quòd Angelica ſalutatio eſt memoria & tiarum actio incarnationis Chriſti, & frequentanda.*

1.  rimò, q Maria ſit vera mater & turalis, carnē & ſanguinem Chri adminiſtrās, teſtatur ꝓpheta Eſa 9. Paruulus nobis natus eſt, & datus eſt nobis. Natus eſt nobis C ſtus ex Maria virgine ſecundū hu nitatē, ſed datus à Deo patre ſecundum diuinitat non dicitur in ſcriptura, Maria dedit nobis filiū peperit. Ecce virgo concipiet &c. Si nihil de corp virginis habuiſſet Chriſtus, nō diceretur Chriſtus nitus, nec virgo genitrix. Pater ergo dedit filiū ſe dum diuinitatē, Maria genuit ſiue peperit nobis C ſtū ſecundum humanitatē, & ſic vera mater. De beata Elizabeth repleta Spiritu ſancto, qui per os loquebatur, vocat illā matrem Domini ſui. Lu quam legitur in ſcripturis, Spiritum S. mentio nec alicui donatū hoc nomen matris apparenter veraciter. Si ergo non foret vera mater Chriſti Ma Spirituſſanctus eſſet mendax, qui vocat eam mat Domini, non portatricē: item Spirituſſanctus di Benedictus fructus ventris tui: ſi non eſt vera ma quomodò dicitur benedictus fructus ventris Chriſtus? Si ergo verus fructus, ergo & vera ma Inſuper omnes Euangeliſtæ nominant eam mat Domini. Mat. 1. Cum eſſet deſponſata mater Ieſu Marc. 3. Ecce mater tua & fratres tui: &c. Luc. 1. de hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me Ioā. 2. Erat mater Ieſu ibi, & 19. Stabat iuxta crucē ſu mater eius &c. Omnes ergo Euangeliſtę eſſent daces, qui eam appellant matrem Domini, ſi nō vera mater, vt nugatur Valentinus & Anabapti plus de Spiritu S. habuit mulier illa Lu. 11. quę di

Bea

Beatus venter qui te portauit, & beata vbera quæ suxisti &c. quàm omnes illi hæretici negantes virginem matrem, assimilantes eam fistulæ, p quam transit ventus, sic aiunt illã genuisse. Mat. 1. cap. dicit, De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Huic credamus, & Ioan. 1. Verbum caro factũ est, & Lucæ 2. Annuncio vobis gaudium magnum &c.

Secundò Angelus quandò salutauit virginem his verbis Lucæ 1. Gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, aliquid amplius voluit esse in Maria, quàm in cæteris mulieribus & hominibus, de quibus etiam hęc leguntur: dicitur enim & Stephanus plenus gratia Act. 6. & Iudic. 6 dixit angelus, Dominus tecum virorũ fortissime. Et Iudic. 5. cecinerũt Delbora & Barach, Benedicta inter mulieres Iahel vxor &c. & Iudith 15. dicitur, Benedicta tu à Domino, manus Domini confortauit te, & eris benedicta in æternum. Illis omnibus tribuuntur hæc verba, quæ angelus in salutatione virgini Mariæ tribuit: sed longè alio fine & nobiliori causa: Et primò gratia plena, & quòd paritura esset & peperit Christum, qui dicitur plenus gratia & veritate, Ioan. 1 de cuius plenitudine nos omnes accipimus: eius veritatis verbũ, eius gratia & fauor patris, nos omnes saluat & iustificat propter ipsum: ex eius plenitudine nos iustificamur: hoc non potest dici de Stephano, neq; de cęteris plenis gratia & Spiritu S. neq; de Apostolis aut alijs: nihil enim de illorũ plenitudine gratiæ accipimus, sed de Christi plenitudine. Talem virgo peperit, ideò ipsa dicitur plena gratia. Deindè, Dñs tecum, non solũ virtute & potentia, sicut fuit cũ Gedeone in bello, & cum Dauid ac cæteris sanctis regibus, qui virtute Dei magna & ferè impossibilia fecerunt, quàm diu Dominus erat cũ illis: sed cũ virgine fuit corporaliter, ipsa vera mater, Dęus & Dñs noster, quem in vtero gestauit ac peperit. Hoc de nullo homine aut mu- 2.

liere dici potest. Igitur virgo præfertur omnibus, q̃ erat vera Mater & purissima virgo sine omni peccato, sicut ait August. lib. de natura & gratia cap. 36. De S. Maria, ꝓpter honorē Domini, nullā prorsus, cùm de peccatis agitur, volo habere quęstionē. Postremo dicitur benedicta inter mulieres non solū propter officiū maternitatis, sed ideò quia benedictum semen Abrahę ꝓmissum, id est, Christum, mundo erat paritura, Gal. 3. ideò etiā dixit Spiritus S. per os Elizabeth: Benedictus fructus ventris tui. Is enim fructus fuit totus benedictus, nulla labe peccati & antiquę maledictiōis obnoxius: qui etiā nobis omnem maledictionem peccatorū abluit. Talem benedictum fructū nulla mulier mundo peperit, sicut ipsa. Ideò canit Ecclesia: Felix nanq; es sacra virgo Maria &c. ex te ortus est sol iustitię Christus Deus noster, id est, ille de quo dicit Apo. 1. Cor. 1. qui datus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio & redēptio: ideò Christus exoluit maledictionē, & confundens mortē, donauit nobis vitā sempiternam. Et quoniam nulla creatura fuit vnquam tam sancta & ꝓxima Christo, sicut ipsa virgo & mater Christi, neq; angelus neq; propheta. Ipsa enim proxima carne, proximior fide omnibus Christo, quæ fugientibus Apostolis stetit sub crucę, propinquissima in cœlo, ad quem assumpta est: ideò orat Ecclesia, & illius petit preces ad Christū, ac veneratur propter Christum natum saluatorem nostrū. Venerātur Apostoli propter doctrinā Christi, quam sparserunt cum omnibus prędicatoribus, venerantur Martyres & confessores propter confessionem & constantiam fidei, veneratur potestas in superioribns: omnia illa debitis prędonijs efferimus, & meritò mater Dei honoratur, quia nobis solē iustitię ęternę peperit. Nec hoc hactenus ꝓbatum est ab aduersarijs per scripturā, quòd illam inuocationem suffragiorum Christus prohibuerit: non est inuocatio, quam aut qualē

Ioan. 19.

Deo vt

Deo vt datori bonorũ omniũ debemus: sed talis est, sicut frater fratrem implorat: & cùm ipsa sit de carne & sanguine nostro, tanquàm à sorore nostra petimus, vt pro nobis oret Deum, non quidẽ vt Dea quæ adoretur, aut quæ donet ea quæ petimus.

Tertiò, veteres statuerunt, vt quoq; quotidiè post orationem Dominicam recitetur angelica salutatio, non solùm propter virginem, sed potiùs ad renouandam assiduò memoriam incarnationis Iesu Christi, & vt tãto beneficio quotidiè referamus laudes & gratiarum actiones. Est planè hoc beneficiũ Christi incarnationis immensum & ineffabile, sicut dicit Augustinus de Trinitate lib. 13. cap. 19. In rebus per tempus ortis summa hęc gratia est, quòd homo in vnitate personę coniũctus est Deo: ideò gratias agere quotidiè omnes tenemur incarnationi, id quod fit in recitatione symboli. Est & alia causa recitationis angelicæ salutationis, vt feruentiùs inculcetur iunioribus, vt credant Deum & filium Dei incarnatum. Nã vera fides quæ nos iustificat & saluat, credit Deũ incarnatum. Multi dicunt, credo in Deum, satis mihi est, quid mihi de Christo? At qui incarnationis mysterium ignorat, vel non credit, is frustrà se iactat credere in Deum vel filium Dei. Ideo audiendi non sunt osores angelicę salutationis, qui illam volunt abolitam ne recitetur &c. 3.

PASSVS SVB PONTIO PILATO, crucifixus mortuus & sepultus, descendit ad inferos.

CAP. XXXVIII.

ARGVMENTA.

1. *Quare oportuit redemptorem nostrum Christum esse Deum & hominem.*

2. *Quo genere mortis sit necatus pro peccatis nostris.*

3. *Quomodò mortuus est verè ac sepultus, & ad inferos descendit.*

1. PArum fuisset nos creatos à Deo patre, accepisse corpus & animam ac terrena omnia in præsenti vita, si post hanc anima æternaliter fuisset dānata, & in ira Dei: Ideò Deus pater ex dilectione ad suā creaturā hominē, licet peccauerat & meritò da-
Ioan. 3. mnationē accepisset, misertus tñ illi est, & dedit illi gratuitò redemptorē filiū suū, & illū voluit nasci hominē, vt nos in carne ea redimeret. nā ꝓpter magnitudinē & enormitatē peccati oportuit talē redēptorem esse Deū & hominē: alioqui nō fuisset satisfactū Deo, nec nostra redēptio à peccatis potuisset fieri: adeò graue est corā Deo peccatum. Peccatum aūt erat
Genes. 3. Adæ & Euæ in paradiso, quos creauit Deus & posuit in paradiso, deindè vt pius pater subiecit illis omnia animalia viuētia, pisces & aues: tertiò dedit illis fructus arborū nobilissimarū ad vescendū: quartò prænonebat eos fideliter à suo Dño, ne comederent scilicet de arbore scientiæ boni & mali, alioqui morerentur. Hîc debebāt obedisse Deo parentes, credidisse, timuisse & dilexisse, sed neglexerunt. Venit aūt sathan loquēs per serpentē ac dicens non esse verum ꝙ morerentur, si comederēt de arbore ꝓhibita, sed potiùs efficerētur sapientes sicut dij, scientes bonū & malū. sic infudit cordibus illorum serpens hęc verba, quasi Deus nō faueret illis hoc, s. vt essent sapientes & prudentes, sicut dij, deindè sciētes bonum & malū, & sic fecit displicentiā de Deo in Adā & Eua, ꝙ non fidebant nec credebāt ipsi, & comedebāt, obedientes, serpenti, & sic volebant rapere diuinitatē Deo, qui dicit

apud

apud prophetam Esai. Gloriam meam alteri non dabo: & sic grauissimè peccârunt in Deum non solùm p se, sed etiam pro tota posteritate sua, vt Esa. 42. 5. In quo oēs peccauerunt. Et quoniam Adam & Eua Deo amplius post obedientiā serpentis nō credebant, nec fidebāt aut diligebant, habētes eum suspectū, cogitantes q̄ non haberent meliorem amicū in cœlis & terris, q̄ seipsum: ideò cœperunt seipsos amare, & timere omne illud quod corpori ipsorū erat contrariū, & diligere qđ corpori erat dulce: & sic quatuor ex peccato venerunt, primò q̄ Deum amplius nō diligunt: secundò, q̄ nec fidunt amplius Deo totaliter: tertiò, q̄ pleni sunt timore ac pauore conscientię: quartò, q̄ pleni malis concupiscentijs & appetitibus: his dānis tota natura humana est infecta, sicut filij leprosi parentis ex hęreditate inficiūtur. Et quia facti peccatores non potuerunt facere quæ Deus pręcepit, nec satisfacere pro culpa peccati, ideò misit nobis Deus pater Christū, & non angelum aut prophetā, sed talem qui est Deus & homo, qui esset perfectus satisfactor pro peccatis totius mundi: Et primò homo sanctus, verus & purus sine omni peccato: alioqui nō potuisset nos mundare à peccato, si ipsemet homo peccator fuisset, & non potest peccatorem peccator redimere: ideò conceptus est de spiritusancto, & natus de Maria virgine sine omni peccato, vt nos posset mundare: & quoniam homo qui peccauit, etiam debuit Deo satisfacere: sed quoniam omnis homo est peccator, ideò non potuit Deo satisfacere: igitur oportuit redemptorem esse hominem, sed tamen sine peccato: & talis fuit redemptor Christus. Deindè quia redemptio & satisfactio debuit fieri per eum, qui esset sine peccato, igitur homo non potuit se redimere: etiam debuit fieri ad perfectam voluntatem patris redēptio, vt per omnem modū placeret patri: igitur necessarium fuit, redemptorem esse Deum.

Nam

Nam nemo potest perfectè Dei voluntatem implere, nisi ipsemet Deus: ideò oportuit ipsum Christum esse Deum, idem hominem, vt posset pati mortem: nam Deus pati & mori non potest: sed quia debuit vincere mortem & peccatum & infernum, & facere finem, oportuit eum quoque esse Deum: nisi fuisset Deus, nec de inferno nec de morte triumphâsset: quare oportebat illum Deum & hominem esse, qui pro tam graui culpa satisfaceret. Hoc autem meritò nos absterrere debet à peccatis, quòd filius Dei coactus sit pro illis nostro nomine satisfacere.

2. Secundò, genus mortis quod Christus pertulit pro peccatis nostris, fuit maledictum in lege: nam sic dicit Apostolus ad Gata. 3. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est Deutero. 21. Maledictus omnis qui pendet in ligno, vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu. Nos lex omnes maledixit, ad damnationem iudicauit: similiter & peccatum & mors, & infernus ad omnes spectabãt: & quicquid in nobis erat fuit maledictum præter naturam in se, cum qua tamen connascitur peccatum: ideò Christus factus est nouissimus virorum, Esai 53. tanquàm leprosus. Insuper factus est maledictũ, id est, vermaledeyunge/ tanquã ipse esset transgressor & peccator in lege maximus. Et vt talis maledicitur, moritur, cruci affigitur, scilicet vt à nobis pelleret maledictionem, & impetraret benedictionem patris, id est, remissionem & vitam æternam: vt nobis benedictio accederet, maledicta morte ipse moritur. Sic captiuatur, deluditur, flagellatur, coronatur, potatur felle & aceto, crucem portat, & in ea conclauatur: hæc omnia prædixerunt Prophetæ, & Euangelistæ describunt, Matt. 26 & 27. Luc. 22. & 23 Marc. 14. & 15. Ioan. 18. & 19 Ideò hodiè omnes benedicuntur per semen Abrahæ, sicut illi promissum fuit Genes. 22. In semine tuo benedicentur

omnes

omnes gentes &c. Omnia igitur genera passionum videntur maledicta crudelia, quæ pertulit propter nostram benedictionem. Benedictio autem est remissio peccatorum & vita æterna, sicut maledictio peccatum est & damnatio æterna.

Tertiò, verè mortuus est Christus, non apparēter, vt ipsi Manichæi delirant. Legitur enim in Euangelio Matthæi & Ioannis, Emisit spiritum: item in Marci & Lucæ, Expirauit & sepultus est in sepulchro nouo. Descendit quoque ad infernum, vt sathanam opprimeret, & fideles liberaret, vtque infernum, in quē iusto Dei iudicio damnati eramus, spoliaret, & regnū mortis destrueret: quia Christus est fortis ille Gigas, Luc. 11. qui fortem vicit, & arma eius atque spolia distribuit. Credulis ergò & pijs secundùm voluntatem Dei viuentibus, diabolus victus est, infernus destructus: non autem impijs & infidelibus: illos adhuc expectat, illis adhuc patet infernus. Descēdit ergò cum anima diuina ad inferos, & liberauit patres à potestate sathanę, vt quoque nos sciremus, quæ Christus sua passione nobis impetrârit. Itaque quasi peccator maledictus, occisus, flagellatus, & crucifixus est: ad infernum tanquàm damnatus descendit, sed eum reduxit Dei potentia, iuxta illud, Non derelinques animam meam in inferno &c. atque mortem, sathanam, ipsumq; infernum suppressit, ne detinere posset amplius credentes. Soluere quoque debuit etiam inferni dolores, secundùm Petrum Apostolum, Acto. 2.

3. Matt. 27. Ioan. 19. Mar. 15. Luc. 23. Psal. 15.

TERTIA DIE RESURREXIT à mortuis.

CAPVT XXXIX.

ARGVMENTA.

1. *Quomodò Christus, quem vt hominem mors vicit,*

vicit, ipse tertia die vt Deus vincit mortem, reuixit & resurrexit.

2. *In quem fructum et ad quid resurrexit Christus.*

3. *Quomodò Christi resurrectio exemplar & speculum est nostræ futuræ resurrectionis.*

1. CHristum esse verè filium Dei, declarat apertè resurrectio eius, sicuti Apostolus ad Roman. 1. testatur, dicens: Qui prædestinatus, id est, verè declaratus aut demonstratus, filius Dei &c. quia resurrexit à mortuis, quia vicit iterùm mortẽ. sicut enim mors demonstrauit illum verum fuisse hominem, sic resurrectio verum fuisse Deum declarauit: nam resurrectio, donatio Spiritus sancti, Assensio, & omnia miracula ostendunt eum potẽtem, & natura esse filium Dei, atque illum Messiam, qui promissus est patribus. Sic 1. Cor. 15. inquit Apostolus: Hoc est Euangelium meũ quod prędicamus vobis, quod accepistis, & per quod saluamini, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit tertia die secundùm quod scriptura de illo prædixit Psalmo 3. Ego dormiui, & soporatus sum, & exsurrexi, &c. Hoc Christo asscribitur. Et Psalm. 15. Non derelinques animam meam in inferno, in quem scilicet descẽdit anima Christi, postquã de corpore eius recessit in cruce. & rursus ibidẽ, Nec dabis sanctum tuũ videre corruptionẽ, id est, ne Christus in corpore corrũpatur, id est, verweſt. Et hunc Psalmum citârunt Petrus & Paulus Act. 2. & 13. quandò probant Christi resurrectionem à morte. Petrus Actor. 2. inquit: Viri fratres, Dauid cùm esset Propheta, locutus est de resurrectione Christi, quia non derelictus est in inferno secũdum animam, neq; corpus

corpus eius vidit corruptionem in terra. Hunc igitur Iesum Deus resuscitauit à mortuis, cuius nos testes sumus &c. Et Paulus Actorum 13. Dauid prædixit Christum resurrecturum à morte, quando dixit de illo Psalm. 15. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Sic Oseæ 6. Dominus Deus viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, &cæt. Sic Christus cõsolatur omnes fideles de sua resurrectione, quemadmodùm facit Matt. 12. de signo Ionæ, & Ioan. 2. Soluite templũ hoc, id est, soluetis quidem, sed ego resuscitabo illud in tribus diebus: quasi diceret, Nolite timere, si Iudęi hoc meũ corpus occidunt: ego resuscitabo illud, & resurgam, sicut omnes testantur Prophetæ & Euangelistæ, & Apostolorum symbolum nos docet, quòd tertia die resurrexit.

Secundò, fructum resurrectionis Christi breuiter & optimè describit Apostolus Romano. 4. inquiens: Christus mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter nostram iustitiam: Nostra iustificatio, id est, rechtfertigunge/ est fructus resurrectiõis, sed hoc sic intelligitur, ex hoc qđ Christus mortuus est atq; passus, sequitur quòd nostra peccata super se accepit, & quòd propter nos passus atq; mortuus est, & iram quam nos meruimus, apud Deum ipse portauit, Esa. 53. ideò dicit Apostolus: Mortuus est pro peccatis nostris. Secundò, quia anima eius in inferno, & corpus eius in morte ac in terra non manet, sed per gloriam Dei patris iterùm resurgit à morte, & ex hoc notatur quòd ira Dei finem habet, & quòd nobis remissa sunt peccata. Si enim in morte mãsisset & in terra corpus eius, & anima in inferno, & non resurrexisset, tunc notum fuisset quòd nõdùm placata esset ira Dei, atque peccata dimissa: sed quoniam resurrexit & viuit, ideò certissimum est signum. quòd satisfactio pro peccatis facta est, & impetrata gratia atque remissio 2.

remissio peccatorum. Et quoniam Deus vult nobis imputare (zurechnen) iustitiam Christi, ideò dicitur quòd resurrexit propter iustificationē nostrā, id est, vt Christi iustitia nobis imputetur. Vult ergò Deus nunc ex misericordia nobis qui credimus, imputare iustitiam Christi filij sui, & non peccatum, sicut dicit Apostolus 1. Corinth. 1. Qui factus est nobis à Deo sapientia, iustitia & sanctificatio, & 1. Corinth. 15. sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes, &c. Vt enim quandò alius pro nobis patitur, soluit aut satisfacit debito, & posteà libertati traditur, certum est quòd & nos liberi sumus, quia ille pro nobis satisfecit, & omnes quoque liberauit. Quandò autem liberi sumus, tunc sumus iustificati, sic vt amplius nemo super præmisso debito nos accusare aut aliquid exigere debeat: Sic quoniam Christus à morte resurrexit, & libertati donatus est à peccato, morte & sathana: sequitur quòd & nos nunc liberi sumus propter Christum à peccato & morte, ne nos damnare possint: & sic Christus resurrexit propter nostram iustificationem, quia pater eum captiuauit & flagellauit, & occidi fecit propter nos. Sed cùm iam vincit & liberè efficitur, nos quoque omnes propter illum reputat iustos & liberos à peccato & æterna morte: Sic tamen, ne deinceps non secundùm carnem viuamus, Romanorum octauo. Sumus hodiè peccatores, omnes morimur, infernus & sathan adhuc viuit: non sic liberati sumus, ne illa nos afficiant, sed quòd nos damnare non possunt propter Christi iustitiam, quā pœnitentibus pater imputat: Et quoniam habemus Christum Dominum peccati, mortis & sathanæ, qui non derelinquit in se sperantes.

5. Tertiò, potissima pars apostolicę prædicationis est de resurrectione Christi, sicut etiam Paulus ait coram Festo & Agrippa Acto 26. Testificans minori atque maiori &cæt. & Apostoli penè omnes in suis scriptis

comme-

commemorant resurrectionem Christi. Et Paulus discipulũ suum Timotheum signanter admonens, dicit 2. Tim. 2. Memor esto Dominum Iesum Christũ resurrexisse à mortuis, id est, semp habeas in memoria resurrectionem Christi. Sed cur adeò diligenter inculcant hunc articulum? respondeo, quoniã duo potissimùm in se continet Christi resurrectio. Primùm, quòd per illam certi sumus de remissione peccatorũ & salute, quia pater illa exhibere nunc vult pœnitentibus & credentibus: nam ideò iterùm libertati dedit, resuscitauit Christum à morte, peccato & sathana, vt nos sciamus placatum iam esse Deum, & velle nobis placatum esse propter ipsum: ideò inquit Ioan. 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo, id est, remissionem & salutem, dabit vobis. Et Marc. 11. Omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis. Deindè quoniam Christi resurrectio est exemplar & certitudo nostræ resurrectionis: hæc futura resurrectio fecit constantes omnes Martyres & sanctos in fide, & est vnica spes Christiani hominis: alioqui essemus miserabiliores omnibus hominibus, si non esset resurrectio. Apostolus igitur 1. Cor. 15. cumprimis probat resurrectionẽ p hoc, quoniã si Christus resurrexit, ergò & nos resurgemus: si non resurrexit Christus, neq; nostra erit resurrectio: & sic inanis esset fides nostra, &c. Sed Christus resurrexit primus inter dormiẽtes, ergò & oẽs resuscitabit in suo aduentu, id est, die nouissimo: in illo die euacuabit omnẽ potestatem, destruet mortẽ, & omnia subijciet Deo. Deindè Apostolus arguit eos qui dicũt, Edamus ac bibamus, sicut bestias viuere & cogitare, & inquit: Nolite seduci fratres, corrumpunt bonos mores colloquia prava. Postremò, prohibet ne disputemus nimiùm, quomodò fiet resurrectio, inquiens: Insipiens tu, quod seminas, non viuificatur, nisi priùs moriatur &cæt. 1. Corinth. 15. 1. Cor. 15.

ASSCENDIT AD COE. los, sedet ad dexteram Dei patris.

CAPVT XXXX.

ARGVMENTA.

1. *Quare Christus assenderit in cœlos.*
2. *Quomodò sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.*
3. *Quid iam faciat in cœlis.*

1. PRimò, vt iterum declaretur & monstretur eius diuinitas, Christus ascendit in cœlũ videntibus discipulis, Acto. 1 vt sicut resurrectionis essent testes, ita & assc̃ẽsionis, quatenùs certificarent totũ mundũ, Christum esse filiũ Dei & iã in cœlo, nempe resurrectione & assc̃ensione eius: hanc rationẽ tangit ipsemet Christus Ioan. 3. vbi inquit: Nemo ascendit in cœlũ, nisi q̃ descendit de cœlo, id est, ꝓpria authoritate & quidẽ diuina, nemo assc̃ẽdit in cœlũ, sicut solus vnicus Dei filius, qui seipsum exaltauit & cęlos assc̃endit: nemo iustus & sanctus natura sua assc̃endit, sicut Christus qui est solus Dei iustus & sanctus: & quotquot cœli assc̃endunt, per ipsum & in ipso oportet assc̃endere. Filius igitur Dei qui descendit de cœlo, assc̃endit cœlos cum humanitate, quam ab homine, id est, virgine Maria accepit: ideò se dicit filium hominis. vt igitur notũ fieret mundo, Christum esse filiũ Dei, & de cœlo descendisse: hodiè iterùm assc̃endit secundùm humanitatẽ. Verbum enim, id est, diuinitas Christi, semper fuit in cœlo, & est vbiq;. Sic dicitur Psal. 46. Assc̃ẽdit Deus in iubilo, id est, gaudio in cœlum, & Dominus in voce tubæ, id est, potentia magna: quia nihil eum poterat impedire, non homines Iudæi, non mors,

mors, non peccatum, nec sathan: sed tanquàm victor & dominator omnium horum assendit. Nulla creatura eum impedire potuit, non tamen sic assendit, quòd non velit esse nobiscum, quia dicit Matth. vltimo: Ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi &cæt, sed præsentiam corporalem cum lineamentis suis & visibilem formam subtraxit, vt in cœlum post eum æstuaremus, & mundi præsentia gaudia paruifaceremus, vt in cœlo accipere possemus quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, sicut ait Esai. 64.

Secundò, quomodò sedeat ad dexteram patris sui, Dauid propheta Psal. 109. declarauit inquiens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, id est pater dixit filio incarnato in assensione post victoriam mortis & peccati ac sathanę, sede, id est, Esto rex & Dominus super omnia, sicut ego. Igitur sedere ad dexteram patris, est omnem potestatē habere in cœlo & in terra: & sic Christus nunc est Dominus & rex omnipotens constitutus à patre, cui omnes creaturæ in cœlo & in terra subiectæ sunt, angeli, homines, dæmones, visibilia & inuisibilia. Dextera in scripturis potentiam significat: & hanc sententiam seu authoritatem Dauidis Christus de se fore intelligendam, quod esset Deus, allegat Pharisæis Matth. 22. & Apostolus ad Hebr. 1. dicit: Nulli angelorum, sed Christo dictum soli, sede à dexteris meis. Sic igitur hodiè factus est à DEO patre Dominus super omnia Christus, hoc est, iuxta eius humanitatem: Est enim Deus & Dominus omnium ab æterno, sed secundùm humanitatem & naturam quam hodiè exaltauit: & sic secundùm illam hodiè accepit nomen, quod est super omne nomē, Regis, Domini dominantium &cæt. & vt in hoc nomine Iesu omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur quoniam Dominus IESVS est in gloria DEI patris, id est, 2.

æqualem cum Deo habet potestatem & gloriam: & hæc est magna consolatio nostra, quoniam Christus Dominus est omnium, peccati &cæt. vt etiamsi peccauerimus, quoniam ipse Deus noster, ergò remittet pœnitẽtibus: si mors vitam rapit, ipse restituet, quoniam ipse vicit mortem & peccatum: si sathan nos seducit, ipse potẽtior eo est, & iterùm de potestate eius rapiet. Et quoniam talem Dominum habemus, quid nobis nocere poterit? si ille p nobis, quis cõtra nos? Roman. 8. & sic inquit Dauid Psal 67. Ascendisti in altum, captiuam duxisti captiuitatem. Quæ verba sic exponit Augustinus, captiuâsti captiuitatem, id est, vicisti mortem, sathanam, infernum, peccatum, quæ illos in quibus regnabant, tenebant captiuos, nempe miseros mortales: vel homines qui sub diabolo captiui tenebantur, captiuâsti, id est, liberâsti, vnde ad Colossen. 2. inquit Apostolus, Christus expoliauit principatus ac potestates, id est, dæmones vicit per semetipsum, & 1. Petr. 3. Iesus Christus est ad dexteram Dei, deglutiens mortem, vt vitæ æternæ efficeremur hæredes, profectus in cœlũ, subiectus sibi angelis & potestatibus & virtutibus. Sic triumphator hodiè cœlos ascendit Christus Dominus sathanæ, peccati & mortis.

3. Tertiò, non sic æstimandum est, quòd Christus ita ascenderit in cœlum, vt nunc ibi sedeat otiosus ad dexteram patris in summa gloria & lætitia, sed adhuc vigilat, operatur op⁹ nostræ salutis, exaudit preces nostras, quatenùs perfectè in nobis compleatur. Facit igitur hoc in cęlis, quod rex solet in regno suo, aut quod sacerdos in Ecclesia. Rex enim regit & sollicitus est pro subditis suis, defendit, tuetur ac liberat: donat etiam dona suis cultoribus, & humiliantes coram se extollit. Sic Christus rex noster est, qui promisit se non relicturum nos orphanos, sed missurum spiritum paracletum, quem & donauit & donat quotidiè

quotidiè, Ioan. 14. qui donat fidē, charitatem, patientiam, constantiam ac alios fructus Spiritussancti, Galat. quinto. Et indè Dauid dicit, quòd dederit dona hominibus Psal. 67. Ipse quoque est caput Ecclesiæ, Ephe. 1. vt sicut caput influit in mēbra sensum & motum, sic omnia dona spiritualia nobis conferuntur desuper à nostro rege Christo: & ideò assēdit, vt Spiritumsanctum cum suis donis nobis largiatur, sicut sæpè promisit Apostolis Ioan. 16. Si nō abiero &c. Est igitur Christus iam rex noster, qui defendit ac tuetur nos contra insultus dęmonum: & regnum ipsius dicitur regnum gratiæ, quod est regnum fidei, in quo præsidet Christus & regnat vt homo, constitutus à Deo patre super omnia. Psal. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius: in quo regno accipit dona pro hominibus, & hoc vsque ad iudicium nouissimum durabit. Tunc enim incipiet regnū gloriæ, quo Deus ipse per se, nō amplius secundùm humanitatem, regnabit in fidem: cessabit enim tunc fides, 1. Corinth. 13. & erit consummata gloria & salus, & tunc etiam iuxta Apostolum 1. Corinth. 15. Christus tradet regnum Deo patri, & erit Deus omnia in omnibus, cùm euacuauerit omnē principatum & potestatem. Igitur iam non quiescit in cęlo Christus, sed sollicitus est pro nobis, donat, protegit à malis vsque ad diem nouissimum, vbi cessabit peccatū, pugna diaboli, fides, & erit gloria æterna: interim tamen Christus regit suos. Insuper facit in cœlo Christus iam pro nobis, quod solet sacerdos in Ecclesia, qui orat pro populo: Sic Christus pro fidelibus orat, Heb 9. Asscendit in cœlos, nō vt dormiat, sedeat &c. sed vt appareat vultui Dei pro nobis. & 1. Ioan. 2, filioli, ne peccetis, sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi, & 1. Timoth. secundo. Vnus est mediator Dei

& hominum homo Christus Iesus : homo, inquit, Christus Iesus, & secundùm illam humanitatem o. rat pro nobis. Sic semper adhuc saluat, & officium suum exercet vsq; ad consummationem seculi, quan. dò gloria æterna incipiet. Hæc ergò maxima est con. solatio, talem habere apud Deum fratrem, Domi. num, aduocatum & exoratorem.

INDE VENTVRVS EST iudicare viuos & mortuos.

CAPVT XXXXI.

ARGVMENTA.

1. *Quare Christus vult tenere iudicium in die nouissimo.*
2. *Quomodò signa præcedentia certissimum Christi aduentum indicant.*
3. *Quæ sit futura sententia vltima Christi iu. nentis iudicium.*

1. PRimò potuisset homo dicere Deo : Do. mine, nos alieno & non proprio pecca. to damnati sumus. Adam enim nos o. mnes fecit peccatores, Rom. 5. Deindè Domine, nemo nos docuit voluntatem tuã, viam & modum salutis nostræ. sed ne sic excusa. tionem haberet homo, misit redemptorem Christum Deus filiũ suum, quem dedit nobis, vt sit nostra sa. pientia, iustificatio & sanctificatio, 1. Cor. 1. per fidem in illum, Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, &cæt. etiam prædicauit nobis Euangelium Christus, præ. dicans præceptum parris, Psal. 2. & Ioan. 12. Verba quę ego locutus sum, &c. Sic dedit mandatũ Apostо. lis Marc. & Matth. vltimo. Prædicate Euangelium, pœniten-

pœnitentiam & remissionem Luc. vltim. Et ideò nō vult prius tenere iudicium, quàm prædicatum fuerit Euangelium in vniuerso orbe, Matt. 24. nè quis se excusare possit in iudicio. Vt igitur nunc cuiq; tribuat in corpore & anima, prout gessit, siue bonū, siue malum, 2. Cor. 5. & vt noti fiant qui obedierunt Euāgelio, & qui non, Roma. 10. dixit se venturum ad iudicium cum potestate & maiestate magna, Lucæ 21. Primus eius aduentus fuit occultus, secūdus autem erit manifestus, de quo dixerunt Prophetæ Psal. 49. Deus manifestè veniet, & non silebit. & 95. Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populum in veritate sua, Actorum 1. Iterùm veniet sicut vidistis eum euntem in cœlum. & Malachias 4. de die extremo vaticinatur, inquiens: Ecce dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi & omnes facientes impietatem stipula &c. Sic ait Ioannes baptista Matt. tertio. Ventilabrū in manu suà, & repurgabit aream suam, & congregabit triticum &c. Et Petrus Act. 10. Christus constitutus à Deo iudex viuorum & mortuorum. Et Paulus 2. Timo. quarto Christus iudicaturus est viuos & mortuos in apparētia sua & regno suo. Viui dicuntur, quos adhuc in carne ista inuenturus est aduentus Christi, Luc. 21. 1. Thessal. quarto, mortui dicuntur, qui de corpore ante hunc aduentum exierūt, sicut exponit Augustinus in Enchiridio cap. 55.

Secundò, inquit Petrus 2. Pet. 3. de quibusdam qui dicunt, ambulantes secundùm proprias concupiscentias: vbi est promissio & aduentus eius? quasi dicerēt, nullum erit iudicium & nullus Christi reditus. Sed fratres, custodite vos ab errore tali, & crescite in cognitione & gratia Domini nostri Iesu Christi. Ideò maximè absterreri debet à peccatis, quoniam iudex omnia manifestabit, & consilia cordium & abscondita tenebrarum, 1. Corinth. quarto. Et si quis non 2.

velit dare fidem verbis, quòd Christus iterùm venturus sit, attamen signa quæ dixit prædecessura Christus, p bant maximè, vt sicut illa certissima sunt quotidiè, ita erit certus Christi aduentus ad iudiciũ sunt enim hæc signa ex scripturis: primùm, quòd Romanum imperium, quod in terris summum & vltimum est, desolabitur: & filius desolationis aut perditionis homo peccati antichristus, in templo Dei sedebit 2. Thessal. 2. non adueniet Dominus nisi venerit priùs defectio. Hieronymus & Ambrosius de Romano imperio & desolatione illius hìc Apostolum intelligũt. peccatum abundabit, desolatio in templo erit tempore Antichristi: deindè surgent Pseudoprophetæ, Matth. 24. falsi doctores sectarum, Apostoli Antichristi. Neque vna erit persona Antichristus, nisi fuerit vltimus falsarius, cæteri sui discipuli. Tertiò, erunt signa in sole, Luc. 21. Matth. 24. in terris autem signa erunt, regnum contra regnum, seditiones, fames, pestilentiæ, & omnia erunt in summo, & abundabit iniquitas. hæc quotidiè fieri videmus. Ergò & verissimus erit Christi aduentus. In die autem ipso nouissimo sicut fulgur de cœlo repentè lucebit super omnia quæ sub cœlo sunt, sic erit aduentus filij hominis in illo suo die, Lucæ 17. & Dauid dicit Psalm. 95. Ignis ante ipsum præcedet, deindè signum filij hominis, id est, crux, apparebit in cœlo, Matth. 24. postremò, omnes mortui & viuentes simul, boni & mali resurgent, & rapientur in nubibus obuiam Christo in aëra, sicut inquit Apostolus 1. ad Thess. 4. & separabit tũc Christus homines, sicut pastor hœdos ab hircis, Matt. 25. hæc omnia erunt in die nouissimo.

3. Tertiò, Matth. 25. legimus, quòd filius hominis veniet in nubibus cœli cum virtute multa, & omnes sancti Angeli cum eo, tunc sedebit supra sedem gloriæ suæ, & mittet angelos suos cum tubæ voce ma-

gna, &

gna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cœlorum vsque ad terminos eorum, & cõgregabunt antè eum omnes gentes, & separabit eos sicut pastor segregat oues ab hœdis, & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. tunc dicet sententiam, & his primum qui à dextris sibi erunt, dicet: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum ab exordio mundi: esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. & his qui à sinistris eius erunt, dicet: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui, & non dedistis mihi mãducare, &c. & ibunt hi in supplicium æternum, & iusti in vitam æternam: hæc erunt verba Christi. Hæc maximum nobis incutere debent terrorem, vt à peccatis cessemus: omnes quidem ore dicimus, credo Christum venturum, & iudicaturum viuos & mortuos: corde autem perpauci perpendunt, & credunt iram futuram, cùm illa dies vocetur dies iræ, dies magna & amara valdè, &c. tantus est stupor carnalis securitatis. Igitur admonet nos Christus vt vigilemus Lucæ 12. inquit: Nolite timere eos qui occidunt corpus &c. timete autem illum, qui, postquam occiderit, etiam potestatem habet conijciendi in gehennam: certè dico vobis, hunc timete. Augustinus in Psal. 49. Si credimus iudicium, benè viuamus fratres, tempus nunc misericordiæ est, tunc erit tempus iudicij. & Hieron. inquit: Siue comedo siue bibo, semper sonant hæc verba atque tuba archangeli in auribus meis: surgite mortui, venite ad iudicium. voluit ergo Deus hunc diem iudicij esse incertũ, vt semper vigilemus, & nos præparemus ad iudicium Dei extremum: Nam iterum venturus est iudicare viuos & mortuos &c.

CREDO IN SPIRITVM sanctum.

CAPVT XXXXII.

ARGVMENTA.

1. *Quare tertia persona in diuinis dicatur Spirituſſanctus.*
2. *Quomodò Spirituſſanctus ſanctificet homines.*
3. *Quid faciat in ſanctificatis hominibus quos inhabitat.*

1. PRImò credere debemus omnes, q̃ Spirituſſanctus Deus eſt verus, æqualis patri & filio in natura, gloria & maieſtate: nam Deus replet omnia, & quoniã Spiritus S. replere dicitur omnia, ergo Deus eſt. Sic inquit Dauid Pſal. 138. Quò ibo à Spiritu tuo &c? ſi aſſcendero in cœlũ &c. Et Chriſtus iubet baptizari in nomine patris & filij & Spirituſſancti, Mat. vlt. credere igitur in Spiritum ſanctũ, eſt credere ipſum verum eſſe Deum. Dicitur autem Spirituſſanctus ab officio, quia ipſe omne quod ſanctum eſt, & ſanctum eſſe debet, ſanctificat: ideò vocat eum Apoſtolus Rom. 1. Spiritum ſanctificationis: homo enim ex viribns ſuis non poteſt eſſe ſanctus: eſt enim omnis homo mendax, Deus autem verax eſt, Roma. 3. & 1 Corinthi. 2. Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus, id eſt, naturalis homo vel natura ſine gratia Spirituſſancti, non percipit ea ex ſe & ſuis viribus non habet, ſed oportet vt detur ei deſuper et viribus igitur noſtris atq; operibus nõ poſſumus attingere ſanctitatem, ſed ſanctitas eſt donum Dei, quo Spirituſſanctus Deus ornauit credentem, ſicuti pædagogus ſcientia ornat diſcipulum. Ideò ſicut neceſſarius eſt Deus pater homini, quoad creationem: filius Dei, quo ad redemptionẽ: ſic eſt nobis neceſſarius Spirituſſanctus ad noſtram ſalutem obtinendã, quòd

quòd illam nemo accipit sine adiutorio Spiritussanctiideò à nobis maximè sicut Deus colendus est. Nã tametsi pater nos creâsset, filius redemisset & liberâsset à peccato, morte & inferno: nos autẽ hoc ignoraremus, vel non crederemus: quid omnia hæc prodessent? Si ergo hæc debemus credere, quomodo sumus creati & redempti per Christũ, oportet vt doceamur vtq; audiamus, vt detur ea gratia q̃ hoc credere possimus, vt sic fructũ redẽptionis Christi accipere valeamus. Natura nostra hęc nõ potest capere, quomodò creati simus atq; redẽpti: opus est igitur Spiritu S. qui donat fidem, & regenerat in Baptismo, & nos habiles facit & capaces beneficij Christi. Vt igitur sciamus quæ à Christo nobis donata & impetrata sunt, Spiritussanctus docet intus & foris per Euangelium &c.

Secundò, modus quo nos sanctificat Spiritussanctus, sic habetur: Primò prędicationẽ ordinat verbi Dei, quo denũciantur beneficia Christi. nã sic in die Pentecostes datus est Apostolis in linguis igneis, vbi primò dedit sapientiã & intellectum omnium scripturarum, deindè potentiam & virtutem animi, vt sine timore & tremore possent prædicare Euangliũ, & ita hoc facit: nã ipse subordinat prędicatores, nemo enim potest prædicare sine cooperatione Spiritussancti: Nec auditores possunt credere & Deo fidere sine cooperatione Spiritussancti. Vndè Roma. 10. Quomodò credent sine prędicatore? quomodò prędicabunt, nisi mittantur? Ideò Spiritus S. primùm ordinat prędicationem: deindè, per prædicationem operatur fidem in cordibus auditorũ, vt homines consentiant & credant verbo Dei, & sic esse de Christo sicut prędicatur: Ita dicit Apostolus 1. Corinth. 12. Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi per Spiritum S. id est, nisi ab illo illuminetur per fidem: post fidem ornat (richtet an) Baptismũ, quo homo facit pactũ cũ Deo, & Deus illi promittit se fore ei Deum, & illius

2.

Actor. 2.

lius velle misereri, & eum saluare: homo promittit obedientiam Deo. Marc. vlt. Qui crediderit & baptizatus fuerit, &c. Quartò, per fidem & baptismum fit noua generatio. Nam baptismus ideò dicitur lauacrum regenerationis Spiritussancti, quia ibi datur Spiritussanctus, & generatur nouus homo, ad Titum 3. ibi quoque noua fit generatio & filiatio, efficimur sic filij Dei, Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: & quoniam sic facti filij Dei sumus, datur nobis Spiritussanctus, qui inhabitat corda nostra, Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: Et vbi nunc est talis dilectio Dei, ibi est obseruantia præceptorum: nam dilectio est impletio legis, Rom. 3 Deindè ibi est militatio & pugna contra carnem & concupiscentiam, ne illis obtemperemus, Rom. 6. sed potiùs vincamus, & ad hoc cooperatur Spiritussanctus: & sic homo efficitur sanctus opere Spiritussancti.

Tertiò, postquàm sanctificauit hominem Spiritus-
3 sanctus, & in illo habitat, multa alia habet officia in homine nam in fide confortat. Rom. 8. Ipse Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Deindè assecurat cor, quòd nobis sint remissa peccata propter Christum.
Roman. 8. Ipse Spiritus assistit Spiritui nostro, & testimonium illi reddit, quòd sumus filij Dei. Tertiò donat dilectionem Dei & proximi: nisi ille in corda nostra diffuderit dilectionem, ex natura nō possumus habere. Ideò charitas siue dilectio numeratur ab Apostolo inter fructus Spiritus, Gal. 5. facit ergo hæc charitas, vt p̄cepta Dei seruemus: ideò vbi non adest Spiritussanctus suo adiutorio, Dei p̄ceptis nemo obedit, neque ea facit: & hinc est quòd affirmamus semper, nos facere posse nihil absq; gratia & adiutorio Spiritussancti. Ipse Spiritussanctus voluntarium facit cor & ornat dilectione, quòd Deus super omnia diligi-

tur,

tur, & proximus propter Deum & beneficium Christi. Quartò, Spiritussanctus donat sub cruce patientiam, & per hanc mortificat concupiscentiam carnis, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato, Rom. 6. & 8 si secundum carnem vixeritis, moriemini: sin autem Spiritu opera carnis mortificaueritis, viuetis. Ideò Spiritussanctus huiusmodi mortificationem operatur, & satagit vt homo perfectus fiat, & peccatum & concupiscentia carnis totaliter moriantur: & tunc erimus puri & sancti, & regnum Dei hæreditabimus. Et ideò sic nobis donatur Spiritussanctus vt sanctificet, & carnem nostrã mortificet vsq; ad mortem. Et sic dicit Apostolus 1. Cor. 6. Sanctificati & iustificati estis per Spiritumsanctũ Dei nostri. Habet quoque multas alias operationes in nobis Spiritussanctus, ideò rogat Dauid Psal. 50. Spiritumsanctum tuum ne auferas à me: & nos petere debemus Deum patrem, vt donet nobis quoque Spiritumsanctum &c.

ECCLESIAM SANCTAM CA- tholicam, sanctorum communionem.

CAPVT XXXXIII.

ARGVMENTA.

1. *Quòd sola vna est Ecclesia, quæ dicitur sancta & Catholica.*
2. *Quomodò in tali Ecclesia vna est communio sanctorum.*
3. *Quòd extra illam Ecclesiam non est salus.*

CRedimus vnam esse Ecclesiam: hoc autem nomen Ecclesia, nõ dicitur domus Ecclesiæ, de ligno & lapidibus ædificata, sicut templum: sed est congregatio homi- 1.

hominum, qui conueniunt in vnitate fidei & sacra-
mentorum. Nam hoc certò credere debemus, quòd
dum Euangelium prædicatur, semper erunt homi-
nes, quos Spiritus sanctus accendit, vt credant & adhę-
reant Euangelio: nam sic dicit Dominus per Esa. 55.
Verbum meum non redibit vacuū &c. Qui igitur Eu-
angelio credunt, illi dicuntur Ecclesia, id est, congre-
gatio: Deindè, quanuis sint multę congregationes
Christianorum, tot nempè quot vrbes & villæ, tamè
illæ dicuntur partes Ecclesiæ vniuersalis, quæ dici-
tur græcè Catholica: nam solū est vna Ecclesia, vbiq;
terrarum diffusa, in qua est vnus Deus vna fides, v-
num Baptisma, vna spes salutis, Ephes. 4. In illa Chri-
stus caput est, Ephes. 1. nos membra, & vnum corpus
mysticum sumus: vnum ouile pastoris nostri Chri-
sti, Ioan. 10. Vnum regnum Christi. Præterea dicitur
sancta hæc Ecclesia, propter fidelium sanctum caput,
quod est Christus. Nam licet sit in nobis adhuc carnis
infirmitas, tamen propter fidem in Christum repu-
tamur sancti, modò & contra concupiscentias carnis
militemus, & illi non obediamus, Roman. sexto, &
quanuis etiam mali reperiantur in congregatione
fidelium, sicut vlcera in corporibus, illi tamen solo
nomine dicuntur fideles & membra Ecclesiæ, non
autem veritate: solùm autem iusti, qui fide coniun-
guntur Christo atq; Spiritu, qui non ambulant secū-
dum carnis concupiscentias, illi sunt vera membra
Ecclesiæ. Non ergo possunt hîc separari bona & sa-
na membra à falsis & malis: sinit Deus vtraq; cresce-
re, Zizaniam cum tritico vsque ad messem, Matth. 13.
Cognoscuntur tamen veri Christiani per diligentem
obseruationem præceptorum Dei: vbi sinceriter prę-
dicatur Euangelium & verbum Dei, deuotè creditur,
& sanctè pieque viuitur, & Sacramenta legittimè di-
spēsantur. Dicitur autem Catholica, id est, vniuersa-
lis, quia non in vno angulo vel cœtu, sed per vniuer-
sum

sum mundum inuenitur. Mar. vltimo cap. Euntes in mundum vniuersum &c. & Psalm. 112. A solis ortu vsq; ad occasum &c. Insuper Catholica dicitur, quia idem communiter sapit secundum Christum Iesum, in his quæ fidem & Christum spectant atque Sacramenta, & cum vno ore honorificatur Deus & pater Domini nostri Iesu Christi: id quod vbiq; Apostolus mandat & obsecrat per nomen Domini nostri Iesu Christi, 1. Cor. 1. Rom. 15. Omnes ergo hæretici non sunt Catholici, nã seipsos segregant à corpore Christi, quod est Ecclesia, & aliter sentiunt de doctrina & rebus fidei, quàm Ecclesia Catholica: hos vitare iubet Apostolus, Tit. 3.

Secundò, hæc Ecclesia Catholica siue congrega- 2.
tio, est communio sanctorũ, id est, gemeinſchafft/ hoc est, quòd primò omnes illi qui sunt vera membra Ecclesię, illi sunt sancti & reputantur propter fidem in Christum, qui est caput sanctum Ecclesiæ, propter quod & membra reputantur iusti & sancti & sic Apostolus in exordijs suarum Epistolarum omnes fideles vocat vocatos sanctos, Roman. 1. 1. Corinth 1. Galat. 1. ideò mali in Ecclesia, non sunt de Ecclesia sancta, id est, communione illa sanctorum, sed solum nomine dicuntur Christiani: quare solum pij sunt sancti & vera membra Ecclesię. Deindè est Ecclesia & dicitur communio sanctorum, quia omnia bona spiritualia, quæ exiguntur ad nostram sanctificationem & iustificationem, illa in communi habet Ecclesia à Iesu Christo: & dicuntur communia bona, vt sunt sacramenta & preces Ecclesiæ: quia quisque partem habet in illis, vnus sicut alter. Hęc autem sunt porrò cõmunia bona Ecclesię, quoniam Deus pater nobis omnibus est misericors pater, Deus filius autẽ omniũ nostrũm saluator, Deus Spiritus S. omniũ nostrũm sanctificator, heiligmacher.

Posteà

Postea est Euangelium & omnes doctrinæ Christia. næ, quæ omnibus prædicantur, vbi gratia & miseri. cordia Dei omnibus offertur. Matt. 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, &c. Deindè ba. ptismus, vbi datur remissiõ peccatorum, & salus pro. mittitur. Marc. vlt. Qui crediderit & baptizatus fue. rit, &c. Postremò corpus & sanguis Iesu Christi, per quæ nos omnibus bonis Christi efficimur participes, credentes corpus pro nobis traditum & sanguinem pro nobis effusum, Matt. 26. hæc bona Christi, omni. bus qui sunt in Ecclesia, sunt communia. Nam Chri. stus ex æquo est omnium nostrûm saluator. Postre. mò Ecclesia est & dicitur communio sanctorũ, quia oratio, tribulatio, crux & opera, pia omnibus Chri. stianis per totum orbem sunt communia & merito. ria: sic iubet nos Christus in plurali orare· Panem no strum &c. dimitte nobis debita nostra &c. Matt. 6. & sic omnes participamur Christi bonis, & deindè cõ. fratrum credentium: & sicut ex multis granis fit v. nus panis &c. ita hîc est communio sanctorum, 1. Co. rinth. 10. Ideò hæc consolatio est conscientiæ, quòd talis communio est sanctorum tam bonorum Chri. sti quàm fidelium, & hoc etiam credimus &c.

3. Tertiò, quoniam sola vna est Catholica & sancta Ecclesia, in qua sunt communia Christi bona, & in ea solum distribuuntur: ideò omnis homo, qui este. tra illam communionem vel congregationem & Ec. clesiam fidelium, is non saluabitur, sicut inquit Chri stus Luc. 11. Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit: quare omnes infide. les qui non credunt, damnantur. Ioan 3. Qui non cre dit, iam iudicatus est: Nam promissio facta est Eccle. siæ, quòd illa sit capax bonorum Christi. Qui ergo non credunt, damnantur. Deindè omnes hæretici qui sunt veluti rami aridæ arboris, non accipiunt suc cum gratiæ Christi, sicut inquit Cypria. Præscinde ra

mum de

mum de arbore, riuum de fonte, &c. Apostolus quoque ait Galat 5. Sectæ regnum Dei non possidebunt. & August inquit: Hoc facit Spiritussanctus in corpo re mystico Ecclesiæ, quod Spiritus humanus in corpore: separato Spiritu à corpore humano, corpus mortuum & aridum est. Sic facit Spiritussanctus in corpore mystico, & in solis illis efficax est per verbum suum, qui sunt vera membra, & non arida: multi enim eadem dicunt verba, qualia pij & Catholici solent administrantes Sacramenta: sed Spiritussanctus ibi non est efficax: nam dæmones etiam dixerunt: Iesu Nazarene, scimus quia tu es filius Dei, Marc. 1. Lucæ quarto, & Petrus quoque inquit: Tu es Christus filius Dei viui, Matthæi 16. sed tamen dæmon inculpatur, & mandatur illi vt taceat, licet vera & bona verba dixerit, quia ipse non in Ecclesia, vbi Deo placet cultus, & Spiritussanctus est efficax per verbum suum: ideoque omnes hæretici fugiendi sunt.

CREDO REMISSIONEM peccatorum.

CAPVT XXXXIIII.

ARGVMENTA.

1. *Quomodò quis perueniat ad istum articulum, vt eum credat, nempè remitti nobis peccata.*
2. *Quæ sint sigilla, vt certus sim de remissione peccatorum.*
3. *Quòd fides de remissione peccatorum tunc vera est, quandò habet adiunctam pœnitentiam.*

1. PRimò, si quis vult peruenire ad fidem istius articuli quòd credere possit remissionem peccatorum suorum, oportet primò omnium opera Christi considerare & ponderare, nempè quare natus, passus, resurrexit, cœlos ascendit, Spiritum sanctum misit, & statim scriptura occurrit prophetarum & Euangelium, quia propter peccata nostra mortuus est, & quòd resurrexit propter iustificationem nostri, Romanor. quarto: Non enim venit gratis Christus in mundum, Galat. secundo, aut talia passus est sine fructu: nec pater gratis dedit nobis filium talem, ne nostro merito, Ioan. tertio: sed vt viueremus & saluaremur per ipsum. Totum ergo Christi officium fuit, labor, ærumna ac passio, vt nobis hic fructus, scilicet remissionis peccatorum, accresceret. Omnium igitur operum Christi fructus, est remissio peccatorum: propter hunc descendit de cœlis, & incarnatus est, vt nos reconciliaremur Deo, Roman 5. Necesse est igitur antè omnia opera bona tua, Christum per fidem appræhendere, & credere quòd propter merita passionis Christi nobis donatur remissio peccatorum, vita & salus: Nam Christi passio causa est remissionis peccatorum, non tua conditio, licet penitentia & fides exigatur à te, & quidem necessario oportet adesse, non tamen sunt causa, fons & origo remissionis, sed misericordia Dei propter meritum Christi: huic Christo perhibent testimonium omnes prophetæ, remissionem peccatorum accipere propter nomen eius, Actor. 10. Igitur si vis verè credere remissionem peccatorum, primùm, respice Christum, & illius opera pondera, quare facta sint: non tua opera vel dignitatem vel conditionem primò respicias, sed cognita Dei beneficentia, per Christum nobis oblata, dole de peccatis perpetratis, cessa peccare, humiliare coram Deo, vt tui misereatur pro-

pter

pter Christum filium suum, & tibi quoq; suum distri buat beneficium. Quòd si ad tua opera & conditionem respexeris, nunquam certus eris de remissione peccatorum, neq; ex corde credere potes, quòd omnia tua opera sunt imperfecta: at considerato Christo, verè apprænditur & creditur remissio peccatorum: non igitur longa peregrinatio, aut alia id genus opera te certificant de remissione peccatorum, sed Christus, licèt in alium finem hæc opera nõ sunt reiscienda.

Secundò, quoniam Deus non vult coli dubitante conscientia, vt certus esset homo de remissione peccatorũ, nec dubitaret, apposuit Deus suę promissionẽ quòd nostrî vult misereri, & remittere peccata propter fidem in Christum, Ioan. 3. duo sigilla: primum est scriptura sacra, cui est impossibile quòd mentiatur, eò quòd os Domini ita locutum est, qui est summa veritas, Ioan. 14. Esa. 53. Posuit super illum omnia peccata nostra, Ephes. 1. Per Christum habemus redemptionem per sanguinem ipsius remissionem peccatorum, iuxtà diuitias gratiæ suæ Romanor. 5. iustificati sanguine ipsius, & Actorum 13. Per hunc Christum annunciatur vobis remissio peccatorum, & ab hominibus à quibus non potuistis per legem iustificari: per hunc omnis qui credit, iustificabitur: totà enim scriptura testis est, probans & testificans, quòd certò per fidem in Christum acquirimus remissionem peccatorum: & vt ea certa sit, à nobis & nostra dignitate operum vel iustitia transfertur in Christum, vt certi simus quòd propter illum Christum, qui est tota iustitia, remissionem consequamur, Roman. 4. Ideò ex fide, vt promissio sit firma. Qui ergo scripturę non credit, Deum mendacem facit: est igitur primũ sigillum certitudinis de remissione peccatorum scriptura, vbique Christum testificans esse causam remissionis peccatorum credenti. 2.

Alte-

rum ſigillum remiſſionis, baptiſmus eſt, in quo pactum tecum fecit Deus, vt quoties ab illo petieris misericordiam, quòd tibi illam propter Chriſtum vult exhiberi, non ſemel aut bis, ſed ſeptuagies ſepties, Mat. 28 & tu homo iterum pactus es cum Deo, quòd velis eſſe ſubiectus illi, & renunciare diabolo, viuere & ſeruare illius præcepta, & non ſathanæ: ideò dicit Apoſtolus Rom. 6. Quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis: illi profeſſionem feciſtis, ecce alterum ſigillum habes, ſcilicet baptiſmum, quod teſtificat, quòd Deus tibi velit eſſe miſericors propter Chriſtum. At inquis: Ego pactum meum nõ ſeruaui, ergo nec Deus ſuum pactum & promiſſum ſeruabit. Reſpondetur, Non eſt Deus ſicut homo: ſcriptura teſtatur, quòd verax eſt in æternum. Rom. 3. Ioan. 3. & quòd impoſſibile eſt Deum poſſe mentiri, Hebræ. 6. Ideò Deus non mutatur, ſed ſemper manet verax & ſibi conſtat. Quare vſq; ad diem mortis tuæ ſtat pactum ex parte Dei, & ſi tu cecidiſti, attamen, Deus & eius promiſſio atque baptiſmus adhuc ſtat: modò tu ſolùm redeas per pœnitentiam, reconciliare Deo, & confirmabitur priſtinum & primum pactum baptiſmi: redi ad fœdus, ad pactum, & conſequeris certò remiſſionem. Baptiſmus ergò ſignum eſt, quòd certa ſit remiſſio peccatorum.

3. Tertiò, hoc quoque cum magna diligentia notandum eſt quòd Chriſtus ſemper nectit pœnitentiam & remiſsionem, Luc. vltim. Marc. 1. vbi vult quòd fides remiſſionis nulla eſt, vbi non quoq; eſt pœnitentia, ceſſatio à peccaiis, & bonæ vitæ conuerſatio. Non omnis qui dicit, Domine Domine, introibit in regnum cœlorum, Matt. 7. Quare carnales illi qui ſine pœnitentia & ceſſatione à vitijs, iactant fidem remiſſionis peccatorum: illi errant, & non conſequuntur eam: at etiam illi qui putant conſequi remiſſionem propter ſuam dignitatem, merita & iuſtitiam, & non

propter

propter Christum, errāt similiter: media ergo via tenenda est, quòd fides quæ habet secum pœnitentiam, illa accipit remissionem peccatorum. Quæ remissio quia creditur & certa est propter Christum, ideò nemo debet desperare in peccatis, sed credere remissionem peccatorum.

CREDO HUIUS CARNIS resurrectionem.

CAPVT XXXXV.

ARGVMENTA.

1. *Undè vera fides resurrectionis nostræ acquiritur.*
2. *Quomodò fiet resurrectio mortuorum.*
3. *Quomodò corpora beatorum decorabuntur quatuor donis æternæ gloriæ.*

FIdes resurrectionis non à ratione aut lumine naturę nostrę vel libris philosophorum & Poëtarū petenda & quęrēda est, sed à verbo & potentia Dei: verbū enim Dei vtrunq; prędicat. Primū, quòd sit omnipotens Deus Ex. 15. Omnipotens, nomen eius. Luc. 1. Apud Deū non est impossibile vllum verbū. Si enim Deus sua omnipotentia potuit de nihilo creare omnia, & hominē formauit de limo terrę, & inspirauit in illum vitam, Gene. 2. ergo eadem omnipotentia poterit & corpora ac cineres mortuorum restituere ad vitam & resuscitare: & deindè quòd Deus hoc velit facere, nempè resuscitare nos & corpora nostra, vbiq; testatur scriptura, Ezech. 37. Ecce ego aperiam sepulchra vestra, & educam vos de sepulchris vestris, id est, euocabo: & Daniel. 12. Multi qui in pulueribus terrę quiescunt & dormiunt, ex- 1.

citabuntur: alij ad vitam æternam, alij ad confusionem. & Iob 19. Scio quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum. & Christus defendit hunc articulum Matth. 22. ex verbis Exod. 3. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus Deus mortuorum, sed viuentium, & Ioan. 6. inquit. Hęc est voluntas patris mei, qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Et quoniam natura hoc difficile credit, ideò Apostoli & maximè Paul. multum laborabant in probatione istius articuli. 1. Cor. 15. Sicut per vnũ hominem venit mors, ita quoq; per vnum hominem, id est, Christum, venit resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo &c. Roman. 8. Si spiritus illius qui suscitauit Iesum à mortuis, in vobis habitat: ille Spiritus qui Christum excitauit, & mortalia corpora vestra viuificabit propter illum, cuius Spiritus in vobis habitat. Clarus est hic articulus in scripturis noui testamenti ac veteris. Nam Christus multos excitauit mortuos, sicut viduæ filium, Luc. 7. filiam archisynagogi, Matth. 9. Lazarũ, Ioan. 11 & Apostoli & alij sancti excitarunt mortuos ad probandum hunc articulum fidei: ideo ex verbo Dei, cui credere debemus, Deus enim non mentitur, immò hoc impossibile est, Heb. 6. fidem resurrectionis probant, & ex potentia illius, quoniam omnipotens: & hęc ratio est, cur gentiles negant resurrectionem, quia non credunt verbo Dei, aut quòd Deus sit omnipotens. Fides ergo resurrectionis est ex verbo Dei & exemplis, & non à natura.

2. Secundò, quomodò fiat resurrectio mortuorum, Apostolus 1. Cor. 15 ait: Canet enim tuba, & tunc in ictu oculi (plötzlich) omnes immutabimur, non omnes dormiemus, quia aliqui erunt residui in aduentu

uentu Domini, qui non sunt sepulti vel mortui: omnes tamē immutabimur, quia oportet hoc corruptibile, id est, verwesenlich/ induere incorruptibile, & mortale hoc corpus induere immortalitatem, & tunc implebitur sermo prophetę Oseæ 13. Mors absorpta est in victoria, vicit immortalitas mortalitatem in Christo, id est, propter Christum: ergo vbi nūc est mors tuus aculeus, id est, peccatum? quia stipendiū & aculeus peccati est causa mortis, Roman. 6 Sed Deo gratia, iam habemus victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Sic in ictu oculi in resurrectione omnes immutabimur. Surgent mortui incorrupti, id est, integris corporibus: & qui adhuc viuēt, morientur prius, & immutabuntur cum cæteris de mortalitate ad immortalitatem. Insuper de illis quos viuos adhuc reperiet in terris aduentus Christi inquit Apostolus 1. Thess. 4. Nos qui viuimus & residui manemus in aduentu Domini, non prȩueniemus eos qui dormiērunt, sed primò ipse Dominus in voce tubæ & voce archangeli descendet de cœlo: & tunc mortui in Domino resurgent primi. Deindè nos qui viuimus & residui sumus, simul rapiemur cū illis in nubibus obuiam Domino in aëra, & sic semper cū Domino erimus, scilicet electi post acceptam & auditam sententiam Mat. 25. Venite benedicti patris mei, possidete regnum &c. At inquis: nunquid & mali resurgent? maximè. Scriptura enim testatur generalē resurrectionem bonorū & malorum, sed cū magna differentia; Boni enim ad gloriam, sed mali ad æternam damnationē. Sic inquit Christus Ioan. 5. Venit hora & nunc est, quandò omnes qui in monumentis sunt, audient vocē filij Dei: & procedent, qui bona fecerunt, ad resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, ad resurrectionem iudicij. Sic 2. Corint. 5. Oēs manifestari oportet antè tribunal Christi, &c. hic nihil est disputandum de hominibus, quomodo

in terra corrupti sint, vt quidam à bestijs deuorati, quidam cōbusti, submersi, &c. Sed hîc potiùs omnipotentia illa diuina consideranda est. Nam si ex nihilo potuit creare Deus omnia, multo magis ex pulueribus vel ossibus resuscitare & viuificare poterit omnia atq; reparare: ideò consolatur suos Christus, inquiens Matt. 10. Nolite metuere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere &c.

3. Tertiò, Apostolus 1 Cor. 15. docet, quomodo corpora electorum decorabuntur quatuor dotibus æternæ gloriæ, id est, quas habebunt beati in gloria æternaliter. & primò inquit, sicut stella differt à stella in claritate, sic erit in resurrectione mortuorum. Secundò, corpus seminatur corruptibile, sed resurget incorruptibile. Tertiò seminatur in ignominia, id est, miser in terra perit aut sepelitur: sed resurget in gloria, id est, **herꝛlichkeit.** Quartò, seminatur in infirmitate, & resurget in virtute: seminatur corpus naturale, id est, materiale, & resurget spirituale. Summa, his quatuor dotibus ornabuntur iuxta Apostolum corpora beatorum in resurrectione: hoc est, **werdē sein hell vnd klar/ vnsterblich vnd ewig/ subtil vnd herꝛlich/ starck vnd gewaltig.** Et dat exemplum: Insipiens tu, nō viuificatur quod seminas, nisi prius moriatur. Sic Christus de grano tritici Ioan. 12. Sic lucent in gloria electi sicut sol, Matt. 13. id est, postquā fuerint ornati his dotibus: exemplum quatuor horum habetur etiam in sole, qui clarus, subtilis, potēs & perpetuus est vsque ad finem. Malorum autem corpora erunt obscura & deformia, non clarificata, attamen immortalia ad damnationem æternam. Certò ergo credere debemus huius carnis nostræ futuram resurrectionem, & quòd cuiusque corpus proprium resurget.

CREDO

CREDO VITAM æternam.

CAP. XXXXVI.

ARGVMENTA.

1. *Vndè habeatur pro certo, quòd vita sit futura æterna.*
2. *Quid sit propriè vita æterna.*
3. *Quomodò vita æterna differat à morte æterna.*

QVod credimus esse vitam post hanc, nō aliunde probare possumus, nec ex ratione naturali, aut libris Philosophorū, qui plerunque in hoc certant & dubitant, sed ex dictis Christi & scripturis sacris, & nisi hìc petatur cōfirmatio fidei istius articuli res vana erit: ideò ex verbo DEI confirmatur fides istius articuli. Sic inquit Daniel 12. Euigilabunt alij in vitam æternam, &c. hìc nominat vitam æternam. Et Psal. 21. Laudabunt Dominū qui requirunt illum: viuent corda eorum in seculum seculi Esai. 65. Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erūt in memoria priora, & non ascendent super cor, sed gaudebitis & exultabitis vsq; in sempiternum in his quæ ego creo. Et Christus Ioā. 3. Sic pater dilexit mūdum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternā. & Ioan. 5. Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit & credit ei qui misit me, habet vitā ęternam, & in iudicium non venit, sed transiet à morte in vitam. Ecce magna & ingens promissio æternę s. vitę fit propter Christū, non est hic promissio de auro vel argento, aut de mundi pompis, sed de ęterna vita & societate angelorū: multò igitur magis amplectenda est hæc vita æterna, quàm temporalis momentanea. 1.

Plerique veteres solebant olim parietibus insculpere: considera æternitatem. Sic Apostolus ad Tit. 1. nominat se Apostolum Iesu Christi iuxta fidem electorum, per quam habemus spem vitæ æternę. & 1. Thes. 4. inquit, semper cum Domino erimus: his scripturæ locis oportet dare fidē, & nullatenùs dubitare, & sic confirmatur fides huius articuli de vita æterna.

2. Secundò, quid sit vita æterna, nunc tractemus. Est autem vita æterna cognitio Dei & Domini nostri Iesu Christi, quæ hîc in fide & certissima spe in spiritu incipit, & manifestabitur post hāc vitā in æterno gaudio & felicitate. Sic inquit Christus Ioan. 17. Hęc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. per hanc agnitionem qua agnosco Deum patrem omnipotentem, vt creatorem corporis & animæ, & datorem bonorum omniū: deindè, qua agnosco Christum filiū Dei vt meū redemptorem: postremò, quòd Deum Spiritum sanctum agnosco, vt meum sanctificatorem & illuminatorem: in tali igitur agnitione Dei incipio viuere in Spiritu & in fide, & in tali fide viuit iustus, Abakuc 2 hîc in præsenti vsq; post hanc mortem, tunc in re apertè incipiet vita æterna in gaudio & felicitate ex clariore intuitu & cognitione Dei. Nam summa felicitas est atque erit, intueri Deum facie ad faciem. Quòd si quis rātoperè delectatur, si viderit amœnissimam picturā, vel audiat dulcem harmoniam: quanto maior erit suauitas, intueri Deum, summum bonum, summū pulchrum? Est igitur vita æterna aliud nihil, nisi perpetua iustitia, perpetua sanitas, perpetuum gaudiū, perpetua delectatio, & satietas omniū rerū, ita ꝙ animus nihil ampliùs petat. Psal. 16. satiabor cùm apparuerit gloria tua. Possumus quidē dicere quòd sit vita æterna, sed perfectè explicare quid sit non possumus: nam dicitur Esai. 64. & 1. Cor. 2. quòd oculus non viderit, nec auris audiuerit, nec in cor hominis

hominis assenderit, quæ præparauit Deus diligentibus se &c. hoc autem scimus ex scripturis, quòd ibi non erit mors, neq; dolor, neq; tristitia, neq; fames, neque sitis, neque frigus, neque calor, &cæt. Esai. 25. Apocalyps. 21. ibi erunt electi fulgentes, sicut Sol, Matthæi 13. & sicut Angeli Dei non nubentes, Matth. 22. ibi erunt variæ mansiones, Ioan. 14. Secundum quod quisque fecerit, habebit suum præmium. 1. Cor. 3. ibi nō erit Sathanas, peccatum, mors, aut infernus, nec tribulatio, sed æterna lux & claritas in vera cognitione Dei, atque æternum gaudium & felicitas. Igitur Apostolus ad Roman. 8. inquit: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriā, quæ reuelabitur in nobis. Ex his omnibus agnoscimus immensam Christi gratiam & charitatem erga nos, qui, vt hæc haberemus, & æternam felicitatem, & vitam acquirere possemus, venit in mundum, & mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter iustificationem nostram, Roman. 4.

Tertiò, mors æterna dicitur damnatio perpetua malorum. Mors naturæ etsi interfecerit sanctos Dei, Christus tamen ipsis reddit vitā æternam, sicut Ioan. 8. Amen amen dico vobis, qui sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Et Ioan. 11. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. Pœna autem damnatorū perpetua est, sicut Christus vocat ignem ęternum, Matth. 25 & Matt. 3. Ioannes vocat ignem inextinguibilem, & Esai. vlt. dicitur: Vermis illorū nō morietur, id est, accusatio & terror conscientię de ira Dei: & ignis nō extinguetur. Eandemque sententiam Christus ipse Marc. 9. propè de verbo ad verbum repetit. Differunt ergò vita & mors æterna, nō in æternitate, quia ambo ęterna, sed in gloria, gaudio, & felicitate, atque pœna, terrore & luctu: nam ibi erunt tenebræ exteriores, vbi est fletus & stridor dentium, Lucæ 13. Augustin. Sermone 109. de tempore: 3. Matt. 8. 3., 22. 24. 15 2

tempore: Expectamus, inquit, ergò ipsam vitam æternam. adhuc enim non totum corpus accepit, caput quidem in cœlo est, id est, Christus: membra adhuc in terra sunt: nec caput solùm accepturum est hæreditatem, & corpus relinquetur: totus Christus accepturus est hæreditatem, id est, vitam æternam: totus secundùm hominem, id est, caput & corpus, membra autem Christi sumus: & hæreditas veniet, cùm ista omnia transierunt: hoc bonũ accepturi sumus quod non transibit, & hoc malum euasuri quod non transibit: quia quæ promisit Deus in futuro, æterna sunt, vt vita æterna, ignis æternus. Amemus ergò quod promisit, & timeamus quod minatur. Amen. Hæc Augustinus.

FINIS
LIBRI SECVNDI.

CATE

CATECHISMI DN. CONRADI CLINGII, LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

ARGVMENTA.

1. *Quomodò nos disponere debeamus ad mortem.*
2. *Quæ facere debeamus lecto decumbentes.*
3. *Quid amici & propinqui faciant mortuo.*

APOSTOLVS inquit ad Hebr. 9. statutum est hominibus semel mori, ideò nemo illam fugere potest, quia omnes sumus peccatores: propter stipendium peccati ad omnes veniet, sicut Apostolus ait Rom. 6. stipendium peccati mors. & quoniam nullus mortalium euitare potest mortem, non itaq; nimiùm deplorare, neque nimiùm timere debemus mortem, quia est irreuocabilis. Magis ergò studere debemus, vt nos rectè disponamus ad mortem. Hoc autem fit primò sic, vt moriamur diuitijs, pompis, possessionibus, & illa ita ordinemus, vt posteri nostri siue hæredes pacem habere possint, vtq; animum nostrum ab illis penitùs abstrahamus, illa libenter relinquendo propter Deum, habentes verba Pauli in memoria, 1. Tim. 6. Nihil intulimus in hunc mundũ, nihil hinc auferre possumus. Retrahere igitur debemus corda nostra ab amore diuitiarum & rerũ nobis in mundo placentium, & libenter mori: ab his enim quã longissimè animo recedere, Deo maximè placet. 1.

Quare

Quare prima dispositio ad mortem est, vt animũ siue cor nostrum à bonis temporalibus abstrahamus, & illis propter amorem Dei valedicamus, credentes firmiter nos multò meliora bona accepturos in vita futura, quàm hęc sunt quæ relinquimus: immò centuplum accipiemus Matt. 19. & Luc. 19. Sic disposuit se Iob ad mortẽ, ca. 1 inquiens, Dñs dedit, Dñs abstulit, sic vestimẽta Christi diuiduntur Mat. 27. Deindè moriamur odio & affectione erga proximum, remittẽdo illi omnẽ offensam, & precando optima à Deo, sicut Christus fecit in cruce, Luc. 23. Pater, dimitte illis, q̃ nesciunt qd faciunt. Hic gradus altior est priori, nẽpe vt quis moriatur, à vindicta proximi qui eum lęsit. S. Stephanus flexis genibus orat p̃ lapidãtibus se Act. 7. hîc cogitare oportet, quòd si volimus vt Deus remittat nobis nostra debita seu peccata, antequàm moriamur, certè & nos dimittere debemus debitoribus nostris, id est, qui nos offenderunt, suã offensam: deindè, quòd omnes sumus fragiles & peccatores, q̃ tu q̃oq; alium potueris offendere: remittemus igitur, & Deus nostra remittet peccata propter suam misericordiam. Si enim non vult munus sibi offerri ad altari, nisi reconciliato priùs fratre, Matt. 5. nec animam tuam suscipiet, si emigrauerit in odio erga proximum. Postremò debemus libenter Deo offerre animam nostram, dicendo: Ecce, mi Deus, dedisti mihi animam: id donum tuum est: quandò volueris hoc repetere, fac: ego obediam libenter & ex corde: etsi dulce est à natura viuere, attamen non mea, sed tua voluntas fiat, &c. Sic fecit Christus Mat. 26. in horto: is gradus est supremus: & hęc dispositio in tota vita durare debet, vt paratus sis cedere diuitijs, mundo, delitijs, odio, ac reliquis naturalibus p̃pter Deũ: semper enim hęc clausula addenda est, propter Deum, August. inquit: Sit bona vita, nec mala esse poterit mors, hęc dispositio præcedet infirmitatem & mortem.

Secun-

Secundò, dùm lecto decumbimus, primùm fiteri debemus peccata nostra quæ occurrunt, sicut atropius in cruce confitebatur publicè, dicēs ad socium: Nos quidē iustè & meritò pro factis nostris pœnā accipimus, hic autē nihil mali gessit, Luc. 23. Debemus igitur per Decalogum confiteri præceptorum Dei transgressiones & peccata: Deindè proponere in animo solum Christū, & cogitare cur sit passus tam crudelem mortem, & credere scripturę Esa. 53. Posuit super illum iniquitatē omniū nostrûm. Et Rom. 4 Mortuus est pro peccatis nostris: his scripturis firmissimā fidem adhibere oportet: & sic cogitare & dicere in corde, Ecce Deus meus, quia dedisti mihi filium tuū in saluatorem, de quo maximè gratias ago, ideò non curo (quanuis doleo) peccata quæ feci à sinistris, nec bona opera quæ feci à dextris: solùm illum Christū fide teneo, propter illum rogo ô Domine Deus, vt dimittas mihi peccata, & dones vitam æternam, sicut promisisti in illum credentibus, fac vt eius mors sit vita mea. Ioan. 11 illius iustitia sit mea contra peccatum, illius sapientia sit mea contra astutiam Sathanę, illius sanctitas sit mea contra infernum, illius redemptio mea sit contra mortem æternam, 1. Cor. primo. Postremò, cùm tali fide se infirmus armauerit, tunc debet sumere Sacramentum Eucharistiæ in signum firmissimę fidei, quòd credit propter hunc effusum sanguinem & corpus traditum in mortem, se recepturum remissionem & vitam æternam, Matt. 26. vt in virtute & merito solius passionis Christi velit mori, & sic in manus Dei commendet spiritum, id est, animam & vitam suam, vt nunc Deus faciat secundùm suam voluntatem, eò quòd iam oculis fidei vidit salutare Dei, id est, Christum. Insuper propter orationem proximorum & maximè sacerdotis, quia scriptura dicit Marc. sexto. Vngebant eos oleo, & Iacob. quinto. Si infirmatur quis in vobis, introducat

ducat presbyteros, vt orent pro eo, &c. non est negligenda vnctio extrema vel contemnenda: non respicias ad vnctionem, sed orationem sacerdotum: hæc enim potissima ratio est vnctionis: nam tu oras & credis in Christum, orat sacerdos & cęteri, & sic fit quòd impossibile sit multorum preces non exaudiri: qui ergò contemnit vnctionem, contemnit orationem propter quam potissimũ vnctio est instituta. Est quoque hîc promissio, scilicet, Et oratio fidei saluabit infirmum, &c.

3. Tertiò, defuncti illius proximiores sedulò curabunt hæc duo: primò, vt defunctus honestè sepeliatur: deindè, vt pro anima defuncti exoretur: hæc duo sunt fructus fidei & dilectionis, quia credimus hunc defunctum iterùm nobiscum secundùm corpus resurrecturum, & cum Christo viuere in æternum, eò quòd talis defunctus etiã credidit promissioni Christi, Ioan. 11. Ego sum resurrectio & vita qui credit in me, &cęt. Honesta enim sepultura quę fit propter articulum resurrectionis carnis, Deo placet, sicuti commendantur sancti viri, Tobias, Abraham, qui honestè sepelijt Saram vxorem suam, Genes 23. Et Isaac cum Ismael sepeliuit Abraham patrem Gen. 25. Et Iudæi corpora mortuorum cum magno honore sepelierunt, vt Luc de viduæ filio, & Christus honorificè sepelitur Ioan 19 vnde Deo plurimùm placet honesta sepultura, quam ideò facimus, quia credimus verbo suo, nempe fore carnis resurrectionem & vitam æternam. Ideò tradit scriptura fore vnam de maledictionibus pessimis inhonestam sepulturam, 4. Reg 9. de Iezabel, quam deuorârunt canes, & de falsis prophetis inquit Iere. 14. quòd non habebunt qui eos sepeliãt, immò communiter comburũtur, aut in aqua suffocantur. & cap 22. de tyrannis inquit, Sepultura asini sepelientur. Ideò Dauid benedicit illis qui ossibus Saulis & Ionathæ fecerũt misericordiã, 2. Reg 2. &pte.

& peccatrix laudatur bono opere, quæ vnxit Christum ad sepulturam, Matth. 26. Per honesta igitur cœmeteria conscientia ornatur, & quandò in illis ad orationes conueniunt Christiani, & orant pro mortuis. Deindè viuentes debent mortuos iuuare orationibus & eleemosyna: Hoc enim pia fide tenet Ecclesia, suffragia fidelium prodesse mortuis: Nec aduersarij solida scriptura reclamare possunt, nisi qđ in odium cleri faciunt. At omnes ferè doctores, Cyprianus, Augustinus, &c. plurimùm tribuunt suffragijs, & scriptura dicit quòd sit sancta & salubris cogitatio pro defunctis exorare &c. 2. Machab. 12. Sed pro animabus infidelium vt Iudęorum, & non baptizatorum, desperatorum, & impœnitẽtium non oramus. hoc enim scriptura prohibet, 1. Ioan 5. Est peccatum ad mortem: non dico vt quis pro illo oret &c. atque vel ex hoc loco scripturæ argui potest à cõtrario, si non orãdum est pro infidelibus, ergò pro fidelibus orandum est: sed multa argumenta & appariciones probant efficaciam orationis pro defunctis.

CAPVT II.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit propriè scandalum.*
2. *Quam graue peccatum sit coram Deo, scandalizare proximum.*
3. *Quòd scandala præbentes, rarò ad pœnitentiam redeant, & ægrè saluentur.*

SCandalũ est offensio, quo animus proximi alteratur & incitatur ad imitationẽ peccati alterius: & hoc fit vel fidei doctrina, vel vita, vel opere. Fide cõmittitur scandalũ, si falsa doctrina & opinio 1.
etronea seminatur, vbi proximus in fide offenditur,

qui antè rectè credidit. Iam aũt offenditur & pertuſa batur in hoc, quod dudùm credidit, ſicut de Sacramentis, quòd tãtùm tria debent eſſe, & quòd parvuli non debeãt baptizari: deindè quaſi Deus nullũ opus bonum reſpiciat, & ſic aperitur feneſtra liberiùs peccãdi. Inſuper mutare cæremonias ſine neceſſaria cauſa, quæ licet non iuſtificent, ad finem tamen politicum, nẽpe honeſti ordinis in Eccleſia, ſeruatæ, nihil prorſus officiunt. Sic ſunt quoque noua gloſſemata ſcripturæ & annotata, non ad catholicorũ intellectũ, ſed potiùs dãnatorum, & carnaliũ authorũ: quod eſt contra Apoſtolũ Heb 13. qui dicit, Peregrinis doctrinis nolite abduci. Contra eiuſmodi ſpiritualia ſcandala iuſſit nos Chriſtus audire Eccleſiam Matt 18. & 11. inquit, Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me. Quorumcunque igitur doctrina non eſt conformis Eccleſiæ & fidei Catholicæ, non ſunt audiendi. Rom. 12. Si quis habet prophetiam, &c. & Deut. 13 dicitur: ſi tibi aliquis voluerit perſuadere &c. notantur falſi doctores, quare præceptum eſt ibi, non particularis alicuius perſonæ doctrinam nos probare debere, ſed communem audire Eccleſiam: iubemur etiam particularium hominum ſeu doctorum ſpiritus probare, an ex Deo ſint, 1. Ioan. 4. Deindè ſcandalum in facto ſeu vita committitur, ſi quis turbauerit publicam pacem non obediendo magiſtratui, ſicut Chriſtus dicit ad Petrũ Matt. 17. vt daret tributũ ne ſcandalum committeretur. Sic ebrioſi, irreligioſi, raptores, adulteri & id genus inutilium hominũ, ſcandalizant tam eos qui extra Eccleſiã ſunt, i. infideles, quã eos qui ſunt in Eccleſia, probos ac pios Chriſtianos. Atq; ſic aliquis temerarius eſt, reprehendendo Cæremonias & ordinationẽ Eccleſiæ: alius ſe opponit Magiſtratui, alius veſcitur carnibus ex petulantia in quadrageſima, & proximum ad imitandũ prouocat: inquit enim Apoſtolus 1. Cor. 8. Si eſus carnium ſcandalizat fratrem

&c.

&cæt. alius temerè frangit vota religionis, alius nubit contra leges, &c. atq; sic læditur conscientia proximi in huiusmodi factis & operibus. Tale quoque scandalum committitur verbis contumelijosis, maledictionibus, item vestimentis luxurijosis, cantilenis turpibus, & cęteris similibus mundanis operibus, quibus simpliciores Christiani seducuntur.

Secundò, quàm graue sit peccatum, scandalizare proximũ in fide aut facto aliquo, Christus primò exprimit, Matt. 18. dicẽs: væ mundo à scandalis, necesse est enim venire scandala, s. vbi non est timor Dei, nec obedientia superiorũ, i. quandò non timent introducere nouos errores, vel contemnunt superioritatẽ à Deo institutã, Rom. 13. necesse sequitur illos facere & excitare scandalum: sed vę homini per quem scandalum venit: melius esset illi, vt ei appenderetur mola asinaria in collo. &c. Sed dicis, quòd si res tam mala est scandalum, cur ergò Deus permittit? Respond. 1. Cor. 11. vt hi qui probati sunt inter Christianos, manifesti fiant: ideò Deus permittit fieri varia scandala, sed tamen væ illis qui ea committunt. Insuper differunt, scandalum præbere, & accipere: Scandalũ præbet, qui sua proteruia, aut falsa doctrina, aut flagitioso facto offendit conscientiam proximi: sed accipere scandalum, aliud est. Iudæi enim, dum Christus prædicatur crucifixus, hoc pro scandalo habent, gentes autem pro stultitia, 1. Corint. 1. Sic si mali aut aduersarij scandalum accipiunt de veritate dogmatum Ecclesiæ, siue de cæremonijs & ritibus atq; alijs, relinquendi sunt, & permittendi in suo scandalo: veritas Ecclesiæ illis non præbet scandalum, quare nec propter ipsos veritas est relinquenda: vincit enim veritas &c. Et quoniã scandalum graue est peccatũ, iubet Christus Matth. 18. vt nullius amici respectu quis consentiat in scandalũ: ob id inquit: Si oculus tuus, i. pater, mater, soror, &cæt. quam diligis sicut oculum

tuum, aut si manus tua vel pes te scandalizant, i. pro. pinquiores amici, & alij fautores, proijce abs te: me. lius est enim tibi, in cœlum ingredi &c. sine huiusmo-
3. di amicis quàm in gehennam proijci & cæt.

Tertiò, quoniam scandalum est graue peccatum, ideò etiam horribiliter punietur, & communiter hic obdurat hoc peccatum eos, quòd vix permittit illos Deus ad pœnitentiam redire, sicut Ezechiel. tertio dicitur de pastore negligente oues, aut scandalizante illas falsa doctrina, scilicet quòd omnium sanguinem è manu sua requisiturus esset DEVS. Sic citat Gerson parte 2. in sermone de pœnitentia Berengarij, qui dixerat in die Epiphaniæ: Hodiè apparebit mihi Dominus ad salutem, quòd doleo errorem meum quem seminaui: vel veniet mihi hodiè Christus ad iudicium & damnationē propter illos, quos falsa mea doctrina & persuasione errare feci & scandalizaui, nec iā illos reuocare possum, qui in tali errore obierunt &cæt. Ipsius autem error erat idem, qualis Vuiclefi de Sacramento Eucharistiæ, sed postea reuocauit illum. Vndè patet, quàm periculosum sit ne prædicando scandalizemus aut errare faciamus animas simpliciorum: nam omnium ouium istarum sanguinem Dominus de manibus falsorum prædicatorum requiret æternaliter. Ideò iubet Apostolus Timotheo, vt sanam doctrinam doceat, 2. Timot. 2. Et quia hoc tam graue est peccatum, rarò compertum est hæresiarchas fuisse conuersos, sed obstinatos in errore suo fuisse mortuos aut combustos: miserè enim perierunt hæretici, Arrius, Iulianus apostata, Nouatus, Donatus, &cæt. quoniam difficillimè conuertuntur, ideò scriptura iubet eos vitari, quia subuersi sunt, ait Tit. tertio, & dati in reprobum sensum, Roman. 1. & sermo illorum ad impietatem proficit, & vt cancer morbus serpit, 2. Tim. 2.

CAPVT

CAPVT III.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit Ecclesia vera, & quid solo nomine.*
2. *Qui sint ministri Ecclesiæ.*
3. *Quæ Christus contulit Ecclesiæ suæ, vt habeat certo vsq; ad consummationem seculi.*

HOC nomen, Ecclesia, significat congregationem omnium qui profitentur se Christianos, & non sunt excommunicati, & sic sunt boni & mali, id est, adulteri, fures, mēdaces, vsurarij, &c. de numero Ecclesiæ, Matt. 13. *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, &c.* Sed propriè & verè est Ecclesia Christi, congregatio iustorum, qui verè credunt in Christum, & sanctificantur spiritu Christi, de qua Ecclesia dicit Apostolus Ephe. 5. Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt esset gloriosa sibi Ecclesia, non habens maculam aut rugā, sed vt sit sancta & immaculata. Ex quo sequitur primò, quòd illa congregatio iustorū, est spiritu conuncta in fide Christi per totum orbem, vbicūq; sunt sancti fideles: ob id Ecclesia dicitur Catholica, i. vniuersalis in spiritu: nō eñ alligata est vni loco, aut certis cęremonijs: Marc. vlt. Ite in mundum vniuersum. Deindè licet plurima vitia & crimina regnāt in mundo, semper tñ sunt aliqua mēbra bona, aliqua admixta malis, vt vix conspici possint: vndè fit aliquandò vt illi qui putant se esse intra Ecclesiā, intra eam non sint: & qui sunt infimi, sint aliquādò nobiliora membra. crescit enim inter triticū zizania. Vera aūt membra cognoscūtur esse, quę audiunt & custodiūt verbū Dei. Qui Sacramētis rectè vtuntur cū veritate & efficacia, quiq; suę vocationi respondent conuersatione Luc. 11.

1.

Christiana, illi merito suo & sanctitate in Ecclesia
Matth.7. sunt: cæteri autem sunt membra putrida, & quasi la-
bes in corpore mystico Ecclesiæ: Non omnis qui di-
cit mihi, Domine Domine, &c. Insuper Ecclesia sa-
cta & immaculata est in fide & spiritu Christi, vel in
ipso Christo sancta & iusta, quia Christus caput &
sponsus suæ Ecclesiæ sanctus & iustus &c. non sic sa-
cta est Ecclesia fideliũ, vt non habeat imbecilla mem-
bra, errores, & peccata: corpus enim infirmũ est, ideò
quotidiè orat Ecclesia, Dimitte nobis debita nostra,
&cæt. Matthæi 6. & quotidiè pater agricola purgat
palmites, Ioan. 15. & Apostolus 1. Corinth 3. descri-
bit Ecclesiam, inquiens: Fundamentum aliud nemo
ponere potest. quasi dicat, cognitio vera de Christo
manet in perpetuum, licet sint discrimina docentiũ:
alius enim supra fundamentum extruit aurum, ar-
gentum, lapides pretiosos, id est, sanam doctrinam,
opera & pios cultus à Deo mandatos: alius ligna, sti-
pulas & fœnum superædificat, hoc est, superstitiosas
opiniones & falsos cultus. Pij igitur sunt vera mem-
bra Ecclesiæ, atque Ecclesiam constituunt.

2. Secundò, Ecclesia Christi habet suos ministros &
dispensatores bonorũ Christi, quibus ornauit Eccle-
siam suã, & tales ministri sunt Papa vt superior, &
piscopi, sacerdotes, & clerici: illi sunt quidem etiam
membra Ecclesiæ, non aũt ipsi soli Ecclesia sunt, licet
de illis, quia sunt potior pars Ecclesiæ, vndè ipsa de-
nominetur. sunt ijdem & ministri Ecclesiæ 1. Cor. 4.
Sic nos existimet homo, &c. sicut eñ imperatoris &
principũ nomine dicitur. ꝙ tota Germania sic cõclu-
serit, licet solus Cæsar cũ principibus imperij hoc fe-
cerit: ita dicitur Papæ & Episcoporũ & Sacerdotũ no-
mine Ecclesiã sic statuisse, vndè dictũ Christi cum ait,
si te non audierit, dic Ecclesiæ: hoc est intelligendum,
rectoribus & proceribus Ecclesiæ, vt Chrysosto sen-
tit. Debemus itaq; obedientiam prælatis & ministris
Ecclesiæ,

Ecclesiæ, quòd sunt pro nobis rationem reddituri, Hebræor. 13. & qui illos audit recta docentes, ipsum Christum audit, cùm ait: Qui vos audit, me audit: debemus quoque illis honorem & prouisionem, sicut Apostolus 1. Corinth. 9. & 1. Timoth. 5. ex scriptura Deuteron. 25. probat & latissimè deducit, & Galat. 6. Quare quicunque contemnunt ministros Ecclesiæ, aut eorum authoritatem eleuant, hi Christum ipsum offendunt &c. & luent in inferno pœnam cum multitudine Chore & Abiron, Num. 16.

Tertiò, tribus donis decorauit Christus Ecclesiam 3.
suam: primò, vt in illa sit certa remissio peccatorum, donatio Spiritussancti, vita æterna: ideò extra Ecclesiam Christi nulla est remissio, neq; Spiritussanctus, neq; vita æterna: quare nec Iudæus nec hæreticus excommunicatus potest habere vitam æternã, quia extra Ecclesiam sunt, vbi nulla est absolutio à peccatis. Vndè 1. Cor. 5. De his qui foris sunt, iudicabit Dominus. quasi dicat, Ecclesia illis nõ distribuit sacramenta. Habet igitur Ecclesia sacramenta, per quæ certificat accipientem de gratia & remissione peccatorum. nam sic ordinauit Christus atque mandauit administrari sacramenta: propter quod mandatum Dei, valent & efficaciam habent distributiones sacramentorum, etiamsi vita & mores ministrorũ mali sint, modò ritè dispensent, nec sint hæretici, &c. Porrò Christus ordinauit & dedit Spiritum suum sanctum Ecclesiæ, vt illi assistat, & maneat apud illam in æternum, Ioan. 14. qui cùm sit Spiritus veritatis, ideò nõ facit Ecclesiam errare, & indè dicitur quia Ecclesia non errat, sed hoc non potest intelligi de omnibus membris Ecclesiæ. nam affirmat scriptura, horribiles errores in Ecclesia exorituros. Matth. 24. Surgent Pseudoprophetæ, & cætera. Igitur de pijs illis ac veris Ecclesiæ membris intelligendum, qui rectè credunt & viuunt, quos Spiritussanctus conser-

uabit etiam in exiguo numero, & hæc Ecclesia propter ipsum Spiritum sanctum dicitur columna veritatis & basis, secundùm Apostolum, & illi, vt suprà diximus, permixti sunt malis, & non videntur, nam fides non videtur: cognoscuntur tamen fideles, & in hoc Ecclesia est visibilis, vbi est vniformitas prædicationis, Sacramentorum, Cæremoniarum: homines videntur & prælati atque cætera membra. sic Ecclesia orauit pro Petro Actor. 12. licet fides tecta sit, tamen ex operibus dinoscitur. Postremò, decorauit Christus Ecclesiam suam constantia, quatenùs non deficeret à fide vsque ad consummationem mundi. Rogaui, inquit ad Petrũ, pro te, ne deficiat fides tua, Luc. 22. & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam, Matth. 16. quantumcunque Iudæi, Gentes, & hæretici illam debellauerint. Non sic constabit congregatio Iudæorum, gentilium aut hęreticorum. Stat pro nobis firma promissio Christi: portæ inferorum, id est, nec peccata vel dęmon in conscientia aut Iudæus, Turca & cæteri aduersarij, foris: hæc sunt quasi desponsalia, quibus Christus sponsam suam acceptam sibi obligauit.

CAPVT IIII.

ARGVMENTA.

1. *Quæ & quotuplex sit forma clauium Ecclesiæ.*
2. *Quibus claues sint concessæ ac mandatæ.*
3. *Inquantùm se extendant.*

1. HOc nomen, clauis, significat potestatem illã, quæ à Christo Ecclesiæ donata est, & ea potestas dicitur clauis. Nam sicut ea quæ claustris sunt obserata vel vincta, adhibita claue patẽt & recludũtur: sic conscientiæ peccata abscondita, aperiuntur & liberan-

berantur claue ſpirituali verbi Dei, ex quo habet poteſtatem ligandi vel ſoluendi, aperiendi vel claudendi regnum cœlorum. Clauis etiã dicitur ab eo, quia eiuſmodi ligatio vel ſolutio, clauſio vel apertio, nulla vi externa fit, ſed tantum verbis diuinis, quibus adhibita tanquam claue, ſoluimus vel ligamus: Clauis enim ſine vi aperit vel claudit. hæc autem poteſtas & clauis Eccleſię idem ſignificant. Porrò duplex eſt clauis Eccleſię ſeu poteſtas Eccleſiaſtica, nempè ordinis, quæ dicitur clauis conſolationis: deindè iuriſdictionis, quæ eſt clauis correctionis. Ordinis, id eſt, officij clauis, eſt poteſtas docendi Euangelium, & adminiſtrandi remiſſionem peccatorum, & diſtribuẽ di Sacramenta: & ideò dicitur clauis conſolationis, quia perturbatam conſcientiam conſolatur per prędicationem pœnitentię & fidei: & ſi quis obedîerit Euangelio, illum liberat & abſoluit: ſi quis autem cõtemſerit pœnitere, illi reſeruantur ſua peccata: hæc poteſtas fundatur Matth. 16. & 18. Ioan. 20. Altera clauis eſt correctionis ac iuriſdictionis, & eſt poteſtas excommunicandi obnoxios publicis criminibus, & rurſus abſoluendi eos, ſi conuerſi fuerint, & petant abſolutionem: & hanc formam habemus, 1. Cor. 5. vbi Apoſtolus eum qui cum nouerca peccauerat, excõmunicat, & iubet expurgari vetus fermentum, & vetat cum Fornicarijs, Auaris, Maledicis, Ebrioſis & raptoribus cibum ſumere vel habere commercium, & Chriſtus Matt. 18. iubet vt habeantur tanquam ethnici excommunicati, qui non audiunt Eccleſiam, & 2. Ioan. 1. prohibetur, ne Aue dixerimus ei qui hæreticus eſt, & noſtræ contradicit doctrinæ: nam ille qui Aue dixerit, communicat operibus eius malignis. Sic vtraq; poteſtas & clauis fit ſine vi corporali, quẽadmodum Apoſtoli neminem coërcuerunt gladio: Sed tamen leges & Canones tenent, quòd hæretici & illi qui perturbant pacem publicam, etiam armis puni-

niendi sint. Ecclesia porrò vt omnia ordine fierent, & claues rectè vsurparentur, commisit clauem ordinis tantùm simplicibus ministris & sacerdotibus: vtranq; verò clauem, Papę, Episcopis, Prelatis, &c.

2. Secundò, claues sunt in vsum & vtilitatnm totius Ecclesię traditę, vt omnes qui in ea sunt, possint absolui vel ligari. Non poterunt sic Iudæi & gentes, qui extra Ecclesiam sunt, vti his clauibus: nam quantum ad administrationem & dispensationē, non toti Ecclesię concessę sunt, sed tantū ministris, vt ijs vtantur ad vtilitatem cōmunitatis: nam illi in ordinatione sacerdotali à Catholico Episcopo accipiunt singulare donū ac potestatem dispensandi claues atq; Sacramenta: nec enim quilibet baptizatus hęc potest. Nā Apostolus 1. Ti. 4. ait: Noli negligere gratiā quæ data est tibi p impositionem manuū presbiterij siue Episcopatus. & 2. Tim. 1. Cōmonefacio te, vt fuscites donū Dei siue gratiā quæ in te est per impositionem manuū mearum: sed iam erat baptizatus Timothei, & postea impositione manuum singulare accepit donū. vndè qui hoc dono caret, etiamsi baptizatus sit, non habet potestatē vtendi claue, & Apostolus Rō. 10 inquit, quomodò prędicabūt (scilicet fructuosè) nisi mittantur? id est, ad hoc ministerium verbi per Catholicos Episcopos sint ordinati. & Matth. 25 vocatis seruis suis, dixit &c. Ergo quicunque temerè sibi hoc ministerium vsurpant, non solùm infructuosè agunt, sed etiam grauiter peccant, vt patet in Chore, Dathan & Abiron, Num. 16. cap. Insuper etsi historię testantur, in prędentia populi vel ab ipso etiam populo electos fuisse Episcopos (sed tūc cùm adhuc exiguus erat numerus Christianorum) tamē semper accessit authoritas vicini Episcopi, penès quem stabat vel recusare, vel approbare electū, & sine tali Episcoporum authoritate ac confirmatione nullus legitur officium Episcopatus egisse. Itaq; hæc res nunquam

dependit

dependit à solo populo: sed tunc Apostoli potiùs vel eorum successores, qui erant superintendentes Episcopi, constituerunt alios Episcopos ac presbyteros, non autem populus: quod expressè dicit scriptura Apostolica, vbi Paulus ad Titum, quem Episcopum fecerat in Creta, inquit Tit. 1. Huius rei gratia relíqui te in Creta, vt constituas oppidatim presbyteros, sicut ego tibi ordinâram &c. & Actor. 14. simile probatur, & sic hodiè officium Catholicorum Episcorum est, ordinare vel constituere presbyteros: & sic ordinati ab illis, legittimam habent potestatem claui um in Ecclesia.

Tertiò, claues se extendunt ad remissionem cul- 3.
pæ & pœnæ æternæ: hîc stat satisfactio Christi, qui mortuus est pro delictis nostris, Rom. 4. & posuit in illũ pater iniquitatem omnium nostrûm, sed non extendunt se ad remissionẽ pœnarũ temporalium, quę naturaliter sunt nobis inflictę & cognatę, vt fames, sitis, infirmitas, aduersitas mors &c. Nam etiã sancti his obnoxij sunt, neque se extendunt ad pœnas quas pro peccatis peculiaribus Deus infligit, sicut populus Iudaicus propter idololatriam, Exod. 32. & murmurationẽ, Nu. 21. & propter adulterium, 2. Re. vlt. de Dauide &c. Et nũc plectitur mundus pestilentijs, bellis, dissidijs ac hęresibus, propter libidinem, crapulam seu ebriositatem, adulteria, auaritiam, impietatem &c. huiusmodi pœnas non tollunt claues: mitigantur tamen orationibus, eleemosyna, pœnitentia & satisfactione, & cessatione à vitijs, 1 Cor. 11 Si nosipsos diiudicaremus &c. neq; extendunt se claues ad tollendas afflictiones sanctorũ ac varias tribulationes: nã eiusmodi non sunt pœnę pro culpis peccatorum, sed potiùs crux atq; exercitium, quo aboletur & moritur peccatum in nobis, & crescit nouitas Spiritus iuxta Apostolum, exterior homo corrumpitur, vt interior renouetur, sicut patet de Iob, Tobia, Paulo,

& alijs

& alijs sanctis. Possunt quoq; claues extendi in pœnas temporarias, debitas pro culpis peccatorum, iuxta sanctiones canonum atq; veterum Pontificum qui septennem pœnitentiam exigunt pro vno peccato mortali, sed hoc solũ potest authoritas Papę & prę latorum Ecclesię: nam soli Petro dicta sunt hæc verba, Tibi dabo claues regni cœlorum, Matth. 16. Non sunt hæc verba dicta ad alios Apostolos, Ioan. 20. & Matth. 18. Sed illis dictum fuit simpliciter, Quæcunque ligaueritis super terram, &c. Ideò tenet Ecclesia, quòd quanuis omnes sacerdotes pares sint in absoluendo à culpa & pœna æterna, non tamen in absoluendo à pœna temporaria: Papæ verò authoritas extendit se ad pœnam & culpam &c. Christus inquit, Tibi dabo claues regni cœlorum: non inquit, Dabo toti Ecclesię, vt hæc tibi eas tradat, aut vt ab eaillas accipias: sed inquit disertè, Tibi dabo. Sunt igitur Petro traditę claues, non in persona Ecclesiæ, sed in sua potiùs tanquã publico superintendenti & officiali ad commoditatem Ecclesiæ & profectum fideliũ &c. At inquis: Si sacerdos à pœna æterna & culpa absoluit, quare non etiam à pœna temporaria? Respondeo, quia Deus sic vult, vt in præsenti peccatum nostrum sic puniatur in nobis, 2. Reg. 12. vt in Dauide, qui à pœna æterna absoluitur quidem per prophetam Nathan, sed temporaria pœna illi reseruabatur, nempè mors filij, persecutio & bellum, vt in ipso peccatum hoc puniretur, & fructus pœnitentiæ fierent. Sic Apostolus 1. Corinth. 5. tradidit peccatores Sathanę ad interitum carnis, & licet culpe Adæ sit remissa, attamen tota posteritas adhuc sentit pœnam &c. Roman. 8. Corpus mortuum est propter peccatum, id est, mortificatur.

CAPVT V.

ARGV.

ARGVMENTA.

1. *Quid propriè sit excommunicatio.*
2. *Quinam sint excommunicandi, & propter quam causam.*
3. *Quæ sint damna Excommunicationis.*

EXCOmmunicatio est separatio à communione Ecclesiæ propter enorme peccatum seu factum contra fidem & charitatem proximi: & fundatur in Euangelio Mat. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum:* &c. & si te non audierit, dic Ecclesiæ, vt citetur, admoneatur, corrigatur, quòd si nec Ecclesiam audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus. Sed quid est hoc, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus? idem est, ac si dixisset, nullam cum eo habeto communionem: nam eiusmodi communio est Christianis interdicta. Quæ pars fideli cum infideli? quod enim Israëlitis erit Cananæus, hoc est Christiano infidelis: habuit olim synagoga gladium, quo interfici iubebantur qui summo sacerdoti non obedirent. At Ecclesia spiritalem habet gladium & virgam, qua punit transgressores, scilicet excommunicationem: quæ potestas ideò data est Ecclesiæ à Christo, vt sit virga ad correctionem filiorum Ecclesiæ, tanquam si parentes vtantur flagello propter disciplinam seruandam: nam vult Deus glorioſam & mundam fore suam Ecclesiam & Christianam congregationem, saltem à publicis scandalis & enormibus peccatis, sicut Apostolus ait: Fornicatio & omnis immunditia nec nominetur inter vos. 1. 2. Cor. 6. Deut. 17. Ephes. 5

Secundò, Excommunicatio non est ob quamuis causam vel leue peccatū faciẽda, sed debẽt accedere alia remedia, vt admonitiones, quò resipiscat, & pœna vltima esse debet excõmunicatio. Christus igitur docet excõmunicare illos, qui peccant contra præ- 2.

cepta

cepta Dei, & permanent incorrigibiles: si quis à fide deciderit, si nomẽ Dei blasphemauerit, si sabbathum contẽpserit, si parentes nõ audierit nec honorauerit, si non adulterio, furto, homicidio, mẽdãcio, &c. abstinuerit, sic de omnibus prẽceptis Dei & Euangelij, si quis admonitus perrexerit in malitia, hic est excommunicandus. Sic Paulus excõmunicauit hominem propter luxuriã cum nouerca, 1. Cor. 5. & iussit excõmunicare scortatores, auaros, idolorum cultores, blasphemos, ebriosos &c. & vetat ne cum illis cibum capiamus, & signanter dicit, si quis frater nominatur &c. id est, Christianus: nam Iudẽi & gentes iam de facto sunt à nobis separati. Sic 2. Ioan. 1. excommunicat hæreticos, qui nõ consentiunt nostrę doctrinę, & inquit: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Auere dixeritis: qui enim dixerit illi, Aue, communicat operibus eius malignis. sic Galat. 1. Apostolus anathematizat falsa docentem, 2. Thess. 3. & vetat ne commercium habeatur cum illo, qui sermoni Euangelico non obedierit: ad Tit. 3. iubet vitare hæreticum, 1. Timoth. 1. tradit Sathanę Hymenæum & Alexandrum, &c. Propter huiusmodi ergo, & non propter leuem causam, facienda est Excommunicatio. At inquis: perpauci remanebũt in Ecclesia, si omnes tales sunt excõmunicandi. nam maxima ex parte sumus peccatores & fragiles. Respondeo, esse peccatorem talem vel talem cum pœnitentia & proposito vitam emendandi, & esse incorrigibilem & impœnitentem peccatorem, differunt: Humanum est peccare, sed sanctum, resurgere. Est autem hæc correctio, vt quis abstineat à peccatis: vel si ceciderit, citiùs resurgat.

Tertiò, damna quæ sequuntur, sunt eiusmodi: excommunicatus traditur potestati & regno Sathanę & excluditur regno Christi: nam & princeps huius mundi

mundi habet suum regnum, & Christus suum regnũ: in aliquo istorum oportet vt homo sit: si in regno Christi, ibi Sathanas non habet potestatem: quandò ergo quis separatur authoritate & potestate Dei Ecclesiæ concessa, à communione & regno Christi, ibi traditur homo, quoad corpus Sathanę, vt illum Sathan vexet, tribulet ac torqueat in corpore, bonis, familia, fama & alijs, vt patet in Iob, in quem cũ Sathã accepisset potestatem, percussit eum vlceribus, & omnem eius substantiam diripuit, &c. Non autem traditur sathanę secundũ animam, sed secũdum corpus vt Spiritus saluus fiat, 1 Cor. 5. nam Apostolus solum ad interitũ carnis tradidit sathanę hominẽ &c. & ideò dicitur Excõmunicatio medicinalis, id est, vtilis, vt excõmunicatus pudore afficiatur, & sese emẽdet. Si autem contemnit excommunicationem, & nolit pœnitere, tunc excommunicatio fit mortifera & damnabilis animę, propter contemptum & inobedientiam Dei, qui hanc excommunicationem instituit, & maximè, si quis in illa contumacia mortuus ferit: ideò tales priuantur Ecclesiastica sepultura. Timenda est itaque excommunicatio: nam Deus propter suam iustitiam vult exequi & perfici suam potestatem, etiamsi quis hęreticus aut contumax nõ velit excõmunicatus esse: Deus non reuocabit virtutem excommunicationis, quã ipse instituit, propter peccatoris contumaciam. Alterum damnum excommunicationis est, priuatio bonorum spiritualium omniũ, quę fiunt in regno Christi, scilicet orationum, ieiuniorum, suffragiorum, & aliorum bonorũ operum, quæ communiter fiunt à Christianis per totũ orbem, sicut dicit Dauid Psal. 118. Particeps sum ego omniũ timentium te, & quamuis peccator, dum peccat, seipsum excõmunicat & separat à cõmunione S. Ecclesiæ, quia tamen adhuc habet fidẽ, ideò est adhuc in Ecclesia, sicut membrum aridũ in corpore: quod

quòd licet aridum sit & careat vita, attamen adhuc per neruos & pellem corpori coniungitur, & aliquantulo fouetur corporis calore: & propter hanc fidem & communicationem, quia nondum separatus est per prælatũ Ecclesiæ, particeps est orationum communium quæ fiunt ab Ecclesia. Sed facta excommunicatione, fit homo vt membrum penitus abscissum à corpore, & magis separatur quàm anteà fuerat separatus ab Ecclesia, & Sathan accipit in illum ampliorem & faciliorem potestatem exercendi suam tyrannidem, quam si homo solus semetipsum excommunicat per commissum peccatum. Sic de Iuda ait Ioan. 13. quòd primò diabolus suggesserit in cor ipsius vt traderet Christum: & mox dicit, quòd post acceptam buccellam diabolus intrauit in illum: & sic bis dicitur intrasse diabolus, sed post vltimum ingressum maiorem in eum accepisse potestatem. At inquis: Quid si quis iniustè excommunicetur? Respondeo, licet talis excommunicatio non liget coràm Deo, sed etiam prosit excommunicato, si cum patientia fert illam, tamen timenda est & sustinenda, donec innocentia & veritas latiùs innotescat: sic enim inquit Gregor. hom. 26. Iustè vel iniustè obligat pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est, neis qui subest, fortè ex alia causa iustè illam meruit excommunicationem. Metuenda est igitur propter honorem Dei, qui illam ordinauit, & Ecclesiæ suæ commisit. Non tamen de facili debet quis excommunicari, ne scilicet in contemptum veniat excommunicatio, sicut hodiè cernimus in Ecclesia. Etiam debet fieri à vero prælato Ecclesiæ & publicè, Matth. 18. & quia hæretici non sunt Ecclesia, neque veri prælati, ideo illorum excommunicatio non est efficax, &cæt.

CAPVT VI.

ARGV-

ARGVMENTA.

1. *Quomodò Christus est caput Ecclesiæ, & quomodò Petrus.*
2. *Quare Christus voluit esse Papam, id est, prælatum vnum supremum Ecclesiæ hic in terris.*
3. *Quæsit potestas Papæ.*

SCriptura dicit Christũ verum caput Ecclesiæ in quod credimus, fidimus, & salutẽ nostram locamus, Eph. 1. Dedit pater Christum caput Ecclesię, quę est corpus ipsius, qui omnia in omnib. adimplet, sicut vitis dat palmitibus totã virtutem, sic Christus caput immittit nobis tanquam membris dona gratiarũ. Col. 1. Ipse est caput corporis Ecclesiæ, scilicet Christus. Igitur caput in quo credimus, est solus Christus: hic est occasio & fundamentum fidei & salutis nostrę. 1. Cor. 3. fundamentũ aliud &c. ipse est lapis angularis, Eph. 2. super quem debemus ædificari fide tanquã lapides viui in domos spirituales, 1. Pet. 2. Petrus autem dicitur petra Ecclesiæ, **der felße der Kirchen**/ super quam petram fundata est Ecclesia; ratione superioritatis, regiminis ac prælaturę, quòd ipse ex mandato Christi constitutus est in prelatum & rectorem Ecclesiæ, quem omnes Christiani debent agnoscere, audire, & illi obedire. Nam Christus dicit, Super hanc Petram, id est, officium, dignitatem, ratione regiminis, ædificabo Ecclesiam meã: non dixit, sic ędificabo Ecclesiam, vt tu sis fundamentum fidei & salutis, absit, ego sic sum caput Ecclesię, & manebo vsque ad consummationem seculi. Sed te faciam supremum pastorem, vt pascas oues meas verbo meo, & regas hac potestate, quam tibi confero 1.

propter tuam constantiam & glorioſam confeſſionem fidei, Matth. 16. & licet ſathanas te quæret tribulari & eradicari, non tamen deficiet fides tua, nec portæ inferorum aduerſus te pręualebunt, &c. Vnde tota Eccleſia Catholica agnoſcit hanc ſuperioritatem in Petro & eius ſucceſſoribus.

2. Secundò Chriſtus ideò ordinauit Papam prælatum Eccleſiæ hîc in terris, quia ſciebat diabolum non dormiturum, ſed quòd eſſet excitaturus varias hæreſes, perturbationes, rebelliones, &c. ideò vt eſſet qui lites ac cõtrouerſias in rebus fidei & doctrinę dirimeret, vtque eſſet caput miniſteriale, in quem omnes reſpicerent tempore hęreſum & tribulationum, fecit Petrum prælatum Eccleſiæ ſuæ. Sic tamen eſt Papa prælatus, vt Concilium, quod repreſentat Eccleſiam, agnoſcat, non ſupra illud ſe conſtituat, ſed audiat, & quæ concilium concluſerit, ea per ſuam authoritatem publicet & confirmet. Tali modo vult Ioan. Gerſon Concilium eſſe ſupra Papam. Sic Deus olim prouidit Synagogę, vt in rebus ambiguis negocium deferretur ad ſacerdotes Leuitici generis, cuius iudicio penitus ſtandum eſſet, Deutero. 17. Nec ſcriptura iudex eſſe poteſt, vt volunt Aduerſarij, ex quod quiſque trahit & interpretatur ſcripturam ad ſuum intellectum, quem ſibi fingit, ſicut patet de Sacramentarijs cum verbis his, Hoc eſt corpus meum: vbi hic intelligit ſignum, ille figuram, hic ſimplicem panem, &cæt. Sic Anabaptiſtæ cum verbis Qui crediderit, Et baptizatus fuerit &cæt. Marci vltimo. Oportet igitur vt ſit certum iudicium ſeu magiſteriũ Eccleſiæ ad ſcripturam rectè & vniformiter explicandã: Quare Põtificem & epiſcopos debemus audire. Qui vos audit, me audit, inquit Chriſtus. Sic SS. Patres, Hieronymus, Auguſtin. &c. conſuluerunt ſedẽ Petri. Contemptus autem Pontificis & Epiſcoporum, eſt cauſa omnium hæreſeon, vt inquit S. Cyprianus.

Cyprianus. Nam hæc est astutia Sathanę, vt primum caput contemptui reddat subditis, quo deindè possit liberiùs in oues ferocire: grauissimè ergo peccant, qui ex contempto pontificis recusant obedire Ecclesiæ, & vili pendunt statuta & bonas ordinationes: nã Deus non frustrà contulit illi superioritatẽ, & est ordinatio diuina. Qui igitur tali ordinationi resistit, Deo resistit, Romanor. 13. & communiter accipiunt condignam pœnam tam in hoc quàm in futuro seculo. Qui enim pacem Ecclesię amant, qui cupiunt disciplinam & timorem Domini in populo, illi se non separant ab obedientia prælati Ecclesiæ, sicut apostatę faciunt & hæretici.

Tertiò, potestas Papę est, de qua sentit Ecclesia, ęp 3.
Petro singulariter dicatur Matth. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum: non inquit, Dabo Ecclesiæ, vt illa tibi eas committat, sed tibi dabo &c. vndè Petri authoritas magis se extendit, quàm reliquorũ Apostolorum, Sacerdotũ, Episcoporũ &c. Nam licet alioqui omnes pares sint in absoluendo à culpa & pœna æterna, & hoc virtute passionis Christi, tamen quoad temporariam pœnam, quam etiam demissa culpa Deus exigit, se solius Papę authoritas extendit, remittendo culpam & pœnã. Sed quòd dimissa culpa Deus adhuc exigit pœnam temporariam, patet in Adam Gene. 3. vbi ei dicitur, In sudore vultus tui comedes panem tuum: & vxori, In dolore paries filios tuos, & 2. Regũ 12. in Dauide, vbi etsi Dominus transtulit peccatum, id est, culpam, tamen flagellum, id est pœna temporaria, non recessit à domo eius. In nouo testamento exiguntur etiam post absolutionem digni fructus pœnitentię, Matt. 3. & Apostolus ait: Si nosipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur, 1. Cor. 11. & Rom. 6. Sicut exhibuistis, membra vestra &c. præcipiuntur enim post absolutionem digni fructus pœnitentię ad delendam & mitigandam illam pœ-

nam temporariam, & sic docetur satisfactio largi-
dicta per opera bona, ieiunium, orationem, eleemo-
synam, &c. In eum finem Ecclesia statuit canones pœ-
nitentiales, vt satisfieret pro pœna peccati, non pro
culpa aut pœna æterna peccati. Sic presbyter form-
cando cogebatur pœnitere ad 10. annos, cuius for-
ma & modus habetur 28. dist. ca. presbyter. Sic ho-
micida 7. annos, causalis homicida 5. dist. 50. c. mi-
ror: matricida 10. annos, dist 30. q. 3. interfector pre-
byteri 12. annos, Ext. de pœn. & remiss. c. 2. periur
40. dies in pane & aqua ieiunet, & 7. sequentes annos
pœniteat, 8. q. 1. quicunque: item qui vtuntur fal-
sa mensura, 30. dies in pane & aqua: qui blasphem-
uerit Deum vel Sanctorum aliquem, 7. dies Domi-
nicos præ foribus Ecclesiæ stabit sine calceamento,
& funem in collo habeat, ext. de malef. c. Statu-
mus: qui communionem scienter ab hæretico acce-
perit, 10. annos pœniteat, 24. q. 1. Si quis dederit &
qui scienter rebaptizatus fuerit, 7. annos &c. Ecce
talem rigorem habuit primitiua Ecclesia ad delen-
dam pœnam temporariam, non culpam peccati aut
pœnam æternam coram Deo, sed quando timor De-
mini defecit, & homines ex doctrina hæreticorum
cœperunt contemnere pœnas peccatorum, volu-
Papa consulere hominibus, & ne incommodarent
saluti suę propter pœnam exoluendam, concessit eis
sua potestate indulgentias ab his pœnis temporali-
&c. quæ Ecclesia inflixit, non à pœnis naturæ, non
à cruce, quam Deus hominibus imposuit, sed qua
canones patrum dictarunt &c.

CAPVT VII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit & significet lauacrum regenerationis.*

2. Qui

2. *Quid fideles in hoc voueant Deo.*
3. *Quam diu duret hæc regeneratio.*

SEcundum Apostolum ad Tit. 3. Lauacrū regenerationis est, quo anima lauatur in sanguine Iesu Christi à peccatis omnib. tam originali quam actuali: itē est innouatio qua Spiritus S. innouat hominem, nouamq; in Christo creaturā facit, & iterum generat, iuxta illud: Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. Nascitur enim primò vetus homo, sed per aquam regenerationis innouatur in creaturam Dei, & fit nouus homo, qualis à natura non est, & alium accipit sensum. Tria autem fiunt per baptismum: omnia peccata remittuntur, deindè Spiritussanctus cum fructibus suis infunditur, Actor. 2 Tertiò datur illi vita æterna, Mar. vlt. Qui crediderit &c. hæc autem omnia fiunt meritis & gratia Christi in fide verbi. Sanguis igitur Christi lauat ab omnibus peccatis credentem in baptismo. Spiritussanctus ideò datur, vt reprimat malas concupiscentias remanentes in baptizatis, quas Deus vult ignoscere nobis propter fidem in Christum, si nō obedierimus concupiscentiæ, Roman. 6. Non regnet peccatum in corpore vestro &c. Sed assiduè cōtrà illam pugnauerimus: fides igitur in Christū, & pugna contra concupiscentiam per adiutorium Spiritussancti, faciunt ne imputetur nobis hæc concupiscentia, modò non contristemus Spiritum sanctum, id est, fugiamus &c. Significat autem mersio illa in aquam, suffocationem peccatorum: eleuatio, nouam vitam, sicut Apost. dicit Roman. 6. Quicunque igitur baptizati estis in Christo, ad mortem scilicet peccatorum estis baptizati, vt sicut Christus semel mortuus est, & nunc semper viuit: ita & vos qui semel estis mortui peccato in baptismo, nunc in nouitate vitæ ambulare debetis. 1. Ioan. 3.

Secundò, fideles in baptismo tria vouent & pro-
2. mittunt, ad interrogationem sacerdotis: primùm ab renunciant Diabolo, quòd eũ nolint habere pro Domino, sed Christũ: deindè iurant se renunciare omnibus operibus diaboli, id est, peccatis luxuriæ, auaritiæ &c. quæ enumerantur ab Apostolo Galat. 5. Tertiò iurant se renunciare omnibus eius pompis & medacijs, id est, incantationibus, hæresibus, impijs dogmatibus: & promittit se credere in vnum verum Deum patrem, factorem cœli & terræ, & in Iesum Christum filium eius, pro nobis mortuum, & iterum resuscitatum, atque in Deum Spiritumsanctum, qui congregat Ecclesiam & communionem Sanctorum in qua ipse verissimè distribuit remissionem peccatorum pœnitentibus & credentibus, & docet futuram mortuorum resurrectionem & vitam æternam, hæc omnia vouent fideles se facturos: ad tale votum respondet Sacerdos, Ego te baptizo in nomine patris, & Filij, & Spirituſſancti, id est, hoc signo in Sacramento Baptismi tecum paciscor, quòd tibi remissa sunt peccata tua, te esse reconciliatum Deo, innouatam creaturam, & hæredem vitæ æternæ &c. Et quoniam promissio gratiæ ad omnes pertinet, nec alicui negatur qui eam cupit & credit, Matthæi 11. Venite ad me omnes &c. & Ecclesia habet mandatum baptizandi omnes gentes, & pueri seu infantes non excluduntur à promissione Euangelij: nam & Christus inquit Matthæi 18. quia talium est regnum cœlorum, ideò Ecclesia baptizat paruulos. Primò, quia Christus dixit ipsorum esse regnum cœlorum: & circuncisio infantium olim placuit DEO ob pactum, Genes. 17. Ergo & infantium baptismus Deo placet: quia eius præceptum plus hic pensatur, quàm dispositio puerorum: qui ergo negant pueris Baptismum, peiores sunt Herode, qui occidit innocentes paruulos gladio; habet enim infans opus ablutio-

ablutione peccatorum, & maximè Originalis. sic enim in Iob legimus secundum Septuaginta ca. 14 Quis enim mūdus est à sorde? scilicet nemo, etiamsi vna dies vita eius esset super terram, & Paulus Rom. quinto: In quo, scilicet Adamo peccauerunt omnes &c. & Psal. 50. Ecce enim in iniquitatib. conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea &c. Omnis ergo qui sic vouit, & pactum fecit cum Deo, ille baptizatur igne & Spiritu, Matthæi tertio. Gratia ignis est, quæ comburit peccata, & Spiritussanctus ex veteri homine facit nouum & sanctificatum hominem, & veluti agrum iam paratum nouo semini fructuum suorum, Galat. 5. Hunc Baptismū Christus promisit discipulis suis, Actor. primo: Vos autem baptizabimini Spiritusancto non post multos hos dies, & sic roboratur pactum: baptizandus promittit, ac Deus lauat. Solennia Baptismi, etsi nō sint de substantia Baptismi, ea tamen ex charitate non sunt negligenda: primò vngitur chrismate, vt sciat Christo se vnctum: & signatur cruce, vt studeat illam tollere, & Christum sequi, datur alba vestis, vt sciat nigredinem peccatorum ablutam, & nunc habere innocentiam: datur lumen, quia per fidem illuminatus est, & quòd velit Christum sequi lucē huius mundi, Ioan. octauo: habentur compatres, vt testētur Baptismum baptizati: deindè, vt puerum doceant Fidei articulos, & Ecclesiastica Sacramenta, & illa ei in memoriam reducant, quæ in Baptismo proposita sunt, vt iam propria fide hæc omnia appræhendat.

Tertiò, Baptismus per totam vitam durat duplici modo: Primò, quia perpetuò vsque ad mortem debemus pugnare contra vitia, & extirpare ac mortificare desideria carnis, Colossensium. tertio: Mortificate membra vestra quæ sunt super terram fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiā 3.

malam, & auaritiam, quæ est simulachrorũ seruitus, propter quę venit ira Dei super filios incredulitatis &c. Rom. 6. Sicut exhibuistis membra vestra seruire immũditię &c. Toties enim satisfacimus Baptismo, quoties resistimus peccatis: non enim satis est, baptizatum esse aqua, nisi & vita noua accedat & mortificatio vitiorum sequatur: & quia baptismus non solum nos mundat, sed etiam commonefacit nos, vt conseruemus acceptam innocentiam, ne veluti canis ad vomitum, & sus lota ad volutabrum fœditatis redeamus: ideò in primitiua Ecclesia seruabatur vestis alba Baptismi, & dabatur filijs iam adultis, vt cogitarent satisfacere promissioni in Baptismo factæ, Christus dedit decem præcepta Decalogi, Matthæi decimo nono, & præcepit bona opera, quibus contra recidiuum præseruatur baptizatus. sic & salponitur in ore, ne denuò putrescat peccato post Baptismum: insufflatur & exorcizatur ideò malignus Spiritus, ne amplius regnet in noua creatura, & locum det Spirituisancto: signatur cruce in fronte & pectore, ne amplius hîc Sathan locum habeat: fiunt orationes & alia, vt Deus illa efficiat ac confirmet. Altero modo durat Baptismus vsque ad mortem, quoad pactum semel cum Deo in Baptismo initum: nam Deus promisit tibi remissionem peccatorum & vitam æternam, & appendit promissioni sigillum, nempè Baptismatis Sacramentum, quod Sacramentum de illius voluntate te certificat, scilicet quòd velit remittere peccatum: ideò quamuis post Baptismum iterùm in peccatũ recideris, Baptismus autẽ quia est verbum & ordinatio diuina, firmiter stat, neque pactum Dei irritum fit, quoties redieris per pœnitentiam, & recordatus fueris Baptismi, quo Christo insitus es, toties accipis remissionem: non enim semel peccata remittuntur, sed assiduè, modò redeamus ad Baptismi pactum & votum

2. Petr. 2.

per pœnitentiam : ideò post lapsum Baptismus aquæ non iteratur, sed fides pacti atque promissi recogitatur, scilicet cùm contritione admissi delicti, Matt. 18. Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vsque septies? Dicit illi Iesus : Non dico tibi, vsq; septies: sed, vsque septuagies septies. Baptismus igitur semel acceptus, est perpetuum testimoniũ quo Deus vult remittere peccata redeuntibus & pœnitentibus: ideò dicit peccator, Ego peccaui & cecidi, votum meũ fregi: sed quoniã baptizatus sum, & habeo sigillum remissionis, & Deus nõdùm promissionem suam irritam fecit, sed hanc mihi seruare vult vsque ad mor- 2.
tem, quia venit propter peccatores, nec mortem illorum vult, sed potiùs vt conuertãtur & viuãt, & Propheta dicit Ezechiel. 18. Quotiescunque peccator ingemuerit, & egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor: in iustitia sua quam operatus est, viuet. Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & nõ vt conuertatur à vijs suis, & viuat? & quoniam adhuc stat Dei pactum & sigillum, quicquid etiam sit de meo casu, ideò credam & sperabo me consecuturum iterùm remissionẽ peccatorum, & restitui in gratiam Dei &c. atq; hoc modo durat in nobis Baptismus vsque ad horam mortis nostræ. Est igitur baptismus maxima consolatio con scientiæ, tam ratione nouæ natiuitatis seu regenerationis, quàm etiam pacti perpetui: nam spiritussanctus dat nouam mentem atq; sensum baptizato, quã ante à natura non habuit. ideò dicitur regeneratus, deindè etiam si post baptismum lapsus fuerit, tamen cùm redierit per pœnitentiam ad pactum pristinum, recipitur in gratiam &c.

CAPVT VIII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit & significet Confirmatio Sacramentalis.*
2. *In quem vsum aut finem sit instituta.*
3. *Quibus modis debeat hoc Sacramentum administrari.*

1. COnfirmatio est examinatio fidei Christi, atque adeò huius Confirmatio seu corroboratio in Baptizatis fidelibus, q̃ sequitur Baptismum: vel, Confirmatio est propria fidei confessio coram Episcopo aut ministro Ecclesiæ: dum enim homo baptizatur, pro illo alius promittit fidem Christianam, nempe patrinus: at posteà nos hocipsum Confirmare ac profiteri palàm debemus, iuxta dictum Apostoli Roman. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit Confessio ad salutem. Et maximè probanda est hæc Confirmatio, si ad hoc vsurpetur, vt Christiana iuuentus examinetur, vt fidem propriam profiteri possint: vndè & in Catechismo iuuentus instituti solet in scholis, idque à teneris annis, vt discant & percipiant articulos fidei, decem præcepta, & alia ad salutarem cognitionem necessaria: Nam & in primitiua Ecclesia post rei literariæ rudimenta pueri catechizabantur, id est, docebantur ac instituebantur: & cùm sic profiterentur fidem suam, Episcopus eos confirmabat tanquàm veram habentes fidem Christi: item Cõfirmabantur homines quotidiè aut quolibet die Dominica per sermones verbi Dei & doctrinam Christi.

2. Secundò, sic examinati & edocti confirmabantur non solùm verbo, sed etiam impositione manuum Episco-

Episcoporum, & in tali impositione manuum inuocatur & datur Spiritussanctus in robur & virtutem credenti contra tentationes & insultus diaboli, peccatorum, & ne post baptismum victus eiusmodi tentationibus peccatorum vel desperationis, relabatur in condemnationem vel peccata mortalia, quæ in Baptismo omnia fuerant dimissa. Ideò vt virtute Spiritussancti diligentiùs caueret peccata, & tentationibus fortiùs resisteret, fiebat talis impositio manuũ, vt daretur Spiritussanctus ad corroborandum hominem: Item, quia olim Christiani multis subijciebantur periculis, afflictionibus, martyrijs ad fortiter ferendam crucem & mortis tormenta pro nomine & fide Christi, vt sine timore Christum confiterentur, signabantur oleo & balsamo per formam crucis in frontibus eorum. Quoniam itaque omnes nos indigemus virtute altissimi & auxilio Spiritussancti, ne scilicet relabamur in pristina lœtalia vitia & damnationem, sed vt constanter profiteamur nomen Christi contra Turcas, Iudæos & Barbaros, amplectenda hæc est Confirmatio & veneranda: percussio autem maxillæ significat, vt deindè cogitet se animosè pro nomine Iesu contumelias, opprobria & verbera pati velle, sicut Christus pro nobis verberatus est in maxilla, & Apostoli fecerunt Actorum quinto, & iubemur porrigere sinistram maxillam ei qui nobis dexteram tetigerit, Matth. quinto. Quòd autem Spiritussanctus dabatur in robur & virtutem per impositionem manuum in Confirmatione, probatur ex Actis Apost. cap. octauo, cùm Petrus & Ioannes missi à cæteris Apostolis ex Hierosolyma in Samariã ad eos qui iam erant baptizati, & imponebant illis manus, & accipiebant Spiritumsanctum, Actorum 19. His auditis, baptizati sunt in nomine Iesu, & cùm imposuissent illis manus, accipiebant Spiritumsanctum. Tales Authoritates intelligunt omnes veteres

Doctores

Doctores de Confirmatione Sacramentali, & docent quòd Spiritusſanctus qui datus eſt in Baptiſmo ad mundationem animę exiſtentis in originali peccato, in Cõfirmatione inuocatur, & datur ad corroborandum & confirmandum nos, vt maneamus conſtantes & fortes in duello aduerſus peccata priſtina & diabolũ: Et quanuis non ſit tã neceſſarium, ſicut Baptiſmatis Sacramentum eſt, vel Euchariſtiæ vel pœnitentiæ, eò quòd hæc tria habent pręcipuam promiſſionem Euangelij, id eſt, remiſſionis peccatorum, ſuntque à Chriſto inſtituta & pręcepta in Euangelio tamen quia non ſolùm indigemus remiſſione peccatorum, ſed opùs habemus corroboratione & auxilio Spiritusſancti ad currendam viam mandatorum Dei, ad cauenda lœtalia vitia, & ferendam crucem, ad vitandam deſperationem in fide Chriſtiana, ad ſuperãdam Diaboli tentationem & alia huiuſmodi, omninò neceſſarium eſt Confirmationis Sacramentum ijs qui perſeuerare volunt vſque ad finem: & ex his cauſis Eccleſia veneratur hoc Sacramentum propter conſtantiam fidei, & maximè in tribulatione & anguſtijs. Dederunt olim Patres hoc Sacramẽtum tàm paruulis, quàm adultis: Adultis, propter propriam & ſpontaneam ſuæ fidei confeſſionem: Paruulis verò, tanquàm nouis Chriſti tyrunculis, vt ad pugnam hac quaſi armatura Spiritusſancti cõtra Sathanæ poteſtatem munirentur & animarẽtur. Hoc autem Sacramentum incumbit adminiſtrare Epiſcopo, vt qui habet ſpecialem curam & regimen Eccleſiæ, & cuius eſt intendere ſibijpſi & toti gregi Dominico, Actor. cap. 20.

3. Tertiò, Epiſcopus hoc confirmationis Sacramentum adminiſtraturus, debet primò populum inſtruere in verbo Dei, & informare, quid ſit hoc Sacramentum, & quare in Eccleſia fiat: deindè adſtãtes ad orationem ſobriã exhortari, vtque ieiuni, niſi neceſſitas impe-

impedierit, hoc Sacramentum accipiant. Sic enim in Concilio Aurelianensi statutum est, vt non nisi ieiunantes, confessi, ac adultæ ætatis homines, de illo participarent: sed vereor ne prælatorum neglectus, qui tantùm nescio quam externam pompam curant, huic Sacramento magnum in mundo contemptum pepererit: queritur enim tantùm ornatus aliquis, & lucrum nummorum: nihil aut perparùm monent vel informant populum de virtute & efficacia Confirmationis, sed similes videntur illis quæ mensam splendidè adornant scutellis & cyathis, sed omni cibo & potu vacuis: nec illos vrget, quòd hæretici hoc Sacramentum planè contemnunt, quin & ipsi hac contemptui reddant. Corrigantur igitur abusus, & salua erunt omnia, &c.

CAPVT IX.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit ordo Ecclesiasticus.*
2. *Quid conferatur iis, qui suscipiunt sacros ordines.*
3. *Quis debeat ordinare ministros Ecclesiæ.*

ORdo est vocatio ad ministerium docendi Euangelium, & administrãdi Sacramenta, sicut ait Apostolus 1. Cor. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores ministeriorum Dei: ab his autem maximè exigitur, vt fideles dispensatores inueniantur. & 1. Timoth. 5. Si quis episcopatum desiderat, id est, huiusmodi officium regiminis, docendi, administrandi Sacramenta & verbum Dei populo ad gloriam Dei & salutem proximi, hic bonum opus desiderat: nihil hîc de externa prælatura loquitur Apostolus, sed potiùs de ipso officio. Actorum primo. Eritis mihi testes &cæt. Porrò hoc Sacramentum 1.

mentum Ordinis habet mãdatum Dei, Matt. vltimo Euntes docete & baptizate omnes gentes &cæt. habet quoque promissiones Dei Ioan. 15. Ego vos elegi vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat, item Apost. ad Tim. Bonum certamẽ certaui, cursum
2. Tim. 4. consummaui, fidẽ seruaui, ideò reposita est mihi corona iustitiæ. & Iac. 5. Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore suo &c. propter hoc officium Ordo Ecclesiasticus rectè dicitur Sacramentum, & magnum habet præmium accidentale, eò quòd quis fructum centesimum, alius centesimum fecerit &cæt. Marc. quarto, & hìc talentum suum non absconderit, sed adhuc alia quinque lucratus est, Matth. 25. & quod differt stella à stella in claritate, 1. Corinthiorum 15. Si ergo nos tantùm simus fideles cooperatores & serui Dominici agri, ipse copiosam dabit mercedem.

Secundò, in ordinatione per impositionem manuum presbyterij dátur ac confertur specialis pote-
2. stas ad defungendum ministerium verbi Dei, administrandiq; Sacramenta populo: Quæ potestas alia est ab illa, quæ in Baptismo accepta est: Nam iam baptizatis Apostolis, cõfertur ipsis insuper hæc specialis potestas, Luc. 22. conficiẽdi Sacramentũ corporis & sanguinis Christi, eundi & prædicandi Euangelium, Marc. 16. Baptizandi, Matth. 28. Absoluendi, Ioan. 20. Orandi & vngendi infirmos, &cæt. Iacob. 5. Sic Paulus Timotheo iam baptizato imponit manus & dat specialem potestatem obeundi munus sacerdotij, quod vtique non feciſſet, si iam in Baptismo accepiſſet illam potestatem: Non ergò baptismus est quo omnes vocat & habilitat in ministros Ecclesiæ, sed gratia diuina quę nobis cõfertur in legittima ordinatione. Hoc enim manifestè docet Apostolus, nempe singularem dari potestatem Ordinato, cùm inquit, 1. Tim. 4. Noli negligere donum, id est, potestatem

ſtatem illam ſpecialem, quæ data eſt tibi per prophetiam, id eſt, orationem & conſecrationem, cum impoſitione manuum mearum, authoritate presbyterij: ecce, inquit, authoritate ſacerdotij, nō inquit, populi vel manuum communionis laicæ, ſed authoritate ſacerdotij. Vndè illa ordinatio, quæ fit ab Epiſcopo vt principali miniſtro, vel à cæterorum ſacerdotum manuū impoſitione, illa vera & legittima eſt. Singulare ergò donum atq; poteſtas, quia datur in ordinatione ab Epiſcopo authoritate ſacerdotij, igitur qui illam nō habent, nihil efficiunt, nec Deus approbat ipſorum miniſteriū. Sic 2. ad Tim. 1. Commonefacio te, vt ſuſcites donū quod in te eſt per impoſitionē manuum mearū: ecce donū quod in te eſt, aperte loquitur de illo dono Spiritusſancti cum poteſtate ſpeciali in ordinatione &c. In baptiſmo quidē omnis Chriſtianus conſecratur, vt ſeipſum regat tanquàm rex, & erigat ſenſus, & vitā inſtituat ſecūdùm Deum & iuſtitiam: non autem quilibet vngitur & conſecratur in baptiſmo, tanquàm rector ac curator populi: conſecratur quidē Chriſtianus in baptiſmo ſacerdos ſibijpſi vt ſanctè viuat, orando, ieiunando, & offerendo corpus ſuū in hoſtiā viuentem & ſanctā &c. Rom. 12. non aūt conſecratur in miniſtrū & ſacerdotē populi Chriſti, vt alijs præſit, doceat, inſtituat: hīc enim ſpecialis vocatio exigitur. Quod aūt dicitur, 1. Pet. 2. Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotiū, gens ſancta &c de ſpeciali ſacerdotio, & nō de communi Eccleſia intelligitur: nam hæc verba omnibus Iudæis fuerunt dicta, vt patet in Exod. 19. tamen manifeſtum eſt quòd ſolus Aaron cum filijs ſuis, erant ſacerdotes & miniſtri templi Dei, Exod. 29. Inſuper Aaroni fuit dictum, quòd perpetua religione eſſet ſacerdos, Exod. 29. & Chriſtus noſter caput & ſummus ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Pſalmo 109. Donum autem hoc, ſiue poteſtas collata

collata in legittima ordinatiõe, manet donec moritur miniſter : nec probari aut excuſari poteſt ex ſcriptura, ſemel cõſecratum ſacerdotem denuò fieri laicum, etiamſi non habet executionem officij : & canones deponunt quidem atque ſuſpendunt ab officio criminoſos ſacerdotes, ſed manet tamen character, id eſt, donum ſemel acceptum indelebile, vt tenent SS. Patres.

3. Tertiò, quoniam Chriſtus ipſe inſtituit Apoſtolos ſeu vocatos ſuos ſacerdotes, & dedit officium Mat. & Mar. vlt. non hanc voluit authoritatem eſſe populi, Chriſtus ſummus ſacerdos inſtituit Apoſtolos, id eſt, legatos, Apoſtoli inſtituerunt Epiſcopos in Creta, Epheſo, &c. & illis mãdârunt, vt & ipſi eadem authoritate conſtituerent oppidatim presbyteros &c. nunquàm verò legitur, hîc plebis cõſenſum aut electionem fuiſſe requiſitam : ſic Paulus & Barnabas ordinabant Sacerdotes citra populi conſenſum, Acto. 14. Vndè manifeſtè conuincitur, electionem & ordinationẽ clericalem non ad plebem, ſed ad Epiſcopos & presbyteros ſucceſſores Apoſtolorum ſpectare & ſpectâſſe ſemper. Populus quidem olim conſenſum dabat ad approbandam electionem, ſed authoritatẽ reijciendi nullam habuit. Quare quicunq; à laicis ſuperintendẽtibus ſunt ordinati, ſpurij ſunt & illegitimi corã Deo. Eſt enim plerũq; proprium hæreticorum, ſibi eligere & ordinare Magiſtros, de ſua ſententia, qui ſeruiant auribus ipſorum, & placentia dicãt. Sed quia hoc futurum ante nouiſſimum diem Scriptura teſtatur, debemus eiuſmodi cauere Matth. 24. Venient Pſeudoprophetæ, &c. 2. Tim. 4. Veniet tempus &c. & Ieremias 14. Currebãt, & non miſi eos, &c. ſic vindicabant ſibi ſacerdotium Chore, Dathan & Abiron, ſed puniti ſunt grauiſſimè, Num. 16. Sic impius Ieroboã elegit ſibi ſacerdotes de nouiſſimis virorum, & contempſit veros & legittimos ſacerdotes

et

ex Aaronis successione ordinatos, 3. Reg. 14. & rex qui volebat adolere incensum in domo Dei, lepra percutitur, 2. Paral. 28. filij Sceuæ lacerantur Actor. 19. &c. Et sicut sine potestate & efficacia est, quandò hæretici sibi constituunt sacerdotes, eligunt ac præficiunt regem, sicut fecerunt Anabaptistæ Monasterienses, ita & electio sacerdotij extra formam Ecclesiæ Dei, non est efficax. Qui igitur vult sacerdotem agere, videat vt non solùm sacrificet, sed etiam quantùm in se est, doceat, instituat, exemplo suo pascat, administret Sacramenta, & errantes conuertat, &c.

CAPVT X.

ARGVMENTA.

1. *Quid dicatur esse Sacramentum Cœnæ Dominicæ.*
2. *Quamobrem potissimùm à Christo sit institutum.*
3. *Vtrum fides huius Sacramenti, id est, passionis Christi, an esus ac potus remittat peccata.*

HOC Sacramentum est verus sanguis & caro Christi, sicuti iam post assensionem suam in cœlis ad dexteram Dei patris sedens habet, sub specie panis & vini. Hoc patet & firmissimè creditur ex dissertis verbis Christi, quandò in vltima sua cœna sine omni parabola sic locutus est, tenens manu panē, & dixit: Hoc est corpus meum, & ostendens calicem, inquit: Hic est sanguis meus: non dixit, Hoc est signum, figura, aut significat corpus meum &cęt. Sed inquit essentialiter quòd est corpus suum. Sic Apostolus 1. Corinthiorum vndecimo vocat corpus Do- 1.

mini contra Sacramentarios. Est igitur in hoc Sacramento anima Christi & corpus & sanguis viuens, atque Deitas, quæ nunquàm separatur à corpore & anima Christi atque sanguine: ideoque adoramus hoc Sacramentum propter coniunctam ibi & præsentem Deitatem, quod alioqui non fieret. sicut enim Christi corpus fuit adoratum à tribus Magis, Matth. 2. & à cæco nato, Ioan. 9. & vt cæteris scripturæ locis probatur, sic etiam iam sub specie panis & vini non manentibus, sed transsubstantiatis totaliter in corpus & sanguinem Christi per virtutem verbi consecrati, ui, sicut vinum ex aqua fuit factum, Ioan 2. adoratur, tum quia Christus non dixit, Hic panis est corpus meum: sed simpliciter & nudè, Hoc est corpus meum etsi Paulus vocat panem, 1. Corint. 11. non tamen vocat panem naturalem manentem, sed quia depanis iam factum est corpus Christi. Sic scriptura vocat hominem cinerem & terram, non quòd sit, sed quia ex terra in hominem conuersus est, & sicut Paulus habet bibere calicem, sed nunquid bibitur calix? Immò sanguis Christi bibitur, &c.

2. Secundò, Christus instituit hoc Sacramentum in memoriam passionis suæ pro nobis factæ, Luc. 22. cùm inquit, Hoc facite in meam commemorationem, & 1. Corinth. 11. Institutum est autem, ne tanti beneficij obliuisceremur, scilicet quòd ipse pro nostris peccatis mortuus est, pro illis satisfaciendo, Rom. 14. & patri nos reconciliaret, vt propter illius meritum & effusum sanguinem saluaremur æternaliter. Ioan. tertio, vtque propter nomen eius omnia nobis vitæ necessaria donarētur in corpore & anima, Ioan. 16. Si quid petieritis patrem meum in nomine meo &cæt. Hæc beneficia nobis collata ex Christi morte, ne traderentur obliuioni humanę, voluit in iugi memoria esse corpus & sanguinem suum: vt sensus nostri perciperent, oculi viderent redemptorem, auris audi-

audirent prædicationem de morte eius, sicut præceptum est, mortem Domini annũciabitis, id est, beneficium mortis Christi omni populo prouulgabitis, vsquedùm veniet, id est, ad nouissimum vsque diem mundi, quo veniet ad iudicandum viuos & mortuos. Habet quoque Ecclesia in vsu imagunculas crucis ac passionis & alia cæremonialia, vt nos commonefaciant maximi illius amoris Christi & beneficij in nos collati. Porrò non solùm instituit hoc Sacramentum CHRISTVS propter refricãdam perpetuam memoriam ac recordationem, sed etiam vt manducaremus & biberemus: nam dicit Matth. 26. Accipite & comedite, hoc est corpus meum, & bibite ex illo omnes: idque ideò addidit & dixit, vt testaretur id totum ad nos pertinere, & esse nostrum beneficium ipsius: quasi dixerit, Ego non indigui redemptione, quia peccator non sum, nec indigeo salutem mereri, quia Deus, & data est mihi omnis potestas in cœlo &cæt. Sed propter vestram salutem & redemptionem, dedi corpus meum in mortem, & sanguinem in remissionem peccatorum vestrorum, qui in me credetis: & quia totum vestrum est quod ego feci, ideò comedite & bibite, & eritis mihi coniuncti tanquàm membra, & eritis mecum vnum corpus & vna caro, qua coniunctione nulla propior potest excogitari: sicut cibus naturalis in nostram substantiam manducando vertitur, sic beneficium mortis CHRISTI, quod communicamus per manducationem, in nobis efficit vnionem Christi, vt ipse in nobis, & nos in illo viuamus, Ioan. sexto. Qui manducat me, viuit propter me &c. Et quanuis etiam Fides nos Christo iungat spiritualiter, sicut omnes patres veteris testamenti, secundùm illud, Qui adhæret Deo per fidem, vnus cum eo spiritus efficitur: attamen hæc vnio per corporalem manducationem maior est, & illam exigit etiã CHRISTVS, ideoq;

mandat manducare & bibere, quò nimirùm non solùm spiritualiter per fidem, sed etiam corporaliter vniamur Christo, & cum illo efficiamur vna caro, & cut Apostolus 1. Cor. 10. inquit: Panis quem frangimus, nõne communicatio corporis Christi est, quoniam vnus panis & vnum corpus multi sumus. Exuli autem cõmunicatione seu participatione fit Christus noster totus, cum omnibus donis suis & beneficijs, & nos illi efficimur proprij cum peccatis nostris quæ ille abstulit & euanescere facit.

3. Postremò notandum, quòd in communicatione duo sunt, Fides Sacramenti & Esus: At manducatio non meretur remissionem peccatorum, sed fides passionis Christi, nempe vt credam corpus eius pro me traditum, & sanguinem pro me effusum esse in remissionem peccatorum: hæc fides præcedat necesse est communionem illam realem, quæ est vita animæ: nam edere & bibere præsupponit vitam, non autem cibus & potus dant nobis vitam, sed potiùs conseruant: atque sic per absolutionem verbi Dei ac fidem remittuntur nobis peccata ante communicationem Sacramenti: sed quandò communicamus, vnimur Christo, iuxta illud Ioan. sexto. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Incorporamur ergo Christo per manducationem, & confortamur in fide. Nam sicut satis nõ est, natum esse ex vtero matris & accepisse vitam, nisi quis etiam cibo & potu alimentorum conseruet vitam: sic non est satis, renatum esse in Baptismo, nisi in hac noua vita conserueris & crescas cibo illo cœlesti corporis & sanguinis Christi &cæt. Quamprimùm enim homo baptizatus est, pugnandum est illi contra carnem, Sathanam, mundum & concupiscentias, in qua continua pugna p nostra fragilitate prosus succumberemus, & victi iaceremus, nisi data nobis esset Eucharistia, qua fides nostra pascitur & confirmat.

firmatur, accenditur charitas, roboratur spes, vt in certamine hoc assiduo fortiter resistere & nobis constare possimus: Atque ideò prodest sæpenumerò communicare, vt fides crescat in tentatione &cæt. consilit ergò remissio peccatorum in fide, attamen manducatio reliquias peccatorum in carne purgat & extinguit, sicut salutaris medicina prodest ad tollendos morbos, & ab illis præseruat. Est igitur Sacramentum hoc institutum, vt maneamus in Christo, & ipse in nobis, ne obliuiscamur beneficij sui: atque ob id frequenter populo prædicandum est, quòd Christus per mortem & sanguinem suum nobis meruerit remissionem peccatorum, & nisi hoc quotidiè fecerimus atque cogitauerimus, nō manebimus in Christo, cui insiti sumus semel in Baptismo: ideò & manducamus, vt illi incorporemur, &c.

CAPVT XI.

ARGVMENTA.

1. *Quare Apostolus monet, vt homo probet semetipsum ante communionem.*
2. *Quomodò debeat se probare communicaturus.*
3. *Qui sint fructus communionis, & quid sequi debeat communionem.*

APostolus 1. Cor. 11, dicit, Probet primùm seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: nam qui indignè māducat, iudicium, id est, damnationē, sibi manducat & bibit, eò quod non facit differentiam inter corpus Domini & alium cibum. Ne igitur homo seipsum damnet, iubetur ab Apostolo vt sese probet. Liquet autē ex Apostolo, quàm 1.

horribile iudicium & pœna expectet eos qui indigne sumunt hoc Sacramentum. Videtur itaq; quòd maxima pars publicorum malorum in Ecclesia Dei, inuehatur ex illo peccato, & quòd Deus visibiliter puniat mundum propter pessimum hunc abusum in communione sanctissimi huius Sacramenti, tam ex parte sacerdotum consecrantium indignè, quàm laicorum indignè sumẽtium: vndè Apostolus addit ibidem, dicens: Sunt inter vos multi infirmi, id est, infirmitatibus puniti, & dormiunt multi, hoc est, subitò mortui sunt propter indignam communicationem. Ecce causam præsentium plagarum. Vtinam pensarent hæc sacerdotes quotidiè sacrificantes, & vtinam illi quoque qui tantùm ob speciem religionis, & ob consuetudinem sæpè communicant, & vtinam ponderarent illi, qui in mortalibus peccatis Auaritiæ, Luxuriæ, adulterij, Rãcoris & iræ, Gulæ & ebriositatis &c. communicant, nec seruant fidem emendationis: Est enim res omninò periculosissima animæ & grauissima, indigna cõmunio: nam ideò subiungit Apostolus: Si nosmetipsos dijudicaremus, &cæt.

Secundò, talis proba cõsistit primò in hoc, an cognoscas ac reputes te talem & talem peccatorẽ, multi enim se reputãt iustos, quia eleemosynam publicè dant sicut Pharisęus, & nõ putant se tale aliquid cõmisisse sicut ille, & dicunt, Non sum sicut cæteri homines, Luc. 18. Sed verus probator & examinator cõscientię, debet se reputare peiorem alijs, & etiam pro suis peccatis damnatione dignum. Ille enim ex tunc cognoscet, quàm necessarium fuerit, Christum pro se mortuũ esse: & intelliget nimirùm, quàm magnũ beneficium sibi collatum, quòd filius Dei ipsemet pro peccatis nostris sit mortuus, vt saluemur. Quisquis autem sic sese probat & examinat peccatorem esse, creditque se morte Christi redemptum, atque in gratiarum

tiarum actionem accedit, & manducat & bibit carnem & sanguinem qui pro illo effusus est, is rectè cõmunicat: agit enim gratias pro redemptione, & manducat & bibit, vt sibi Christus totaliter vniatur & incorporetur, habeatq; ipsum tanquàm precioſissimũ thesaurum turbatæ conscientiæ. Ex quo sequitur, vt iuuenis & quicunque alius qui se potest cognoscere peccatorem & damnatione dignũ, sed credat se nunc esse redemptum, & differentiam habet inter corpus Christi & alium cibum, quòd ille ad communionem Sacramenti admittendus sit. Quare Bohemi communicantes paruulos, qui se sic probare non possunt, non rectè faciunt: nam textus verbalis in Ioan. sexto. Nisi manducaueritis carnem filij hominis &c. intelligitur de fide passionis Christi, non reali manducatione principaliter. Debent autem Parentes iuuentutem diligenter informare, vt credãt se esse natos peccatores, & æternaliter fuisse damnandos, nisi redempti fuissent morte & sanguine Christi: atque ideò in perpetuam memoriam illius præstiti nobis beneficij, & in gratiarum actionem, eos accedere ad communionem, vt possint esse participes fructus passionis & meritorum Christi. Deindè proba in hoc consistit, vt quis agat pœnitentiam, id est, se conuertat, & intendat malam relinquere vitam, & cessare à peccatis. Nam qui hoc non intendit & proponit in animo, ille iudicium sibi manducat. Vndè Ecclesia olim arcebat à communione criminosos fornicatores, ebriosos &cæt. quia excommunicati & qui perseuerant in manifestis vitijs, non debent accedere. 1. Corinth 5. Si quis nominatur fornicator, auarus, idolis seruiens, maledicus &c. Qui verò dolent de peccatis admissis, cupiunt absolutionem, & proponunt certam emendationem, & sic participant de corpore & sanguine CHRISTI, illi rectam sequuntur probã. Qui autem ex timore vel propter placen-

tiam hominum communicant, nihil proficiunt, nec vllum meritum habent. Quare accedendum est, non vt propria freti dignitate vel præparatione, putemus nos cõsecuturos ꝓmissa, sed vt credamus remitti nobis peccata gratis propter Christum. Orationes autem, ieiunia, eleemosynæ & alia pia opera, quæ sunt de reuerentia Sacramenti, fieri quoque debent, licet ipsa promissio gratiæ non fiat propter illam nostram præparationem: nam in Christum transferturtota causa remissionis peccatorum & vitæ æternæ: quam sumptio illa signum quoddã & pignus certissimum illius beneficij Christi, quod per fidem accipitur. Ni qui sic cõmunicat, ille nõ solùm accipit in os corpus & sanguinem domini, sed etiã credit verbo, quod corpus hoc traditum sit in mortem pro peccatis suis, & sanguis eius fusus in remissionem peccatorum, Mat. 26. & sic communicans, spiritualiter & corporaliter communicat: Verbo cui credit, communicat spiritualiter, & hæc potissima est communio: sed in os accipiendo corpus Domini, communicat etiam corporaliter, & fit vna caro cum Christo. de illa spirituali communione loquitur Christus, cùm ait Ioan. 6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. de altera corporali loquitur, cùm ait Matth. 26. Hoc est corpus meum, Accipite & comedite &c.

Fructus duplicis primus.

3. Tertiò Apostolus 1. Cor. 10. duplicem fructum exprimit communionis: quorum primus est, participatio & communicatio corporis & sanguinis Christi. corpus & sanguis Christi fit nobis propriũ, & totum quicquid ex illis meruit. Rom. 8. Qui dedit filiũ, quomodo non omnia cũ filio? Christi iustitia, sanctitas, sapientia fit nostra, 1. Corin. 1. Datus est nobis à Deo &cæt. E diuerso nostra peccata iniustitia & miseria fit Christi, qui illa omnia absorbet, tanquàm scintillam ignis mare propter excellentiam sanctitatis ipsius, & sic gloriamur & viuimus in Domino nostro Iesu

Iesu Christo: & ideò dicitur communio gemeinschafft/ quia nos Christi bonis, & Christus nostris miserijs communicat, sicut membra corporis communicant bonis capitis, & è diuerso caput membrorum communione gaudet vel dolet: diuites igitur sumus tanto Christi thesauro, & munitissimi aduersus Sathanam, infernum & peccatum per dignam communionem corporis Christi.

II.

Secundus fructus est, secundum Apostolum 1. Cor. 10. communio sanctorum omnium Christi fidelium: dicit enim, Qui de vno pane & calice participamus, id est, qui credimus in vnum Dominum nostrum Iesum Christum, & in eius mortem, quòd per illam redempti sumus: quotquot igitur nostrum sunt, omnes vnum corpus & vnus panis sumus: hoc est, quicquid vnus Christianorum habet bonitatis, sanctitatis, veritatis, alteri communicatur, sicut racemi vnum faciunt fructum, & grana multa vnum panem: igitur corpus sanctorum est per totum mundum, & membra inuicem distribuunt & communicant dona & bona Dei, quæ Deus per illa operatur. Sic dicebat Dauid Psal. 118. Particeps ego sum omnium timentium te. Ergo quoties communicamus, efficimur participes omnium bonorum fidelium per totum mundũ: sic nos iuuamus mutuis orationibus & suffragijs, ne diabolus nos illo thesauro priuare possit: & hic quidem ingens fructus est, vt quoties communicamus, in Christo maneamus, & participes fiamus omnium bonorum Christi fidelium. Postremò gratias agere debemus post communionem, quòd consecuti simus remissionem peccatorum, & bona operari, ne deinceps vitijs iterum inquinemus corpora nostra iam coniuncta & insita Christo: denique quia omnes effi cimur membra vnius corporis Christi, ideò debemus inter nos coniuncti ac pacifici esse mutua dilectione &c.

CAPVT XII.

ARGVMENTA.

1. *Quòd sub qualibet specie sit totum & integrum sacramentum.*
2. *Quòd salus nostra non dependet à potatione calicis.*
3. *Quare Ecclesia vtatur vna specie pro laicis.*

1. NO Tandum est primò, q̃ Christum habeamus sub illis speciebus indiuisibilem, integrum, viuentẽ, sicut iam in cælo ad dexteram patris sedet. Apostolus inquit Rõ. 6. Christus amplius non moritur &c. nec diuiditur amplius sanguis eius à corpore, sicut semel factum est in passione quia igitur impossibile est, hęc in Christo separari, sed vbi corpus eius est viuum, ibi est & sanguis eius: & vbi sanguis, ibi & corpus: vndè elucet, quòd qui vnam harũ specierũ sumit, totũ accipit Christum & totum Sacramẽtũ, id est, tã corpus quàm sanguinem eius accipit, nec fructus minor est sumentiũ sub vna, nec maior sumentium vtranq; speciẽ. Igitur ratione salutis atque fidei nihil decedit sumentibus vnam speciẽ corporaliter, nec aliquid accedit vtranq; participantibus. sed in fide sumere aut communicare vtranq;, necessarium est ad salutem, id est, credere quòd corpus Christi sit pro peccatis tuis traditum, & credere quòd sanguis eius sit fusus in remissionem peccatorum tuorũ. Qui sic non communicat per fidem vtranque speciem, is damnosa erit hæc sumptio & ad iudicium: alia autem sumptio corporalis seu Sacramentalis, non est adeo necessaria.

2. Secundò, salus animæ à nulla specie pendet, sed à fide potiùs, quòd credam Christi corpus pro me tra-

ditum,

ditum, & sanguinem illius pro me fusum esse: à tali fide pendet salus potissimùm, non ab vna vel vtraq; specie Quę fides si non affuerit, etiamsi plus quā vtranq; sumeres, nihil proficeret tibi: Et ad hanc fidē respicit Ecclesia magis, quā ad species: quemadmodum Apostoli in Sacramento Baptismi potiùs respexerunt ad fidem Christi, quàm formā verborum Baptismi, quā formam Christus ipse instituit Matt. vlt. Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Apostoli tamen hanc verborum formam non tenuerunt, Actor. 2. Sed baptizarunt in nomine Iesu in remissionem peccatorum &c nam fidem respiciebant potiùs, quàm formam Trinitatis Ita Ecclesia maiorē fidei rationem habet in hoc Sacramento participando, quàm specierum, quandò sub vtrisque est Christus totus & integrum Sacramentū. Dum igitur fides hîc perfecta adfuerit, tū totus fructus cōmunionis pendet ab illa potiùs quàm à speciebus. At inquiunt, Christus sic instituit, & dedit Apostolis, & Apostoli sic vtranq; speciē dederunt, 1. Cor. 11. Porrò primitiua Ecclesia sic vsa est, vt patet in Cypr. Hierony. Athanasio, &c. ac plerisq; alijs doctoribus Ecclesiæ. Nemo igitur debet hoc immutare, quia est vltima voluntas Domini & testamentum. Respon. primò, hoc nemo negat, in primitiua Ecclesia, quandò adhuc pauci erant Christiani, datam fuisse vtranq; speciem, idq; non ieiuno tempore, sicut hodiè, sed in cœnis: nam eo tempore Christus instituit, & sic communicabant etiam Apostoli tunc temporis fideles Christianos. Sed & tempus modum correxit Paulus, quandò alius esuriebat, alius ebrius erat: atq; temporis quidem ratio statim immutata fuit etiam apud Apostol. & postea ordinatū ab Ecclesia, vt non nisi à ieiunis sumeretur: quòd si quis velit esse contentiosus, dicere posset, ꝙ nec Apostoli distribuissent Sacramentū hoc iuxta Christi institutū, quia tempus non

seruârunt:

seruârunt: sed sicut hîc nullum est periculum, ita nec in communione vnius speciei. Adde quòd Anabaptistæ instant, non esse baptizandos paruulos, eò quòd Christus instituit formam baptismi sumendi, qui credi derit primùm, & deindè baptizatus fuerit, Marc. & Matth. vlti. & sic non baptizamus iuxta institutionē & præceptum Christi. Sed Ecclesia & Apostoli baptizant pueros atq; primitus baptizarunt, quod non legitur à Christo fuisse præceptum, atque sic est contra eius institutum, vt pueri qui nondum credere possint, baptizentur. Non est igitur semper vrgendum Christi institutum, maximè vbi fidei nihil derogatur atq; saluti. Instituit quoq; Christus decem præcepta Decalogi sub necessitate salutis seruanda, dum inquit: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Sed quis illa seruat totaliter? Sicut ergo hæretici Anabaptistæ vrgent institutum Christi in Sacramento Baptismi, Sic Hussitę & Luterani vtranq; speciem salutis differmine necessariam, quum tamen salus nostra non à speciebus, sed potiùs à fide in mortē passionis Christi & effusionis sanguinis eius dependeat. Respondeant igitur aduersarij, & arguāt Apostolos erroris, eò quòd tempus cōmunionis cœnę Dominicę in ante meridianū tempus mutârunt, & quòd pueros infantes, qui non credere potuerunt, baptizarunt, & formā Baptismi, quam Christus instituit, variârunt. Sed quemadmodū illi damnandi non sunt, sic nec Ecclesia damnāda erit &c. Iterum instant, at clarè exprimitur in scriptura. Accipite, comedite, & bibite, caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: ergo debeo nō solum manducare, sed & bibere. Respō. Hoc comedere & bibere alia forma & modo fit, quā comedere & bibere corporaliter cibū & potum. Fidelis hic comedit & bibit, quia credit corpus pro peccatis traditum: hoc nimirū est Christum fide & spiritualiter manducare: item credere Christi sanguinem effu-

sum

sum pro nobis, hoc est bibere fide sanguinem Christi: & ne tibi scrupulus sit, tam in potu quam in cibo fit sorbitio, & tu simul hæc facis sine omni periculo? Præterea, etsi salus non dependeat ab altera specie, & nihil periculi sit animæ, tamen propter charitatis & vnionis vinculum optandum foret, vniformem esse communionem in Ecclesia. Tanta enim dissidia, inuidia, sanguinis effusio, quid tandem efficiunt?

Tertiò, res mortalium omnes habent principium, medium & finem: vndè fit, vt tantum sit, subitò reuocare velle finem & decrescentia ad primordia, quãtum si quis virum adultum ad cunas & infantiã vellet retrahere: multa secum defert tempus, & rerum status mutatur cum temporibus, & ætas multa mutauit in melius, sicut cęremonię, ordinationes & eiusmodi sæpè cum tempore mutantur & statuuntur, semper tamẽ manente doctrina fidei: quæ nullũ patitur medium nec finẽ. Ecclesia itaq; ordinat pro tempore, & statuit secundum quod melius est, secundum conditionem temporũ, mores hominũ &c. Olim corpus Dominicum dabatur in manũ, vt fideles domi, cũ vellent, sumerent: at cum intelligeret Ecclesia, q̃ essent qui indignè tractarent, nempè ad artes magicas incantationes, mutauit hanc consuetudinẽ in melius, nimirùm vt per ministrũ vel sacerdotem in domos, vbi infirmi essent, portaretur. Quòd autẽ olim Ecclesia porrexit vtranq; specie, hoc fecit contra vitandã hęresim Manichęorum, qui negabant Christũ habuisse veram carnem & sanguinem: vel etiam propter confortandos martyres Christi, vt vel sic sanguinem suum pro Christo effundere non trepidarent, sicut Cypr. inquit. Quòd autem postea Ecclesia vtrãq; abrogauerit & vnam instituit, vt sub qualibet specie totũ Sacramentũ esse crederetur, fecit cùm inciperet error Nestorij, qui diuidebat Sacramentũ, vt tantum sub 3.

sub

sub hostia corpus & non sanguis, & sub vino tantum sanguis esse diceretur. Sic porrò ex alijs causis periculi effusionis &c. ordinauit Ecclesia vnã speciem, panis scilicet idque non vt carnales blaterant, quasi sacerdotes velint meliores aut sanctiores esse Laicis, sed quia nemo ritè vtranq; speciem sumit, nisi consecrãs, id est, sacerdos, cui data est potestas cõsecrandi vtrunq;: sed extra consecrationẽ nemo nisi vnam speciem sumit, tã imperator, quàm colonus &c. Præterea Christus ipse semel sub vna & semel sub vtraq; specie cõmunicauit, sub vtraq, Apostolos suos duodecim in cœna tanquã sacerdotes, Matt. 26. sub vna specie, Discipulos in Emaus & alios laicos, Luc. 24. idq; secundũ interpretationem Patrum, qui illã cõmunionem in Emaus factam, Sacramentalem esse affirmant, vt Theophylactus, Chrysostomus, Augustinus, Beda, Thomas ac reliqui. Apparet itaq;, Christũ innuisse, licitè posse fieri communionẽ non solã sub vtraq;, sed etiam sub vna tantũ specie. Ecclesia itaq; habet dispensare, mutare, &c. Sed venio ad conuincendos sectarios: Quod si sola fides saluat & iustificat, quomodò non in vna specie fides saluat? aut cur diuidendo dicitis, alterã quoq; ad salutem necessariam esse? Si credunt Luterani, sub qualibet specie esse corpus & sanguinem: ergo sufficit vel vnam accidere in fide ad salutẽ. Si autem hoc negant, tunc Christum diuidunt, occidunt, sicut Iudæi, qui diuiserunt sanguinem à corpore eius &c. Luterani quatuor accipiunt species, id est, corpus, sanguinem, & panem quem dicunt remanere post consecrationẽ & vinum, quod & ipsum, vt ipsi dicunt, remanet &c.

CAPVT XIII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit publicum sacrificium Ecclesiæ siue Missa.*

2. Quã-

2. *Quarè sit institutum.*
3. *Qua ratione dicatur esse sacrificium.*

MIssa est Cęremonia siue opus sacerdotis vel publicum officiū, quòd facit super altare, quandò consecrat aut facit ex pane corpus, & ex vino sanguinem Christi, ex mandato & institutione eius ad memoriam passionis suæ, & nostræ redemptionis, vt testatur scriptura, Luc. 22. & 1. Cor 11. Hoc facite in meam commemorationem, id est, quia vos meo corpore & sanguine redemi, hoc debetis in sacro officio Missę celebrantes & cæteri assistentes recordari, quòd hoc meo beneficio estis redempti, & sic Deo gratias agere &c. In Missa autem duo sunt: Consecratio corporis & sanguinis Christi, ex speciebus panis & vini, deindè manducatio & bibitio, sicut præcepit Apostolis, dicens: Accipite, comedite, & bibite: & hæc est tota substantia & principale bonū huius sacrificij. In eo fidesumentis accipit remissionem peccatorum, qua fide homo credit hoc corpus pro se traditum, & sanguinem eius effusum esse pro peccatis suis, & hoc modo Missa solùm prodest sumenti & communicanti. Deindè in Missa fiunt orationes, laudes, confessio nominis Christi, gratiarum actiones, petitiones, suffragia &c. illa omnia prosunt non solū communicanti, sed etiā adstanti, & tā viuis quàm defunctis: orat enim sacerdos, vt Deus pater per passionem filij velit & viuis & defunctis esse propitius, remittere peccata, donare necessaria, salutem & requiem æternam, liberare animas & conseruare à periculis, idque fit non propter hoc opus operatum Missæ: nam Missa per se non est actus Christi crucis, nec sacerdos æqualis CHRISTO est, igitur non fit propter hoc opus sacerdotis, sed propter Christum filium DEI, & virtute veri sacrificij

ficij Christi, quod ipse obtulit in cruce DEO patri: hæc inquam virtus totum illud efficit. Missa est tan. quam annuncians oratio nostra ad Deum patrem, vt ppter merita filij sui hæc nobis concedat, & est ac. ceptum nuncium apud patrem, quia secum defert passionem & mortem filij sui dilecti, & huius dilecti sanguinis vox clamat & impetrat ea vobis &c.

2. Sacrificij duplicis primum.

Secundò, scriptura duplex sacrificium commemorat. Vnum quod dicitur propitiatorium, (gnadopffer) quod meretur alijs remissionem peccatorum, culpæ ac pœnę æternæ: vel dicitur sacrificium reconcilians Deum, ac placans iram Dei pro alijs: vel satisfactorium pro culpa & pœna æterna aliorum: & sic sola Christi mors & passio, est sacrificium vnicum & solum, Gal. 1. qui dedit semetipsum pro nobis, Esa. 53. Oblatus est, quoniam sic voluit pater, qui posuit in eo iniquitatem omnium nostrûm. Alterum sacrificium est laudis & gratiarum actionis: hoc fit ab illis, qui iam sunt reconciliati & iustificati, qui pro acceptа remissione peccatorum & redemptione atq; ceteris Christi beneficijs gratias agunt Deo. Et tale sacrificium est ipsa Missa, non pœnale sicut erat in cruce, nec cruentum, sed gratiarum actio pro pœna crucis, non nouum aut singulare, sed memoratio, eiusdem viui sacrificij: & non solum memoratio sed ipsum sacrificium & idem. Nam vbicunq; fuerit corpus Christi & sanguis, ibi est & sacrificium: at cum in altari sit verum Christi corpus, sequitur & ibi esse sacrificium. Non autem in hoc sacrificio iterum occidimus Christum, sicut Iudæi fecerunt, & hęretici faciunt, separantes corpus & sanguinem: sed petimus, vt propter ipsum corpus & sanguinem Christi, quibus salus nostra est acquisita, nostrorum omnium tu viuorum quàm defunctorum pro quibus suffragia fiunt, velit Deus misereri, &c. Et quanuis quilibet

I I.

propria

propria fide sibi possit applicare sacrificium Christi, tamen multò magis efficax est illa applicatio, si alie- na accesserit quoque oratio, obsecratio, suffragium, &c. & Deus vult vt non solùm nostra propria fide si- mus contenti, sed etiam vt orationibus, suffragijs & petitionibus mutuis nos inuicem iuuemus. Sic Mat- thei 6. Christus docuit nos orare: Pater noster &c. in qua oratione non vnum pro se solo, sed omnes in plurali orare nos voluit: & quanuis Paulus plenus es set fide Christi & Spiritu sancto, attamen sæpiùs pe- tijt orationem fratrum fidelium: & ideò S S. Patres multum tribuebant orationi, quæ fiebat in altari in præsentia corporis & sanguinis Christi, quam etiam Augustinus in Epistola arbitratur esse efficacissimā: & Christus ipse pro alijs in cruce orauit, & illis appli cauit suum sacrificium, & orauit pro crucifigenti- bus se &c. Nam ne quis putet hoc opus operatum in Missa efficere, canit Ecclesia, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.

3. Trium rā- tionū pri- ma.

Tertiò, Missa est instituta triplici ratione: Prima est memoria passionis saluatoris nostri: nam Chri- stus iussit mortē eius annunciare donec veniat ad iu dicium, 1. Cor. 11. scilicet quòd per illam redempti su- mus, & ne in alio quæramus salutem & iustitiam, quàm in ipsa sola morte Christi: nullum opus homi- nis hanc habet prærogatiuam: ideò voce, Sacramēto, imagine crucifixi & alijs cæremonijs reuocamus in memoriam illam passionem, in vestimētis, ornatu & alijs ritibus Missæ &c. Secunda causa est precatio ad Deum patrem, tanquam legatio vel nunciū pro di- stributiōe huius beneficij: quotidie enim peccamus, ideo & quotidie est nobis necessaria precatio seu sup- plicatio p condonatione peccatorum propter meri ritum Christi. Igitur in Missa dicimus, Ecce amantissi me pater, filiū tuum, quem diligis, quē genuisti tibi æqualem, cuius corpus & sanguinē tradidisti pro pec

I I.

catis totius mundi, quod corpus & sanguinẽ hîc in altari veraciter habemus: petimus, amore illius, nostri miserere, & ꝓpter eius passionẽ pro salute nostra effectam. Non petimus propter illius diuinitatem, potentiam, sapientiam &c. nostrî misereri, sed propter mortem eius & sanguinẽ. nam illam ad nostram salutem & reconciliationem tuam nobis pater donâsti ex misericordia & dilectione erga nos, vt cum ita diligeres filium, cum tamen dares pro toto mundo: & quia iussisti nos petere in nomine eius &c. da igitur & concede famulis tuis &c. Salutare igitur est quotidie ex deuotione, non autẽ ob quęstum, celebrare. Et quoniam passio Christi efficax erit & remissio peccatorũ & pœnarum durabit tandiu, vsq; dum venerit ad iudicium, & ideò semper iussit nos annunciare eius mortem, certè semper & vsq; durat distributio beneficij Christi. Si igitur antè hoc tempus aduentus eius aliqui moriũtur Christiani, de quorũ statu post mortẽ certi non sumus: ideò semper in hoc sacrificio Missę fit oratio pro illis defunctis, vt eis subueniat & distribuatur virtus passionis Christi: non enim Missæ per se, vt sunt Cęremoniæ, liberant animas de Purgatorio, sed ipsa virtus & merita mortis Christi, & illam petimus eis exhiberi in Domino defunctis: hoc enim sacrificium Missę vnà cum precibus, eleemosynis, & ieiunijs prodesse fidelium animabus, Patres & Ecclesia antè multos annos crediderunt, & in vsu semper habuerunt: precamur item & alia nobis necessaria exhiberi propter mortem Christi, pluuiam, fertilitatem, auersionẽ pestilitatis, pacem & propagationẽ, & hæc similia, freti verbo Christi, cum ait Ioan. 16. Si quid petîeritis patrẽ in nomine meo &c. ibi nihil excluditur, nec prohibuit petere &c. Tertiò Missa instituta est pro gratiarum actione, quòd nimirùm per mortem Christi tantùm beneficium sumus consecuti: nam etiam in mensa pro accepto cibi bene-

III.

bi beneficio gratias agimus Deo, & sicut illo naturali cibo seruatur vita, ita per hoc Sacramentum Altaris fides nostra, quòd credimus tanta pro nobis passum esse Christum, retinetur: nam sine tali fide anima nostra non viuit vita gratiæ Sic ad Ephes. 5. iubet Apostol. in omnibus gratiarū fieri actiones Deo patri in nomine Domini nostri Iesu Christi: & ideò in primitiua Ecclesia populus frequenter communicabat, vt illam fidem de Christi morte vehementiùs sibi inculcarent, idq; singulis diebus ac festiuitatibus: Quòd si verò Missa Catholica, quod instanter laborant hæretici, planè abrogaretur, tunc fides passionis Christi, laudes diuinę, communes orationes & petitiones, gratiarum actiones, suffragia, & in summa tota deuotio Christianorum extingueretur, quod absit.

CAPVT XIIII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit vera conuersio seu pœnitentia secundum scripturam.*
2. *Quidnam homini peccata sua remittat, an nostra cõtritio, confessio satisfactio, vel fides.*
3. *Qui sint veri fructus pœnitentiæ.*

CONuersio hominis siue pœnitentia est, aliter in animo sentire quã quis antea senserit in peccato viuẽs: & ea repudiare ac improbare, quę antea placuerãt, ac pigere de inhonestate ac malignitate cõmissorum peccatorũ, sicut Dauid orauit Deũ, vt auerteret se à fœditate peccatorũ suorum, cum inquit: Auerte faciẽ tuã à peccatis meis &c. qa putruerũt ossa mea, & corruptę sunt cicatrices meę à facie peccatorũ meorũ, Psa. 50. & 37. Sic Petr. postquã abnegauerat 1.

Dominũ suũ Christũ, tamen in se reuersus, fleuit amarè, Mat. 26. Sic Magdalena pœnitẽs & gemens detur pitudine peccatorum, prouoluit se ad pedes Christi, & lachrymis suis eos lauit, & iterum Dauid, deflens commissum adulterium, inquit: Lachrymis meis Psalm. 6. stratum meum rigabo, peccatum meum contra me Psal. 50. est semper. quasi diceret, Ex corde doleo & improbo quod primùm placuit: & hęc dicitur conuersio seu pœnitentia hominis. Et quoniam maior est Christi gratia & bonitas, quàm peccatum & iniquitas nostra Rom. 6. ideò certissima est hęc sententia, omnia peccata remitti pœnitentib. & credentibus, ita quòd nullũ peccatum sit irremissibile, nisi quod gratiã & Christi mortẽ contẽnit, vt est peccatũ in Spiritum S. Mat. 12. qualia sunt perpetua impœnitentia, obduratio cordis, desperatio, abnegatio vel impugnatio agnitę veritatis & Euangelij &c. hęc dicuntur peccata ad mortẽ, & qui in illis moriũtur, non est p eis orandum, vt ait scriptura: Est peccatum ad mortẽ, non dico vt quis oret pro eo &c 1. Ioan. 5. pugnant enim hęc cũ gratia & promissione Dei: cętera autẽ peccata, cũ ad gratiã & p̃missionem Dei per conuersionẽ confugiunt, remittuntur: illis autẽ qui nunquã pœnitent, peccatũ est irremissibile &c. Sẽtentia illa Apostoli ad Heb. 6. Impossibile est quòd qui semel illuminati sunt &c. intelligenda est de illis, qui non amplius auscultant Euangelio, sed abnegant & contradicunt, nec retinent vota Baptismi, pœnitentię, & aliorum Sacramẽtorũ: porrò sententia ad Heb 10. Voluntariè peccantibus &c intelligitur postquàm Christi beneficiũ cõsecuti sunt, sed id non retinẽt, necessariò sequitur alterum, vt dent pœnas in iudicio: non autẽ negari potest per has authoritates, quòd lapsi nõ possint redire ad beneficium Christi. Errãt igitur Nouatiani, qui post baptismũ negant lapsis pœnitentiã, & post peccatum iterũ posse consequi veniam peccatorũ, sicut patet in

etin Dauide 2. Reg, 12. & 24 & Mat. 18. Si peccauerit in te frater tuus, &c. Et tamen quia peccatū in natura hæret, Psalm. 50. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, Eph 2. Eramus natura filij irę: ideò errant Cathari, qui somniant se absq; peccato esse, & propria iustitia iustos. 1. Ioan. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus &c.

2. Secundò, veteres tres partes pœnitentiæ fecerunt, contritionē, confessionem & satisfactionē: & illas recte oportet intelligi. Nam contritionem appellârunt verum dolorem ac terrorem conscientiæ, quo homo sentit Deum irasci peccato suo, & dolet se peccâsse. Vndè Psal. 50. Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet: Confessionē dixerunt enumerationē peccatorū, quæ quis cognoscebat, & quæ enormia erant Omnia autē & occulta recensere impossibile est, iuxta Psal. 18. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Deus. & illa confessio fuit retenta in Ecclesia, licet non fuerit sic expressa à Christo: primò, propter absolutionem & consolationē turbatæ conscientiæ: deindè, propter disciplinam & timorem: postremò, quòd inconueniens erat prorsus, inexploratos accedere ad communionē: huiusmodi verò confessio fit hodie occultè in aurem presbyteri: olim rei criminum, publicè excommunicabantur, nec recipiebantur nisi primùm confessi, hoc est, nisi priùs testarētur apud confessionariū, se emendaturos peruersos mores, & peterent absolutionem: addebatur satisfactio, id est, publica quædam solutio seu castigatio, vel eapropter, vt alij admoniti cauerent, ne simili modo laberentur, vel vt exploraretur eorum animus qui redibant per pœnitentiam, an seriò resipuissent. Satisfactionem dixerunt veteres, exteriorem vel corporalem quandam operationem vel afflictionem voluntariè assumptam ad puniendū etiam peccatum à se commissum, & hæc potissimum consiste-

bat in ieiunio, oratione, eleemosyna &c. Quòd autem veteres dixerunt illa esse satisfactiua apud Deũ, non de culpa peccatorum intellexerunt, pro qua solus Christus satisfecit, sed de pœna peccatorũ, quam Deus pro peccatis post baptismum admissis à nobis exigit, vt alibi dictum est. Cęterùm prædictæ partes non sic capiendę sunt, tanquam per opus contritionis, confessionis vel satisfactionis simpliciter quis mereatur remissionem peccatorum: illa licet salutaria sint, tamẽ remissio transfertur in Christũ, in cuius nomine prędicatur pœnitentia, Luc. vlt. hoc est, Christi virtute & merito gratis nobis remittuntur peccata, non tantum opera nostra satisfaciunt pro peccatis. Vna est enim satisfactio generalis pro peccatis totius mundi: opera quoq; nostra in alium finem seruiunt ad castigandum & purgandũ corpus: & illis Deus promisit ingentia pręmia: sed satisfactio plenaria qua Deus reconciliatur, tribuitur soli Christo &c. ius morti: attamen illa satisfactio erga proximũ necessaria est, vt scilicet restituã res ablatas, & reconcilier proximo &c. Pręcipuè autẽ partes pœnitentię videntur esse, contritio & fides, contritio quæ concipitur & augetur ex verbo legis diuinæ, quæ exigit obseruantiam pręceptorum Dei, immo exempla horrenda proponuntur tam in lege quàm Euangelio, Omnis arbor quę non fert fructus, excindetur & in ignẽ proijcietur &c. Deindè fides in Dei misericordiam, qua homo se erigit & credit sibi remitti peccata propter Christũ gratis, non propter opera quę fecimus nos, sed propter Christũ, particula, gratis, nõ excludit opera nostra bona, sed causam remissionis transfert in Christũ, vt promissio sit certa, Rõ. 4. Hęc fides discrimen fecit inter contritionẽ Petri & Iudę, Dauidis & Saulis: quia Sauli & Iudę contritio sua non profuit, quia non addiderunt hanc fidem, sicut Petrus & Dauid fecerunt, & apprehenderunt promissam

De

Dei misericordiam propter Christum, qua se consolabantur: hęc fides facit discrimen inter timorem seruilem & filialem, eò quòd timor seruilis est metus sine fide, timor autem filialis erigit & consolatur animum: quilibet ergo peccator debet sibi in specie, & non solum in genere statuere, quòd sibi remittantur peccata sua propter Christum: scit enim diabolus in Ecclesia esse remissionem peccatorum non autem credit sibi ignosci: igitur specialis fides habenda est, qua sibi quisq; applicet beneficium Christi. Postremò in reconciliatis, confessis, & contritis sequi debet iustitia bonæ conscientiæ, id est, bona opera & digni fructus pœnitentiæ, non quòd satisfaciant & reconcilient, quia iam propter Christum fide reconciliati sumus, sed in alium finem ad laudem Dei, Phil. 1. ad gratias agendas pro accepto Christi beneficio, quia propter illius mortem nobis peccata sunt remissa, & quòd Deus promisit ingentia prędmia 1. Cor. 3. Sic Matthęi 4. Facite fructus dignos pœnitentiæ, & Rom. 6. Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ &c. & iterum, Si secundùm carnem vixeritis, moriemini &c. hæc nisi sequantur reconciliationem & pœnitentiam, tunc pœnitentia vana est. Et quanuis non satisfaciamus legi, nec sedulò facimus bona opera vt deberemus, & si quid boni facimus, hoc fit in carne maculata, tamen conscientia non desperet, sed teneat semper hoc beneficium Christi, quòd homo sit iustus, id est, acceptus fide propter Christum, & quòd sequentia bona opera Deo placeant, & sint iustitia, & habeant præmia, quia persona est reconciliata &c.

CAPVT XV.

ARGVMENTA.

1. *Vndè fiat, quòd homines infirmi vnguntur.*

2. *Qui sunt fructus vnctionis sacræ.*
3. *Quare in fine vitæ datur, & non in principio.*

I. Vnctionũ triũ prima.

NOtandum primò, quòd quilibet Christianus communis ex ordinatione patrum ter vngitur, in Baptismo scilicet, in principio confessionis fidei Christianæ supra caput in vertice, vt sciat baptizatus se iam Christo insitum & inunctum esse, vndè chrisma dicitur vnctio, & quia Christo vngitur baptizatus, vndè & Christiani à Christo vncti dicimur: hocque nomnen Christiani, fidelibus dari cœpit Antiochiæ Acto. 11. priùs vocabantur Galilæi, vt ibi, Viri Galilæi &c.

Act. 1. 11.

Secundò, vngitur homo in confirmatione, balsamo & oleo in fronte, vt confirmetur & liberè confiteatur nomen Iesu Christi coram Iudeis & gentibus, Matt. 10. Qui me confessus fuerit &c.

III.

Tertiò, vngitur homo in fine vitæ in manibus & pedibus contra impugnationem Dæmonum, & ad patientem tolerationem passionũ atq; pœnę mortis, ad alleuiationem infirmitatis, & remissionem peccatorum cum oratione presbyterorum Iac. 5. &c. Et hic ritus vngendi venit à temporibus Apostolorũ, Marc. 6. dicitur: Vngebant infirmos oleo, & sanabantur: nec legitur quòd Christus repræhenderit hunc ritum vngendi, & Iacobus Apostolus præcipit in sua Canon. 5. cap. Si quis infirmatur inter vos, accersat presbyteros Ecclesiæ, & orent, super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & eriget eũ Dominus, & si in peccatis fuerit, remittentur ei &cęt. rursus probatur ex Marci 6. cap. Et accersit duodecim, cœpitque eos mittere binos ac trinos, ac dabat illis potestatem spirituum &c. Exeuntes ergo, prædicabant hominibus, & dæmo-

nia

nia cijciebant,& vngebant oleo multos ęgros, & sanabantur &c. Dedit ibidem multa prȩcepta Christus discipulis, vndè & præceptum vngendi infirmos eis dedisse conuincitur: aliàs enim sua propria potestate non vnxissent, nec dæmonia eiecissent, nisi fuisset præceptum & iussum Christi, vt ipsius authoritate dæmones eijcerent,& infirmos vngerent vt saluarentur. Et sic docent patres Ecclesiæ, sacram vnctionem à Christo institutam & præceptam discipulis: ideoq; minimè vt humana inuentio, reijcienda est. 2.

Secundò, fructus & virtus huius Sacramenti duplex est propter orationem fidei, quæ fit à Sacerdotibus & populo: primò, peccatorum remissio: deindè, corporalis infirmitatis alleuiatio, si Domino videbitur,& patiens meretur. Hos duos affectus ponit Apostolus Iac.5.inquiens: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & primò orent super eum,& oratio fidei saluabit infirmum: & si in peccatis sit, remittentur ei. Non nuda oratio à nobis effusa dat remissionem, neque oleum peccata dimittit, sed virtus sanguinis Christi atque mortis, quæ ibi operatur per implorationem orationis, & per oleum fides certificatur de accepta remissione peccatorum propter Christum & eius mortem. Vult enim Deus efficacem esse suam promissionem, remitti fidelibus peccata per sacramenta, quibus fides certa redditur de gratia: & illa est ordinatio diuina & voluntas, atq; ideò dicitur, vnctionem fieri debere in nomine Domini, vt propter illum sit efficax. Secundus fructus vnctionis est alleuiatio, quòd eum Dominus alleuiabit à corporali infirmitate, si diutiùs per diuinam prouidentiam viuere debet, vel dat ei maiorem patientiam in infirmitate atque constantiam contra impugnationem dæmonis. Si quæris medicinam propter alleuiationem infirmitatis, cur hîc fugis aut contemnis Christi medicinam? an nõ habes maiorem con-

fidentiam acquirendæ ſanitatis per Euangelicam ſa-
nationem & Chriſti medicinam, quàm habes per A-
pothecarios? S. Hieronymus dicit, quòd nulla me-
dendi ars aliquid valeat ſine miſericordia Dei, & diſ-
ſerit contra medicos, qui negant morbos eſſe flagel-
la Dei, &c. Tob. 6. fol. 206. Quòd autem in tali vn-
ctione omnia membra hominis, aures, manus, pedes
&c. vnguntur, ſignũ eſt humilitatis & pœnitentiæ, q̃
petimus remiſſionem omnium eorum peccatorum,
quę audiendo, tangendo, ambulando, videndo &c. q̃
commiſimus: idq̃; fit cum oratione presbyteri. Do-
minus noſter Ieſus CHRISTVS remittat tibi omnia
peccata, quæ oculis, auribus, manibus &cæt. contra-
xiſti. Deus itaque remittit nobis peccata per vnctio-
nem, non ipſa vnctio, ſicut Deus nos nutrit perpe-
nẽ, nõ ipſe panis. D. Auguſtinus inquit: ſi quis ægro-
tat, in ſola Dei miſericordia confidat, & Euchariſtiã
ſumat cum fide & deuotione, oleumq́ue benedictum
fideliter ab Eccleſia petat, vnde corpus ſuum vnga-
tur: Nam illa vnctio deſignat vnctionem ſpiritus ſan-
cti, qui confortet in fide atque conſeruet exeuntem
ex hoc ſeculo &cæt. At inquis: ſi tantos habet fru-
ctus vnctio, cur non etiam vnguntur paruuli? Reſ-
pon. hoc ſacramẽtum pertinet propriè ad illos, qui
intelligũt quomodò toto corpore & omnibus mem-
bris contra Deum peccârint, & ſe non ſeruâſſe præ-
ceptum Apoſtolicum, Romanor. 6. Sicut exhibuiſtis
membra veſtra &cæt. & quoniam paruuli hoc non-
dùm intelligunt, nec ita deliquerũt vt ſeniores, ideò
tali vnctione nondùm opùs habent. Non autem dico
hoc ſacramentum ſummæ eſſe neceſſitatis, quòd ne-
mo ſaluaretur ſine illo: nam Deus non alligauit po-
tentiam ſuam ſacramentis: ſed tamen qui hoc facere
poſſunt, ritum illum Apoſtolorum non debent con-
temnere. Vult enim Chriſtus varijs modis & ritibus
ſuum nobis exhibere beneficium, iam verbis in abſe-
lutione

lutione, iam per verba & signa sacramentalia, iam per opera &c. Quare hęc regula semper tenenda est, quoties dicitur, Baptismum, Confirmationem, Vnctionem, orationem, ieiunium, eleemosynam &cæt. & alia bona opera remittere peccata, non sic intelligendum esse, quasi hęc opera operata per se, vel sacramenta & eorum materiæ, elementa & creaturæ, nobis remittant peccata: nam nullum opus vel sacramentum ex sua dignitate & virtute meretur nobis veniam peccatorum, sed solus Deus est qui remittit & indulget peccata. Esai. 43. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, sed sic est intelligendum, quòd in tali operatione salutis & remissionis peccatorum, Deus propter Christũ & eius sanguinem atq; meritum, causa & fons est per externa hæc signa sacramentorum seu rituũ, per quæ tanquàm per media, ipse distribuit nobis filij sui beneficia, id est, remissionem peccatorum & salutem æternam: Nam à sola Christi morte fluit & pendet virtus & causa remissionis peccatorum & vitæ æternæ: idq; semper tenẽdum, quoties dicitur, quòd oratio, eleemosyna, hoc vel illud opus, remittat peccata &c. Po- 3.
stremò vngitur Christianꝰ in extremis, & non in principio infirmitatis: etsi contra Deum non foret, etiãsi in principio fieret: sed quia aliquandò infirmitates & morbi sunt pœnæ & crux siue flagella Dei, (vt D. Hieronymus ait) quæ ad certum aut diuturnum tempus, Deus vult hominibus infligere ad extirpationem & mortificationem vitiorũ & peccatorum corporis & animæ, sicut probauit Iob grauissima infirmitate, Ezechiam 4. Reg. 20. Tobiam cęcitate, & in Euangelio paralyticum, & quia dicitur, Quos diligit Deus, hos castigat &cæt. igitur infirmus vngitur in extremis, & est vltimum sacramentum, quo Christiani muniũtur in fine vitę. Nam visum est Ecclesiæ, vt quilibet verus Christianus in principio vitæ baptismo,

ptiſmo, deindè iam adultus confirmatione, & poſtremò vnctione armaretur contra diabolum, vt omni diligentia accepta ſemel in baptiſmo iuſtitia retineretur: Eſt enim Chriſtianus, in hac vita viator: qua egreſſurus, primùm valedicit, id eſt, in baptiſmo renunciat mundo, peccatis & ſathanæ: deindè prouidet ſibi de pane viatico, id eſt, in Euchariſtia cibatur: Tertiò armatur cõtra noxia animalia, canes, &c. id eſt, in confirmatione & vnctione extrema armatur contra inſultus & inſidias diaboli, &c.

CAPVT XVI.

ARGVMENTA.

1. *Quare Eccleſia permittit & habet varia ſacramentalia & cæremonias.*
2. *Vnde illarum ſit virtus, vtrũ à rebus, an virtute diuini nominis ſuper his inuocati.*
3. *Quandò illorum verus ſit vſus, & quando abuſus.*

1. NOtandum primò quòd propheta Dauid in Pſal. 148. iubet Deum laudare omnes creaturas tam rationales, vt Angelos & homines, quàm irrationales, vt beſtias & vniuerſa pecora, ſolem, lunam, ignem, glaciem, montes, ligna fructifera, & oẽs cedros &c. quæ à Deo creata ſunt. Deindè iubet nos in creaturis Deum laudare: ideò Eccleſia quia ſcit quòd Deo placet, ſi inuocetur ſæpè nomen eius: nam illa inuocatio eſt cultus & honor Dei, quem maximè exigit. Nam eſt teſtimonium fidei, Rom. 10. quomodò inuocabunt in quem non crediderunt? ſgitur ſuper varias creaturas inuocat & laudat Eccleſia nomen Dei, vt ſunt ſal, aqua, herbæ, lumen, apparamenta, & reliqua templi vtenſilia, in hunc finem, vt

homo

homo habeat, quo sæpè admoneatur laudare, benedicere & cogitare Deum in corde suo, vt quoties videt vsum illarum creaturarum, cogitet ea fieri in honorem & laudem Dei, atque ideò ipsum in corde suo adoret. Nam sicut circulus ante tabernam admonet de vino vendibili, &cæt. ita externæ cæremoniæ admonent nos rerum diuinarum Habebāt olim Christiani priuatim in domibus Eucharistiam: sed mos ille abolitus est, & in locum eius successit consuetudo, quòd habeant in domibus creaturas benedictas vel consecratas cum inuocatione nominis Dei, vt vel sic semper in omni creatura admoneantur Dei benefactoris ac conditoris, sicut habent sal, aquam, palmarum frondes, cereos &cæta consecrata, nam testatur scriptura, vbi ait Apostolus 1 Timoth 4 quòd omnis creatura sanctificatur per verbum inuocationis, Dei scilicet & orationum: monēt autem nos vexilla, thurificationes, candelæ seu funalia de triumpho Christi, quem habuit superata morte & inferno: herbę autem fructiferæ & odoriferæ signant, virginem Mariam dedisse suauitatem odoris & fructum benedictum Iesum Christum &cęt. Non in alium quàm in hunc finem, nempè vt nos admoneant Dei & rerum spiritualium, permittit Ecclesia huiusmodi sacramētalia & cæremonias.

Secundò, quia non solùm admonent, sed etiam quandam virtutem & fructum habent: ideò sciendū, quòd talis efficacia non est à creatura, sed ab inuocatione nominis Dei: Virtus enim nominis Dei, super hanc creaturam inuocati, operatur per eandem, non ipsa creatura. Sic Christus inquit Marc. vltim. In nomine meo dæmonia eijcient, id est, non verba aut virtus verborum, sed virtus nominis mei: illuc respicite, & intentionem ac fidem dirigite, non in creaturam aut verba vestra: sed virtus nominis Christi serpentes tollet, ne potus veneni noceat, vt infirmitas 2.

sanetur

sanetur per impositionem manuum vestrarum &cet. ibi Christus dedit potestatem contra dæmones, non solùm in hominibus, sed etiam alijs creaturis, quibus diabolus nocere posset, si non prohiberetur. Deinde, quandò impossibile est, quod nomen Domini possit sine fructu inuocari: est enim efficax nomen Domini: & in nomine Iesu omne genu flectetur, tàm terrestrium quàm inferorum: est igitur aduersus dæmones efficax, vndè veteres dixerunt de aqua benedicta.

Huius aquæ iactus depellit dæmonis actus.

Paulus ad Roman. 1. dicit, quòd inuisibilis virtus Dei atq; diuinitas conspicitur per ea quæ facta sunt: ideò vbicunque est inuocatum nomen Dei, ibi aliqua est virtus & efficacia secundùm formam orationis super creaturam prolatam, quem fructū Deus virtute sua ex misericordia propter Christum efficit de quacunque re, de qua in petitione mētio facta est: ideò fides non ab ipsa creatura pendet, sed à virtute nominis Dei. Vult enim Deus illum cultum & honorem inuocationis nominis sui, per varios modos & occasiones fieri. Nō igitur blasphemia est vel idololatria, talis super creaturam inuocatio nominis Dei, quando piè & religiosè fit, nec etiam sine culpa possunt eiusmodi sacramentalia aut cæremoniæ dehonestari vel irrideri. Tres pueri in camino Deum laudabant in omnibus creaturis, Daniel. 3. Merito igitur & nos Deum laudamus, & memoriam eius facimus occasione creaturarum.

Tertiò, magna diligentia exigitur à pastoribus, vt
3. hîc doceant populum, ne pendeat à visibilibus creaturis, illis fructum tribuens, non verbo Dei & Christi virtuti: id quod sæpè timendū est à simplicibus Christianis: deindè, ne incantationes & spurcitias diaboli his exerceant. Nam sic vti sacris rebus & verbis,

est

est Christum offerre diabolo, & diuinam virtutem transferre ad voluntatem diaboli: id quod grauissimum est peccatum. Si ergò in eum finem vtamur sacramentalibus, vt nos vt per ea moneamur venerationis Dei, vtque tantùm à virtute nominis Dei spectetur fructus & efficacia ad formam orationis, salutare est & minimè contra Deum, etsi rumpantur furijs aduersarij. Non sunt res ita necessariæ, vt nemo sine illis possit saluari: fateor: tamen propter simplices, vt semper in oculis & vsu habeant, quo Dei recordentur, pietas accendatur, fiducia in Deum erigatur, Deus laudetur, & Sathanas hisce rebus inimicus tanquàm flagellis repellatur, haudquaquàm sunt contemnenda. Sæpè etiam efficaciam diuinæ virtutis per hæc miraculosè operatam esse, compertum est: Nutritur autem maximè per hæc deuotio & contemplatio nominis & gloriæ Dei.

CAPVT XVII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit Episcopus secundùm Apostolum & scripturam.*
2. *Qualis sit eligendus in Episcopum.*
3. *Quid illi debeant subditi, scilicet honorem, obedientiam, prouisionem.*

APostolus 1. Corinth. 4. exponit, quid sit Episcopus, inquiens: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores ministeriorum Dei.* est enim Episcopus Speculator aut superintẽdens, (auffeher vndè Hiere. 6. Constitui super vos speculatores, Græcè σκοπους, audite vocem tubæ: & sic dicitur, quia semper intendere debet saluti plebis 1.

plebis sibi commissæ: est enim dispensator ministe-
riorum Dei, id est, docere debet Euangelium & præ-
dicare populo Marc. vltimo & Matth. vlti. absoluere
& ligare, atque sacramenta ministrare, & pauperum
Christianorum curam agere, & in eum finem dicit
Apostolus 1. Timot, 3. Qui Episcopatum desiderat, id
est, hoc officium, curam & labores pro salute simpli-
cium, bonum opus desiderat: placet enim Deo maxi-
mè hoc officium Episcopi, quandò quis hoc non fa-
cit propter suam gloriam, aut commodum aut digni-
tatem, sed ad laudem Dei & salutem simplicium, qui
quærit fructum, non lanam ouium. Vndè dicitur a-
pud Prophetam: Væ pastoribus qui pascunt semet-
ipsos &c. qui labores suscipit propter Deum & vtili-
tatem gregis sui, nō propter dignitatem vel diuitias
aut honorem. Est igitur Episcopus dispensator re-
rum æternarum per ministerium verbi & sacramen-
torum, scilicet iustitiæ æternæ, Charitatis, Spiritus
sancti, vitæ æternæ, remissionis peccatorum &c. hæc
enim dispensantur per prædicationem, & fide acci-
piuntur à fidelibus, Gala. 3. aut ex auditu fidei vel le-
gis &c. Gubernatio igitur rerum corporalium, ciui-
tatum ac legum pertinet propriè ad politicam admi-
nistrationem, quæ res alia est à dispensatione rerum
spiritualium. Si igitur Episcopi habent potestatem
gladij, hanc nō habent vt Episcopi ex mandato Eua
gelij, sed iure humano, donatam à regibus & impe-
ratoribus ad administrationem ciuilem suorum sub-
ditorum & bonorum, ad sustentationem ministro-
rum &c. Proprium autem officium Episcopi est, do-
cere seu scripto seu ore, ordinare, remittere peccata,
& ligare impœnitentes, administrare sacramēta, &c.

2. Secundò dicit Apostolus 1. Timot. 3. & Tit. 1. notat
qui sint eligendi in Episcopos Ecclesiæ: nam eligē-
bantur olim ex ciuibus probatissimis, qui erant opti-
mæ famæ & doctrinæ, sicut nunc Consules eligun-
tur.

tur: & eligebantur etiam vxorati, & qui habebant filios & familiam domesticam. Lyra in glossa inquit, quòd sub nomine Episcopi Apostolus etiam intelligi voluerit Sacerdotes, & è diuerso: nam ad vtriusq; officium pertinet superintendere populo, docere, administrare, &cæt. licet hæc officia magis extendantur in Episcopo, quàm in Sacerdote, eò quòd ille totam diœcesin, hic autem saltem vnam parochiam habet regendam. Est igitur eligendus in Episcopum vel in Sacerdotem, qui sit sine crimine, id est, irrepræhensibilis. dicitur autem irrepræhensibilitas duplex, coram Deo, & coram hominibus: coram Deo nullus mortalium est irrepræhensibilis, iuxta 1. Ioan. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, &cæt. Alia est coram hominibus vel mundo, quandò quis se nulla turpitudine inquinat vel manifesto peccato, aut enormi & criminoso se culpabilem facit, vt libidinosum, ebriosum, percussorem, adulterũ, blasphemum, sacrilegum, &cęt. Nam qui vult alios docere & corrigere, & ipsis dicere scelera eorum, iuxta Prophetam, ipse crimine careat oportet. nã vt Cato inquit.

Eligendus primo in episcopum quis.

Turpe est doctori, quum culpa redarguit ipsum.

Deindè qui sit vnius vxoris maritus, id est, qui nõ simul duas habeat vxores, sicuti commune erat apud Iudęos & gentiles, quibus hoc liberum erat. Sed voluerunt sancti patres, maiorem omninò pudicitiam habere Sacerdotes Ecclesiæ Christi. prohibuerunt ipsis etiam vnam vxorem, vt eo meliùs quæ Domini sunt, curarent, non quomodò placerent vxoribus, &cæt. Sed quæ scandala posteà secuta sint, ex incuria prælatorum, manifestius est quàm vt hîc referre sit opùs.

Tertiò, eligendus qui sit ornatus gestibus & moribus. per exteriora enim iudicantur interiora. Vndè

Matt. 5. dicitur, Sic luceat lux vestra coram hominibus &c. Eccles. 19, Ex visu cognoscitur vir. Amictus corporis & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo. Vndè legitur de B. Ambrosio, quòd noluerit eos ordinare qui dissolutè incedebant, vestimentis scili-

IIII. cet lenonijs. Quartò, vt sit pudicus verbis: nam im-pudicus oculus & verbum impudicum sunt impudi-ci cordis nuncius. Vndè verba luxuriosa non decent

V. Episcopum nec clericum. Quintò, prudens in con-silijs dandis ac regendo populo. Matt. 24. fidelis ser-

VI. uus & prudens, quem constituit Dominus super fa-miliam suam. Sextò, hospitalis, qui colligat peregri-nos Christianos, & illis benefaciat, distribuendo e-leemosynas: nam quicquid reliquum est bonorum & vltra necessitatem, id erogabitur in pauperes, Re-manor 12. hospitalitatem sectantes, id est, inuitando eos scilicet pauperes, qui te reinuitare non possunt;

VII. bona enim quibus vtuntur, Christi bona sunt. Se-ptimò, non sit vinolentus, nec se immodicis hausti-bus & certatim ingurgitet vino. Esai. quinto. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, certantes scili-cet ad æquales hausus, & viri fortes ad miscendam

VIII. ebrietatem. Ephes. quinto. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Octauò, non sit percussor, ne quem quam vulneret prouocatus vel verbo vel ira, sed si modestus, mitis, & patiens. Philipp. quarto. Mode-

IX. stia vestra nota sit omnibus hominibus. Nonò, non cupidus vel auarus, nec vsurarius, aut mercator, nec

X. turpi lucro deditus, id est, lusor aleæ, taxillorum &c. Decimò, non sit litigiosus. 2. Tim. 2. Seruum Dei non oportet litigare, & Matth. quinto, Sit sermo vester,

XI. Est est, Non non. Vndecimò, doctor lingua, qui possit docere subditos & pascere doctrina, & coërcere con-tradicentes hæreticos, eosque conuincere sana doc-trina: sunt enim plerunque inobedientes, vaniloqui, & seductores, Tit. primo. Duodecimò, vt scias

XII. domus

domui suæ benè præesse : nam qui propriam domum non benè regit, quomodò domū Dei, id est, Ecclesiā gubernabit? Igitur si habet filios morigeros & familiam honestā, signum est, ꝙ & benè gubernabit Ecclesiam. His igitur iā dictis cōditionibus Episcopus debet esse probatus, antequā eligatur : non sit neophytus in fide, aut ꝓpter aliam aliquā causam, sicuti hodiè eliguntur ꝓpter munera, stemma, diuitias, fauorem, &c. Euangelicus ergò & Apostolicus Episcopus eligendus est, qui talibus dotibus sit ornatus. Habēt & patres suos canones de vita & statu Episcoporum, Sacerdotum & Clericorum, qui si seruarentur, haud dubie aliam faciem haberet Ecclesia.

Tertiò, tria debent subditi Episcopo vel Sacerdoti: primò reuerentiam. Nam Episcopus non est minister vel seruus imperatoris vel regis, sed Dei & Iesu Christi. Graue est igitur peccatum, contemnere, deridere, detrahere, in ius vocare, aut tangere sacerdotem vel Episcopum. Ideo Apostolus 1. Tim. 5. inquit: Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Contemptus enim & odium Sacerdotum, ianua est omnium hęreseon, inquit Cyprianus Secundò, subditi debent illis obedientiam Luc. 10. Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit. debemus enim illis obedire etiam dyscolis, in omnibus quæ non sunt contrà Deum & verbum eius Heb. 12 Obedite prępositis vestris, ipsi enim rationem reddituri sunt &cæt. Tertiò, debent illis prouisionem corporalem, 1. Timoth. 5. Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt, maximè qui laborant doctrina & verbo, id est, illis ex mandato Euangelij debetur non solùm reuerentia, sed etiam prouisio. De ijs qui laborant verbo, dicitur Deutero no. 25. Non alligabis os boui trituranti. & 1. Corinthiorū 9. Qui altario inseruit, de altario viuet. Et Christus inquit Matth. decimo.

Dignus est mercenarius mercede. non dicit, Dignus est desidiosus sacerdos censibus vel mercede, &cæt. Dicitur Actor. 20. Attendite vobis & vniuerso gregi in quo posuit vos Spiritussanctus Episcopos &cæt. Videant ergò Episcopi, quomodò desiderent Episcopatum, & quomodò ei præsint &c.

CAPVT XVIII.

ARGVMENTA.

1. *Quis sit verus hæreticus dicendus.*
2. *Quare Deus permittit hæreses fieri per dulces sermones.*
3. *Quomodò sit vitandus hæreticus.*

1. HAereticus est, qui temporalis commodi gratia, aut fauoris hominum vel voluptatis siue inuidia, falsas fingit de scriptura glossas, easque defendit pertinaciter, & facit sibi adhęrentiam in populo: hæ causæ potissimùm faciunt hæreticum. Sic Arrius inuidia contra clerum effinxit nouam interpretationem, & à catholico intellectu alienam, superillud Ioan. 14. Pater maior me est. Sic Zuinglius interpretatur verba Christi, Hoc est corpus meum, id est, figura corporis mei. Sic Anabaptista ille Balthazar Hiebmeyer affinxit nouam glossam verbis Christi, vbi dicit Marci vltimo: Qui crediderit, scilicet primo, & baptizatus fuerit Sic Vualdo dixit super illa verba 1. Petr. secundo. Vos omnes (scilicet baptizati) estis regale sacerdotium, id est, omnes Christiani sunt sacerdotes. idem fit apud alios Hæreticos, qui propria scientia inflati, segregant se à communi Ecclesia: Quare Apostolus eos vocat sectas Galat. quinto, & sic semper peculiarem sectantur opinionem de scripturæ intellectu, quem temerè defendunt: idcò hæ-

reſis

resis Græcè, electio Latinè dicitur, quia tales sibi eligunt singularem scripturæ intellectum: & hęc glossa facit eos hæreticos, non scriptura: nulli hæreticorum deest scriptura, sed catholicus intellectus. Tales vocat etiam Apostolus Philipp. primo, canes, eò quia latrant contra veritatem ex ira & inuidia: malos operarios, quia sunt destructores honestæ vitæ, & diuisores Christiani populi, & sunt quasi vlcus pestilitatis quod hominem interficit: ita ipsi per contagionem lædunt vnitatem.

Secundò, sunt plures causæ quare Deus permittat hęreses & schismata: primò, vt probentur electi, sicut dicit Apostolus 1. Corin. 11. Oportet esse hęreses, vt hi qui probati sunt, manifesti fiant. Sic etiam docuit Moyses populum Deut. 13 inquiens: Si surrexerit in medio tui propheta &c. non audies verba illius, quia tētat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat, vtrùm diligatis eum in toto corde vestro & in tota anima vestra, &c. Ergò qui rectè Deum timent & diligunt, non segregant se ab Ecclesia: porrò permittit Deus hæreses ad firmiùs credēdum verbis Christi & ipsius Euangelio, quandò videmus sic euenire, sicut Christus & sancti Dei homines prædixerunt. nam Christus prędixit futuros pseudoprophetas Matth. 24. & constantibus in fide promittit beatitudinem: & Apostolus dicit nouissimis temporibus fieri discessionem à fide, 1. Timoth. 4. & in 2. Timot. 3. & capit. 4. prædicit futuros doctores, qui prurientibus auribus dicturi sunt placentia, & facient apud homines contemptum sanæ doctrinæ, & Romanor. 16. iubet declinare qui per dulces sermones seducunt corda simplicium, non Christo, sed ventri suo seruientes. per dulces autem sermones intelliguntur omnia, quæ mundanis placent, vt sunt detractio clericorum, contemptus excommunicationis, licentia vel libertas faciendi quid velint contra disciplinam Ecclesiæ, & similia. 2.

Deindè permittit Deus hæreſes ad noſtram correctionem, vt vel vitam noſtram emendemus, vel diligētiùs ſcripturam inueſtigemus. Eccleſia enim proficit in doctrina per vexationem hæreticorum, ſicut docet Auguſtinus ſuper Ioan. Si enim non ſurrexiſſet quondam Arrius, non ſic Eccleſia fuiſſet edocta in myſterio de S. Trinitate: Si non veniſſet Nouatus, non ſic de vera pœnitentia clarè docuiſſet: ſi non vexâſſet Donatus, nec ſic vnum tantùm baptiſma contra rebaptizatores, aſſeruiſſet, &cæt. Eſt igitur hæreſis virga & flagellum Eccleſiæ, quòd ſi nos emendauerimus, & è ſopore ignorantiæ & ocij euigilauerimus, citò Deus ſubtrahet flagellum: ſi autem minus, tunc priuat nos fide & ſacramentis, & ea reuelat alienis nationibus, vt eæ faciant fructus Euangelij, vt patet in Græcia, quæ ob malam conuerſationem & peccatum amiſit fidem, ſacramenta ac cæremonias, iuriſdictionem, politiam & omnia, quia defecit à catholica & Chriſtiana fide. Olim erat flagellum in Anglia Vuicleff, in Bohemia Hus, in Germania Luterus, nunc in Gallia Caluinus: & quia nulla ſequitur emēdatio, ideò nec ceſſat plaga hæreſeos. Tertiò, monet Apoſtolus Titum tertio cap. hominē hæreticum poſt vnam aut alteram admonitionem deuitandum eſſe, quia ſubuerſus eſt, ſcilicet à fide & ſenſu catholicæ Eccleſiæ. Si furioſum hominem aut infectum veneno peſtilitatis fugimus, quantò magis fugiemus hæreticum, qui animam noſtram lædit & inficit? nam multùm proficiunt ad impietatem, 2 Timoth. 2. quorum ſermo vt cancer morbus ſerpit: & proprium eſt illis, vt apud quoſuis etiam in communijs diffament & detrahant religioni catholicæ, ideo, vt eis ſolùm credatur. Iubet itaque Apoſtolus vt tales fugiamus, & Chriſtus præcipit cauere & attendere à falſis prophetis, Matth 7. ſed hoc non ſine cauſa, quia eorum ſermo inficit & ſerpit in corde

3.

rigorem

rigorem laxat: quare non excusantur qui dicũt, Audiam illum concionatorem vel illum propter nouitatem, propter inuectiuas contra catholicos &cæt. Tenemur itaque cauere illos ex Christi & Apostolorum mandato. Prætereà veteres abstinebant à communione & administratione sacramentorum apud hæreticos, eò quòd dubitarent apud illos publicos & abscissos hæreticos Dei gratiam in sacramentis esse efficacem, eò quia iubemur illos cauere. Vndè appareret, Deum non approbare ipsorum sacramẽta vel administrationem. Et quanquàm sacerdotes etiam plerunq; sint peccatores & fornicarij, & licet vita malâ sit, administratio tamen eorum bona est, & habet efficaciam desuper, & non iubemur sedentes in cathedra vitare & cauere, sicut hæreticos, sed potiùs iubemur illos audire, & quæ dicunt, facere & seruare: nõ autem ea quæ ipsi faciũnt, facere debemus, Matt. 23. deindè illi adhuc sunt in Ecclesia, nec abscissi per hęresim, nec excommunicati, & bono iure & legittimè administrant in Ecclesia Sacramenta, nec ibi malus aut bonus minister plùs aut minùs facit, sed Deus efficax est propter suam ordinationem, sicut sol lucet super bonos & malos? Hæreticos vt vitemus & caueamus, iubet scriptura, & ne eos audiamus Deuteron. 13. At quid hoc aliud signat, nisi quòd illorum administratio vel sacramenta non habẽt efficaciam, nec gratiam diuinam? neque enim DEVS vult per ista abscissa membra suam diuinam virtutem sacramentorum distribuere: alioqui non prohiberet illos audiri, sed caueri & vitari iubet. Augustinus sentit quòd ab hæretico baptizatus, sit quidem baptizatus, sed virtus sacramenti non accedit donec redierit ad vnionem Ecclesiæ: Sicuti orans in ira vel inuidia, non habet eius oratio vllam efficaciam, nisi priùs reconcilietur proximo: ideò baptizatus à schismatico, si cupiat accepti sacramenti virtutem

oportet vt redeat prius ad vnionem Ecclesiæ: sed Cyprianus omninò negauit, posse hæreticos conficere & administrare sacramenta &cęt. Qui ergò vult animam suam saluare, caueat sibi ab hæreticis quantùm potest.

CAPVT XIX.

ARGVMENTA.

1. *Quare Deus voluit, vt Ecclesia sua haberet scripturam verbi sui.*
2. *Vndè certificamur de vero scripturæ intellectu.*
3. *An etiam sit aliquid obseruandum in Ecclesia, quòd non sit expressum in scriptura vel Euangelio.*

1. HOC certum est, quòd primores patres & fideles Dei, Adam, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, &c. non habuerunt aliquã scripturam nec librum scriptum. Nam Deus in cordibus illorum inspirauit eis voluntatem suam absque scriptura aliqua. Sed quando homines incœperunt fieri carnales, & iuerũt post gentium idola, & quandò varię ortę sunt superstitiones & impij cultus ac antiquę hęreses, cõsuluit Deus sic Ecclesiæ suæ, & reuelauit ei voluntatem suam, ac præcepit vt literis conscriberetur, vt esset fidelibus certa fidei suæ forma, essetque scriptura nobis speculum, quo videremus quæ agenda nobis vel fugienda essent, & quomodò pugnaremus aduersus impios idololatras & hæreticos. Sic dicit Petrus Epist. 2. capit. 1. Non voluntate humana allata est aliqua prophetia, id est, scriptura, sed inspiratione Spiritus sancti locuti sunt DEI homines. Sic scripsit Moyses li-

ses librum Geneseos cõtra varios errores & opiniones Gẽtilium, qui dicebant mundum ab æterno fuisse &c. Deindè reliquos suos libros de cultu & seruitio diuino, pręceptis atq; moribus & ritibus. Postea prophetę scripserunt suos propheticos libros, & alij suos: Tandem post passionem & assensionem Christi quindecim annorũ interuallo, vt quidam asserũt, Euangelistæ & Apostoli nobis conscripserunt Euangelium, Epistolas & alia, quibus docemur quomodò credamus & viuamus. Vndè ait Apostolus Rom. 15. Quæcunq; scripta sunt, ad nostrã doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationẽ scripturarũ, spem habeamus. & 2 Tim. 3. Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus: patet ergo ratio, quare Deus Ecclesiæ suæ reuelauit scripturam.

Secundò, Diabolus videns tandem quòd non amplius suos errores & falsas ac impias de Deo & rebus diuinis opiniones in animis hominum confirmare posset, eò quod homines haberent sacram scripturã, & eidem antè omnia credebant, & ad normã illius viuebant: ideo sathan aliam viam tentauit decipiendi homines, nempè per falsam allegationem scripturæ, quam citabat, & per falsam interpretationem & intellectũ, falsam glossam &c, & dicebat per falsos Prophetas, verbum Domini, verbum Domini, Hæc dicit Dominus &c. qui erat Spiritus mendax in ore ipsorum. Vndè Dominus dicit in Hiere. Et prophetabant in nomine meo mendaciter. Et sic postea excitauit hęreticos varij generis homines fastuosos, qui æquè allegabant scripturam, sed docebant contraria Intellectui Catholico scripturę, & nec adhuc cessant. Cũ itaq; Sathan ita plurimũ noceret Ecclesię Dei, Christus & Apostoli maximè orârunt Deum patrem pro vnanimi & conformi intellectu fidei & scripturæ. 2. Hier. 27.

Sic Christus Ioan. 17. pro vnitate mentis, & Paulus Rom. 12. & 1. Corinth. 1. rogat propter nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idem sapiamus omnes. & ad Philipp. 3. vt in eadem incedamus regula, &c. Grauissimum enim peccatum est schisma seu dissensio, ita vt Apostolus sectas seu schismata numerat inter peccata mortalia, Galat. 5. Sectæ regnum Dei nõ possidebunt. Ideò omni studio & diligentia conati sunt omnes Orthodoxi patres, vt idem saperet populus in re fidei atque Sacramentis: nam hęc vnitas placet Deo, dissensio autem & sectæ placent Diabolo. Et quoniam Apostolus monet, ne omni spiritui credamus, primo. Ioan. quarto, sed iubet probare Spiritus an ex Deo sint: ideo sancti patres in concilijs multis, vt nos certificarent de vero ac sano intellectu scripturæ, ipsi segregârunt erronea & hæretica à Catholica veritate, & certas fidei regulas ac formas præscripserunt, quomodò agendum esset in scripturæ locis dubijs, quomodò exponendi & intelligendi. Vndè Paulus 2. Timo. 2. monet, vt sollicitè curent rectè tractare verbum veritatis, & hanc formam & sanum intellectum nobis imitandum proposuerunt, & talem nobiliorem partem Ecclesiæ, quæ est congregatio præsulum & Doctorum in Concilijs, audire tenentur, quotquot non volunt in pernicioſos errores hęreticorum incidere. Non admodum peccat, qui priuatum aliquem Doctorem non audierit, sed qui eos audire contemnit, de quibus & de quorum successoribus diuina vox clamat: Qui vos audit, me audit: qui vos contemnit me contemnit &c. Ille inquam grauiter peccat, & contemnit Christum, & patrem eius qui eũ misit. Quicũq; ergo vult esse certus de vero scripturæ sensu, hoc quærat ab intellectu patrum & conciliorum: nam Ecclesię promissus est Spiritus S. Ioan. 14. ipsa Ecclesia est columna & basis veritatis, & nisi vniuersalem Ecclesiam audierimus,

non

non erit finis errorum ac dissensionum. Sint igitur tibi omnes hæretici suspecti. Nam vt Augustinus supra Ioan. ait, omnis hæreticus prædicat Christum qualem sibi fingit.

Tertiò, quia certum est quòd non omnia dogmata Pauli aliorumque Apostolorum & Euangelistarum literis commendata sunt, & quia Paulus iubet seruare traditiones non solum scriptas, sed etiam per sermonem ad illos factas, secundo Thess. secundo: & quoniam nec hodiè Spiritussanctus, qui Ecclesiæ in perpetuum est datus, ociatur vel inefficax est, Ioan. 14. ideò credit & tenet Ecclesia, etiam pleraque alia, quæ licet in Euangelistis vel in Moyse scripta non sint, tamen reuelata siue per sermonem prędecessorum, vel per suggestionem Spiritussancti, planè nobis esse obseruanda sicut secundum conditionem tẽporum & mores hominum videbantur quædam expedire, quędam vero minimè, sed vt omnia ordine fierent 1 Corinth 14. siue hoc sit in abstinentia carnium, in modo administrandi sacramenta, in certis ferijs agendis, & alijs Ecclesiæ institutis &cæte. quæ credimus ex suggestione Spiritussancti ordinata per patres Ecclesiæ, quantumcunque oblatrent his Hæretici, quod talia in scriptura non habeantur. Præterea articulus ille, nihil esse tenendum in Ecclesia nisi quod expressum fuerit in scriptura, fuit fundamentum fere omnium Hæreticorum, vt Arrianorum, qui dicebant nusquàm in scripturis inueniri homousion, Iconoclastarum de imaginibus Vualdensium de Purgatorio, Vuiclesitarum de Missa & Monachatu, Hussitarum de superioritate Papæ, Anabaptistarum de baptizandis infantibus &c. Sed quia ab apostolis proximisque eorum successoribus multa tradita & instituta, licet ab ijs non scripta sunt, vt testatur Damascenus quarto Senten. cap. 4. ideo hic non consentit Hæreticis, sed potius ab il-

3.

ab illis exigit & vrget tota Biblia, quorum authoritati soli fidunt. nam multi libri notantur, qui in Biblijs non sunt, sicut Paulus iubet Colos. vltim. legere Epistolam suam ad Laodicenos. Sed illa nusquam reperitur, item 2. Machab. vlt. allegatur liber sermonum dierum, & 2 Machab 2. descriptiones Hiere, & commenta Neemiæ prophetæ. ibidem 5. libri Iasonis Cyrenęi, item 2. Reg 1 allegatur liber iustorum, & 3. Reg. 4. fit mentio de descriptionibus bestiarū, arborum & herbarum, quas scripsit Salomon. item 2. Paralipom. liber Achię Silonitis, & liber Nathan prophetæ &c. & Num. 21. allegatur liber bellorum Domini. Hi libri omnes desiderantur, & tamē allegantur. Vndè liquet non integra esse Biblia, & ideò inceptum esse quod aduersarij dicunt, se nihil velle tenere aut credere nisi quod in Biblijs contineatur. Nos verò Catholici credimus Ecclesię, id est, patrib. nostris primoribus, dicente scriptura Deut 31. Interroga patres tuos, & dicent tibi: seniores tuos, & annunciabunt tibi.

CAPVT XX.

ARGVMENTA.

1. *In quo debeat esse consensus maximè in Ecclesia.*
2. *Quòd dissimiles ritus ac cæremoniæ non pugnant cum Euangelio.*
3. *Quomodò cæremoniæ & traditiones seruiunt ministerio verbi & administrationi Sacramentorum.*

1. QVoniam Apostolus dicit 4. Eph. Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma, ideò solliciti esse debemus conseruare vnitatē Spiritus in vinculo pacis: quare consensus & concordia potissimū esse debet

ſe debet in doctrina Euangelij, & vſu ac diſpenſatione Sacramentorum. Doctrina autem Euangelij hæc eſt, ꝙ propter Chriſtum gratis pronunciamur iuſti, & quòd propter illum accipimus remiſsionem peccatorum & vitam æternam. Rom.3.gratis iuſtificati. Actor.10.& 15. Ioan. 3. Hæc inquam doctrina vnanimi conſenſu per omnes Eccleſias debet pronunciari, ibi non debet eſſe diſſimilitudo: hæc enim remiſſio peccatorum, vita æterna, exaudito precum, donantur propter Chriſtum & non propter alia: eò quòd Chriſtus ea meruit ſua morte omnibus credentibus, quæ nullus hominum potuit ſibi mereri, quia beneficium Chriſti eſt, & eſſentiale præmium omnibus æquale credentibus, eſt hæreditas communis, quæ datur omnibus filijs Dei &c. Igitur qui credunt & filij Dei ſunt per fidem, Ioan. 1. ex æquo participant hæc beneficia Chriſti, id eſt, remiſſionem peccatorum & vitam æternam. Opera verò noſtra accidentale reſpiciunt præmium, quod Deus ex gratia propter Chriſtum promiſit. 1. Cor.3. Vnuſquiſq; mercedem accipiet ſecundum laborem ſuum. Matt. 5. Merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Ioan.14. In domo patris mei multę ſunt manſiones, &c. Hìc in accidentali præmio ſunt gradus præmiorum, ſicut operum fuerunt gradus: & adhoc præmium referuntur humana opera, religiones, vota, delectus ciborum, diſciplina corporis, ieiunium, oratio, cęremonię, & id genus alia, hęc non merentur capitale bonū, id eſt, beneficium Chriſti, ſed fides: hoc iam gratis in Baptiſmo accepit, ſed accidentale præmium ex Chriſti gratia & miſericordia, nihil ex debito, Luc 17. nos ſerui inutiles ſumus. Rom. 8. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam: debet igitur cōſenſus eſſe in tali doctrina Euangelij per omnes Eccleſias. Deindè & vſus Sacramentorum, ſcilicet in Baptiſmo, Euchariſtia, pœnitentia, habent ſuam promiſsionem, & ex-

preſsè notantur in ſcriptura. Sic Ordo, id eſt, miniſterium verbi, habet ſuam promiſſionem & mandatum, Matthæi 28 Marc. vltimo. Ezechiel. tertio. Sic confirmatio per Euangelium habet promiſſionem, Matth 24. qui perſeuerauerit in fide vſque ad finem, &cæt. Sic vnctio Marc 6. & Iac 5. Sic matrimonium Hebr 13 Debet igitur & hic eſſe conſenſus in adminiſtratione ſacramentorum. Nam fides per ſacramenta & verbum Dei circa ſacramentum vel elementum certificatur de acceptione gratiæ & voluntate Dei erga nos, ſicut contractus confirmatur ſigillo &cæt. Igitur in doctrina verbi & adminiſtratione Sacramẽtorum debet eſſe vniformitas, & non diſſimilitudo: maximè enim Eccleſiam ædificat & iuuat iſte conſenſus: eſt autem pernicioſiſſimum conſcientijs, diſſimilitudinem habere in doctrina & vſu ſacramentorum.

2. Secundò, in Eccleſia poſt doctrinam Euangelij & vſum Sacramentorum, ſunt ritus, traditiones &cæremoniæ, ieiunia, feriæ, &cæt. & illa non ſunt ipſa iuſtitia. Roma. 14. Regnum Dei non eſt cibus & potus, ſed iuſtitia, pax & gaudium in Spiritu ſancto: ideò non eſt ibi adeò neceſſaria vnitas & ſimilitudo traditionum in Eccleſia, quemadmodum eſt in doctrina & vſu ſacramentorum: in fide oportet omnes vnum eſſe in Chriſto, Epheſio. quarto. Vna fides, vnum baptiſma. Non pugnant ergo cum Euangelio diuerſi & diſſimiles ritus, quia fides tenet verbum Euangelij & Chriſtum, quibus homo coram Deo pronunciatur iuſtus. Itaque diuerſitas traditionum ac diſſimilitudo cæremoniarum non adimit iuſtificationem, nec tribuit vnitas vel ſimilitudo: fides enim in Chriſtum antecedit, ac habet potiſſima. Quare non debent rixari aut mutuò ſe condemnare Chriſtiani propter diſſimilitudinem rituum, cæremoniarum, &cæt. Sicut olim contigit, cum pontifices Ro-

Romani excommunicârunt orientales in Græcia, eò quòd alio tempore celebrabant paſcha, & abolebant imagines in templis, & vtebantur in Miſſa pane fermentato, & hoc genus alia vſurpabant, ſicut hodiè aduerſarij calumniantur ſal, herbas, aquam benedictam, vexilla, cereos &c. non ſunt tamen condignæ cauſæ de quibus rixemur inter nos Chriſtiani. Quare piè ſtatuit Nicenum concilium, vt quælibet Eccleſia ſuos veteres mores retineret, nec de ritibus inter ſe rixentur. & Ambroſius matri Auguſtini reſpondit, vt Romę obſeruaret mores Romanos, cum illis ieiunando ſabbatho, & Mediolani cũ illis more illorum ieiunaret: Et quia nullus Catholicorum habet in iſtis rebus ac ritibus opinionem iuſtitiæ, quare tam iniuſtè condemnantur? Si liberum eſt obſeruare traditiones, nec diſſimilitudo traditionum contraria eſt Euangelio, ad quid ita cauillantur? Et quanuis illa diſſimilitudo nihil facit ad iuſtitiam, nec illi derogat, vnitas tamen maximè habet apud imperitos vtilitatẽ: maximè enim conciliat & vnitatem retinet ſimilitudo traditionũ. Quantum igitur fieri poteſt, illi ſimilitudini eſt ſtudendum propter tranquillitatem & pacem Eccleſiæ, propter charitatem & obedientiam & reuerentiam ſuperiorum: ideò violatores & cõtemptores ſimilitudinis nihil efficiunt aliud, niſi vt nouitatẽ inducant, & populum reddant attonitũ & ancipitem. Paulus nõ volebat in ęternum manducare carnes, ne frater offendatur &c. qui tamen ſciebat non fuiſſe peccatũ manducare carnes, ſed ſimpliciorum ac infirmorum habenda eſt ratio.

Tertiò, traditiones & ritus in Eccleſia ſunt quaſi 3.
ſerui, ad maieſtatem faciendam verbo Dei, Sacramẽtis, ac rebus diuinis. Sic ad decorem & honeſtatem verbi ſunt dies, tempora & loca. Sic in adminiſtratione Sacramentorũ ſunt veſtimenta, apparatus cęremoniarum,

moniarum, cantus, preces, &c. non superiores, sed secundi: non nucleus, sed testa, qua continetur nucleus: sicut enim venter continet, nutrit ac fouet fœtum, ac tandem parturit: sic ordinationes & ritus quãuis ipsi non sint pietas, sunt tamen vincula, quæ adiungũt nos sacris, & retinent quousq; parturimur Christo. Si reijcias testam, vbi manebit nucleus? vel quandò perueniet ad maturitatem? habemus enim non solũ Spiritum, sed etiam corpus, quod trahitur & enutritur ritibus externis, Spiritus autem intus exatiatur fide in Christum. Et quoniam licentia seditiosa parit infinita scandala, sectas & factiones: deindè, quòd natura hominum carere non potest cęremonijs & ritibus, summo studio amplecti & venerari debemus cæremonias Ecclesię: prosunt & maximè, si vniformes sint ad disciplinam & tranquillitatem. Saltem maneat finis politicus, & detrahatur illis opinio iustitiæ ac salutis: & sic placebunt Deo, & suis præmijs ac fructibus non carebunt, quatenus iuuant & subseruiunt cultui Ecclesiastico, &c.

CAPVT XXI.

ARGVMENTA.

1. *Quàm pernicioſum ſit dubitare de gratia Dei erga nos.*
2. *Vndè reddamur certi de gratia & amore Dei erga nos.*
3. *Quomodò illa lucta ſiue dubitatio naturaliter inhæret mentibus hominum.*

1. APOStolus inquit Rom. 10. ex propheta Ioéle: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Sed quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? quasi dicat, de quo dubitant, an sint in gratia,

gratia, an Deus remittat peccata, an exaudiat &c. Si dubitant, quomodo certa fide inuocabunt illum? nō possunt ergo illū inuocare ij, qui nō certò sibi statuunt se exaudiri. Ideò hæc dubitatio adfert desperationem, odium DEI, & tollit in vniuersum beneficia Christi, & omnem consolationem conscientiarum, exercitia fidei, id est, inuocationem, dilectionem, pietatem, deuotionem, & vniuersum cultum. Nam vrget dubitatio, vtrum homo apud Deum amore an odio dignus sit: & sic hæret in ambiguo, quòd Deo maximè displicet. Ideò dixit Apostolus generalem regulam Romanor. 14. Quicquid non est ex fide, peccatum est, id est, quicquid non est ex certa fiducia, quòd Deo placeat & gratum sit, peccatum est. Semper ergo statuere oportet nos habere Deum propitium per misericordiam propter Christum, ne quicquam faciamus quod nobis istam fidem adimat, quæ antè omnia est habenda & necessaria magis quàm omnia opera, etiam in opere, sic quòd Deo placemus propter istam fidem, & nō propter hoc opus nostrum: nam fides quæ tenet nobis fore propitium Deum ex misericordia propter Christum, primò personam iustificat & gratam facit, deinde & opus nostrum, quod certo & Deo placet propter Christum: qui igitur dubitat fide, an sit in gratia, vel an placeant opera eius hæc dubitatio nec personam vel opus iustificat, sed potiùs deformat ac priuat beneficio Dei, & maximum est peccatum.

2. Secundò, hoc verum est quòd naturaliter omnium hominum animis hæret hæc dubitatio, an Deus sit nobis placatus, an exaudiat nostras preces: & naturaliter non possunt statuere homines, quòd sibi remittantur peccata &c. Ideò oportet certitudinem ex alio loco accipere ex Euangelio & promissionibus Dei. Iubet enim Euangelium nos certò statuere, quòd Deus velit nobis remittere peccata gratis pro-

pter Christum. Acto. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, quòd velit esse propitius. Ioan. 3. vt omnis qui credit in nomine eius, &c. & quòd velit nos exaudire. Ioan. 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo. &c. His & similibus promissionibus oportet certò credere, quia Deus non potest mentiri, Hebr. 6. Matt 21. Si habueritis omnem fidē & non dubitaueritis, non solùm hoc de ficu facietis, sed etiam si monti huic dixeritis, &c. & quicquid petieritis in oratione credentes, accipietis. & Iacob. 1. Postulet autem in fide, nihil hæsitans. & Roman. 14. Quicquid non est ex fide, scilicet certa erga Deum, peccatum est. Docet enim hoc loco Apostolus, quòd in omni vita, in omnibus actionibus hanc fidem oporteat tenere, quòd Deus verè nobis propitius sit propter Christum, quodque omnia sibi nostra placeant opera, orationes, ieiunia, continentia, eleemosina, laudes, vigiliæ & cultus propter Christum. Impium ergo est & grauissimum peccatum, non credere verbo ac promissionibus Dei, sed deilis dubitare. Si pro contemptu reputatur homini, qui cùm aliquid dicit ac promittit, ei fides non habetur: quantò magis contemptus est Dei, si ei qui mentiri non potest, fides non habeatur, quando promittit vitam æternam & remissionem peccatorum propter Christum? Ioan. 3. & 1. Agnus Dei qui tollit peccata mundi, quandò promittit exauditionem orationis nostræ, Ioan. 16. prouisionem, Matthæi 6. assistentiam in tribulatione, Ioan. 16. Confidite, ego vici mundum &c. Hisce & similibus promissionibus & Euangelio non credere, grauissimum est peccatum. Sic etiam non credere & timere pœnas, quas minatur Deus impijs & impœnitentibus, Matth. 11. & 5. Qui dicit fratri suo racha, &c. qui non remittit offensam proximo, Mat. 18, Qui operibus carnis luxuriatur, Luc. 21. 1. Cor. 6. Eph. 5. Est igitur Deus verax,

igitur

igitur certò credere oportet se esse in gratia & exaudiri à Deo, dum credit & pœnitet: è diuerso certò credet peccator, quòd ira Dei maneat super eum quandiu incessanter peccat, nec scripturam curat. Euangelium ergo nobis hanc præstat certitudinem atque Dei promissiones. Si quis igitur negat Deum velle exaudire, velle saluare, velle ignoscere, is negat Deum veracem vel constantem esse.

Tertiò, tametsi reipsa experimur omnes, quòd nesciamus neq; pro certo statuere possimus nos in gratia esse, eò quòd naturaliter nobis inhæret hæc dubitatio, non tamen hîc quiescere debemus, sed perpetuò certare contra hanc hæsitationem fide Euangelij & promissionum Dei: hęc promissio Euangelij causa & obiectum est certitudinis, quia Deus promisit hæc propter Christum: fides ergo erigenda est verbo Euangelico & exercenda contra talem dubitationem, & sic illi datur occasio: oportet vt fides penetret naturalem rationē, & firmissimè tenere in omni euentu, Deus est verax, ipse dixit, ipse promisit: ideò si certò credam & pœniteam, sic eueniet: & hoc cum fecerimus, experiemur diuinam consolationem & adiutorium. Rom. 8. Ipse Spiritus assistit Spititui nostro, clamans, Abba pater, & hanc fidem docet & exigit Euangelium, & ideò quotidiè prædicatur Euangelium, vt hæc fides acquiratur. Qui igitur dubitat, is totum Euangelium reijcit, Christum & Deum mendaces facit. Sed inquis: Cur sapiens Eccles. 9. dicit, Viuit homo & nescit vtrum amore an odio dignus sit, Omnia in futurum seruantur incerta? Vnde homo certus esse nequit. Respon. Sapiens hîc non de fide Euangelij loquitur, sed de cursu & rebus mundi. Hîc in terra boni cum malis ex æquo sentiunt incommoda in corpore, in rebus, fortuna &c. infirmatur, depauperatur, tribulatur malus & iustus & pius, qui tolerat mala & bona huius vitæ præ-

3.

sentis. Deus hoc sic permittit, & sic nescit homo, dum viuit, quantum ad euentum rerum in mundo, an amore vel odio dignus sit: sed aliud est de fide coram Deo propter Christum: hîc Christus pignus est certum promissionum, Deus mentiri non potest: igitur ipsa promissio Dei facit me certũ de gratia Dei, deindè etsi tribulationes & mala huius mundi fidelis æquè ac infidelis patitur, hoc tamen non efficit peiorem fidelem, sed Deus exercet & crucem imponit, vt peccatum in carne eradicetur: reseruat autem ipsi gloriam æternam atque coronam, quam expectare non potest infidelis ac impius. Non ergo de gratia Dei dubitemus, sed certemus contra hanc hęsitationem Nec oportet respicere ad nostram dignitatem, dispositionem vel indignitatem aut inutilitatem. Fides oportet simpliciter hæreat & dependeat à verbo promissionis diuinæ, quia Deus sic præcepit, sic promisit. Dauid inquit, Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, &c. Ideò sic faciet propter filium suum ex misericordia, tamen hæc fides non poterit esse sine pœnitentia in Dei misericordiam, vt aliquid accipiat promissum, inanis est: pœniteat ergo peccator Christianus, & firmiter credat se hæc consecuturum propter Christum.

Psal. 109.

CAPVT XXII.

ARGVMENTA.

1. *Quomodò totum Euangelium nos ad trid admonet, scilicet, ad fidem Christi.*
2. *Ad dilectionem DEI & proximi.*
3. *Ad crucem seu aduersitatem patienter tolerandam propter nomen Christi & veritatem.*

Scriptura

SCriptura sic nos ad fidem in Christum vocat, quia omnes concludit sub peccato, & quatenus omnes sumus natura Filij iræ, Eph. 2. In peccatis enim concepti & nati sumus, Psal. 50. Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est, 1. Ioan. primo Omnes ergo sumus peccatores, & nemo hominum seipsum iustificare potest à peccato, & ne quidem Angelus, cô quòd peccatum est commissum vel offensio contra Deum infinitum bonum, contra eius præceptum & voluntatem per primos nostros parentes, Genes. 3. Hoc primum proponit scriptura peccatori: Deindè eidem ostendit, quis sibi poterit opem præstare aut iustificare, & peccata nostra tollere, nimirùm Christus filius Dei, qui est agnus Dei innocens, occisus pro peccatis totius mundi, vnicum precium, & sacrificium pro peccatis omnium hominũ in se credẽtium, cuius mors ita efficax est, si cui distribuitur, vt protinus & quidem gratis tollat peccata mundi, Ioan. 1. modò quis in eum credat, & ipsum pro saluatore suo agnoscat, recipiat ac veneretur: ipse enim mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter iustificationem nostram, Romanor. 4. Igitur quicunque vult iustificari purificari & à peccatis saluari, is oportet vt veniat fide ad Christum, & corde atque ore confiteatur, Romanor. 10. & iustificabitur gratis sine proprio merito ab omnibus peccatis. Nemo iustificabit se suis meritis, sed ex mera gratia DEI propter Christum, sicuti patet in baptismo, vbi iustificamur & certificamur de accepta gratia: & quòd omnes remissionem peccatorum accipiunt propter nomen eius: nisi enim Christus filius Dei venisset, & precium pro peccatis nostris se obtulisset, nemo vnquam saluaretur. Ideò omnes sancti, martyres, cõfessores, non propter sua martyria vel tormenta vel

iustitiam propriam saluati sunt, sed propter nomen Iesu Christi per sanguinem eius: ille solus & vnicus mortuus est pro peccatis totius mundi, & est propitiatio, 1. Ioan. 2. Igitur ad hãc fidem Christi vocat nos scriptura Ioan 3. Act 10. &c.

2. Secundò, Euangelium admonet nos post acceptam gratuitam iustificationem de lege charitatis, vt & illam quàm maximè obseruemus: non vt indè iustificationem mereamur, quam iam gratis in baptismo per fidem accepimus, sed potiùs vt illam retineamus & augmentemus, quatenus promissiones salutis quam nõdum in re habemus, sed spe, efficax in nobis sit: alioqui si hanc charitatis legem non habuero, quia Diligo Deum super omnia, qui tanta mihi gratuitò cum filio dedit: deindè proximum propter Christum, & illi prẽstitero propter Christum, sicut Christus propter me fecit: si verò peccauero, & secundum carnem vixero incessanter, non erit efficax promissio salutis in me, nec Deus mihi distribuet salutis beneficia, licet hæc dilectio causa non sit, sed sanguis Christi propter quem salus distribuitur credentibus. Ideò scriptura post fidem maximè inculcat dilectionem: hæc autem dilectio quandò non adest, testatur nec fidem adesse aut iustificationem, quia Apostolus dicit 1. Cor. 13. Si habuero omnem fidem, omnem prophetiam, ita vt montes transferam de loco &c. charitatem autem non habeam, nihil sum. & 1 Ioan. 4. Si quis dicit, diligo Deum &c. Quare dilectio maximè & quidẽ necessariò exigitur post fidem, quia est impletio legis, Rom. 12. & omniũ bonorum operũ. Sed inquis, Quid est charitas, quòd adeò necessariò exigitur post fidem? Respon Charitas virtus est, quam donat Spiritussanctus homini propter fidem in Christum, qua diligitur Deus super omnia, & proximus propter Deum: ideò Apostolus ad Gal. 5. vocat charitatem fructum Spiritussancti, & 1. Cor. 13. dc.

13 describit proprietatem charitatis, qualis esse debeat in homine, & dicit primò: Charitas patiens est in aduersis: cogitat, si Deus pro te tanta passus est, patere & tu hoc propter ipsum, quia scriptum est, Beati qui persecutionem patiuntur &c. Matthæi 5. Quia autem nullam habet patientiam, is quoq; nullam habet charitatem: deindè, benigna est, neminem contemnit, sicut Christus non reiecit peccatores, sed cũ illis manducauit: tertiò, non æmulatur, id est, non est inuidia, neidisch/ sed fauet proximo in omnibus, sicut Deus illi fauet: non agit perperam, id est, occultè prodendo aut decipiendo: nõ est ambitiosa verbo & gestu, non inflatur vt reputet se maiorem habere iustitiam, aut scientiam quàm cæteri: non quærit quæ sua sunt, sed Dei honorem & proximi vtilitatem: non irritatur, scilicet vt percutiat, vulneret, maledicat, insaniat contra proximum: non cogitat malum, id est, vindictam, nec minatur aut struit insidias: non gaudet super iniquitate vel damno aut infortunio proximi sui, sed congaudet veritati, vbi Dei gloria prædicatur, & proximi vtilitas quæritur: omnia suffert propter Christum, omnia credit: non est pertinax in sua opinione, vel suspiciosa: omnia sperat sine dubio consequi, quæ à Deo promissa sunt: omnia sustinet propter Dei gloriam & proximi commodum &c. Sic Apostolus declarat effectus & fructus charitatis, ad quam charitatem maximè nos vocat scriptura & Apostolus, vt sine illa prorsùs inanis sit & vacua fides nostra apud Deũ. Igitur illa fides quæ per hos fructus dilectionis erga Deum & proximum nostrum operatur, nos saluat, & Deo placet, Galat. 5. non circuncisio neque præputium &c. In hac dilectionis lege iam totus mundus langueſcit, omnes inani illa fidei iactantia pleni sunt, & dicunt se Euangelicos, cùm tamen alteram partem scripturæ, id est, dilectionem, non habeãt in opere: vndè fit, vt etiã pia

opera negligantur, & certum est signum, propè futurum diem nouissimum, quoniam abundat iniquitas, refrigescit charitas, vt dicitur Matthæi 24. Vnde clara est sententia Ioannis Apostoli, 1. Ioan. 4. Si quis dicit quoniam diligo Deum, fratrem suũ odit, mendax est. Quemadmodũ igitur impossibile est placere Deo sine fide, Hebr. 11. ita nemo ingredietur regnum cœlorũ, qui non dilexerit Deum & proximum, & obseruauerit mandata: vnde iubet reconciliari fratri, Mat. 5. remittere offensam, Mat. 6. &c. Hæc quoque charitas cõmonstrat, qui sint veri Euangelici, nõ qui ore iactant fidem, sicut dicit Christus Mat. 7. Multi dicent mihi in die illo, Domine Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus? &c. & dicet eis, Nescio vos. sed qui charitatẽ præstant proximo. igitur iã videmus quales sint plerique Euangelici.

3: Tertiò, vocat nos scriptura ad crucem tolerandã, eô quòd dicit Christus Ioan. 16. In mundo pressuram habebitis & Paulus. Omnes qui piè viuere volunt in Christo Iesu, persecutionem patientur. Sed crux illa nobis erit suauissima, si nobis fuerit imposita propter Christi nomen, iustitiam & veritatem. Nam Christus ait Matth. 5. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo. Igitur quisque crucem suam tollere debet & Christum sequi, sicuti Deus imposuerit cuique, & hoc quidem patienter & voluntarie &c. Nam hæc potissima sunt opera Christiani, credere, diligere, & crucem patienter ferre: quicunque hæc præstiterit, is iactet se tum Euangelicum hominem, & fidat Deo per Christum, & non frustrabitur. Si autem solum vult fidere sine dilectione & suis fructibus, nec crucem cum Christo ferre, nihil proderit hæc fiducia. Necessariò igitur sequitur dilectio fidei, quæ est finis legis: quæ si non sequitur, nec iustificatio retinetur. Rom. 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini &c.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

ARGVMENTA.

1. *De securitate in populo hisce temporibus.*
2. *De duplicibus peccatoribus in mundo.*
3. *De carnalibus & Euangelicis malis hominibus.*

MAgna securitas his temporibus in populo exorta est, vt amplius non timeāt Deum, eiusque occulta iudicia, nec curant benè viuere, sed se fore saluos per inanem fiduciam ad Deum per Christum, & semper in ore habent Dei misericordiā propter Christum, viuunt interim carnaliter & plusquā gentiliter sine omni timore erga Deum: & certè sic homines hodiè viuunt, nullum timentes periculum futurum, non aliter quàm in diebus Noë erant homines edentes, bibentes, nubentes, &cęt. quousque Deus iussit Noë intrare arcam, Matth. 24 Gen 7. Notandum eriā quòd duplices sunt peccatores in mundo, secundùm Apostolum 1 Corinth 5 Primi dicuntur peccatores huius mundi, id est, mundani, fornicarij, adulteri, auari, idololatræ, raptores, blasphemi, &cæt. In summa, omnes illi qui non sunt in Ecclesia Christi congregati, siue fuerunt gentes, siue Iudæi, & de illis qui foris sunt, inquit Apostolus, Iudicabit Deus, & Christus breuem fert super illos sententiam Ioan 3 Qui non credit, iam iudicatus est, id est, condemnatus ad æternam damnationem, licet adhuc super terram viuat, sicuti homicida viuens, & in carcere positus, iam iudicatus est, id est, certissimum ei erit quòd ad mortem dijudicabitur. Illis peccatoribus extra Ecclesiam in præsenti dat Deus cuique secundùm iustitiam carnis hîc temporaliter: nihil autem in futura vita eos manet, nisi pœna & dānatio ęterna

quæ etiam iuxta gradus peccatorum plùs vel minùs pœnarum habebit. Hos nobiscum nutrit & permittit Deus viuere temporaliter, & solem suum atq; pluuiã donat, Matt. 7. quia vnà sicut nos, creaturæ Dei sunt, redempti quoq; sufficienter sanguine Christi, atq; ad salutem renati. Sed quoniam contemnunt Christum & nolunt illum regnare in se, Luc. 19. nec in illũ credunt, fiet illis secundùm verbum Christi, Matt. 20. & 22. Multi sunt vocati, pauci verò electi.

2 Secundò sunt peccatores in mundo, quos Apostolus vocat quòd intùs sint, id est, in Ecclesia Christi, 1. Corinth. 5. licet tanquàm putrida membra, & sunt illi qui Christo fidem fecerunt in Baptismo, vt in illum velint credere, eumque recipere vt Saluatorem & Deum, nullumque alium quærere, neque aliam salutis viam nisi per ipsum, qui est via, veritas & vita, Ioan. 14. Deindè promiserunt Christo, se velle recusare pompis Diaboli atque eius operibus, non illis obedire, id est, superbiæ, auaritiæ, luxuriæ, &c. neque opera carnis perficere, Galat. 5. Sed potiùs illa mortificare in membris suis, atq; viuere secũdùm Euangelium Christi, eiusq; præcepta seruare & cæt. & quia hoc promiserunt Christo, ideò remisit illis peccatũ, deindè dedit donũ maximum spiritum sanctũ, & promisit illis vitã æternam: & id per Sacramentũ Baptismi, tanquàm sigillum & pactum, inter Deũ & hominem confirmatum est, ita quòd Baptismus est signum fœderis vtriusque promissi, tàm Dei quàm hominis, vt perpetuò & irreuocabiliter obseruetur, vt etiamsi peccator ceciderit, attamen si per pœnitentiam veram redierit, & cassauerit à peccatis, iterùm reconciliari poterit, eò quòd hoc signum durat secum vsque ad mortem, scilicet Baptismus: non enim vult reuocare & cassare Deus, quod semel promisit, mòdò teagnoscas, & redeas, & peccare desistas, Deumq; timeas. Ex quo patet primò, quòd grauiùs peccat

malus

malus Christianus eodem etiam genere peccati, siue illud fuerit superbia, furtum, adulterium, idololatria, discessio à fide Ecclesiæ &c. quã mundanus peccator, id est. Gentilis vel Iudæus: nam is non fecit talem promissionem & votum Deo, nec Deus ipsi hoc promisit quod baptizato. Igitur malus Christianus multò peior est & grauiùs peccat, quàm infidelis: & hæc ratio est, quòd adeò grauissimas & horribiles comminationes Christus facit ciuitatibus quibusdam Matt. 11. Væ tibi Corozaim &c & tu Caphernaũ, quæ ad cœlum vsque exaltata es, vsque ad infernum descendes: Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes &cæt. Verumtamen remissiùs erit terræ Sodomorum & Sidoni in die Iudicij, quàm tibi. Ecce horribilem sententiam, quòd infideles remissiùs habebunt, quã nos Christiani, si non iuxta promissum nostrum, obedientiam Euangelij fide & vita præstiterimus. Præterea Diabolus omnem lapidem mouet, vt quis efficiatur Deo periurus in Baptismo: vndè tanquàm leo circumit, quęrẽs quem deuoret, 1. Petr. 5. Nõ cessat à tentandis baptizatis, quandò nec Christus ab illo post baptismũ potuit esse liber, Matt. 4. cũ etiã in deserto illum aggressus sit, non in domo coniuij vel in ciuitate, sed in deserto: adeò malè ipsum habet quòd expulsus est per fidem Christi in Baptismo. Ideò redit sæpè ad illos, si quos viderit recidiuantes & impœnitentes, ac in tali obstinatione conseruat: & si vnus deficit, assumit septem nequiores se, & cũ illis inhabitat, & sic fiũt nouissima hominis peiora prioribus Mat. 12. Ex hoc patet, vndè sit quòd communiter peiores sunt pijs Christianis Apostatæ, vti Iulianus Cæsar Apostata Christianis, hæretici Catholicis: nam agitantur sessore diabolo, cuius equi facti sunt mali Christiani, vt inquit Origenes. Ideò impetum faciunt in Christianos. habent Diabolum hæretici in lingua, inquit Cyprianus: indè est quòd sic con-

sic conuicijs inuehuntur contra Christianos: quan, dò ergò sic insanire videmus hęreticos, debemus Deum timere, ne propter peccata nostra sinat nos cade re: etiam credere, & rogare Deum, vt tales liberet à potestate Dęmonis, quos sic captiuos tenet ad suam voluntatem explendam, 2. Timot 2. & hinc est quòd rarò hæreticus conuertitur, quia est captiuus & sub iugo Diaboli, eruntque in futura vita peiora omnia malo homini Christiano propter ingratitudinē: quare rectè admonet Petrus, 2. Petr. 2. quòd melius foret, talem non agnouisse veritatem &cæt. Insuper & Christus, sicut pronus & mitis est ad miserandum & condonandum, sic quoque iustus erit & austerus ad puniendum, non dicit se solùm velle remittere peccata, & gratiam atque cœlum dare, sed etiam dicit se redditurum & iudicaturum vnumquenque secundū opera sua, Matth 16 est enim Saluator & Iudex: ideò præmia & pœnas decernit. Ioan. 5. qui bona fecerunt &c. & Matth. 25. Ite maledicti nō solùm exigit fidem, sed & obedientiam Euangelicorū mandatorum: non vult esse contentus, si dicas, Domine Domine: Sed vult etiam, vt fiat voluntas patris, Matth. 7. vtrunque exigit, non solùm verbum, vt promissio salutis sit efficax, qua se donaturū promittit pro obediētia Euangelij: etsi illa non mereatur neque causa sit, sed mors sua, qua hoc semel meruit &c: Insuper quotidiè clamat ad nos scriptura, quatenùs venturus sit iudicaturus in tribunali, & daturus cuique non solùm secundùm fidem, sed etiam secundùm opera: & maximè inculcat bona opera Igitur si obedientia illa præceptorum atque Euangelij non sequatur fidem, nec vitæ emēdatio, sola illa fiducia in Deum ac mortem, parùm proderit: immò nociuiùs tibi erit, si maximè ex libertate & securitate carnis peccaueris. Ioann. 5. inquit Christus ad sanatum hominem: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

tingat. Non igitur solùm damnantur, qui non credunt, & extra Ecclesiam sunt peccatores, sed etiam qui intùs sunt in Ecclesia, quorum fides mortua est: illis multò deterius erit: hæc nos meritò terrere debent, ne in lasciuiam carnis trãsferamus Christi beneficia. Grauiùs peccat Euangelicus adulter, fur, homicida, &c. quàm mundanus & infidelis adulter, homicida, &cęt. Nihil proderit iactare Christum ore, & vita atque factis eum negare, ad Titum 1 Magna promisimus in baptismo, inquit Augustinus, sed maiora obtinebimus: nemo igitur mittens manum ad aratrum, & retrospiciens, aptus erit regno Dei, &cæt. Si quis ergò peccauit, redeat ad pœnitentiam, & repetiet misericordiam. Quàm grauiter Deus irascatur his peccatoribus, qui gratuitam gratiam non retinet, Iudas Apostolus in sua Canonica testatur, & exemplificat de Angelis in cœlis, Esa. 14. De filijs Israél in deserto, qui iam exierant Aegyptũ & liberati fuerant è manu Pharaonis, qui prostrati sunt propter peccatum in deserto, Num 11 & 25 & de Sodoma quę abundantiã beneficẽtiæ Dei accepit in omnibus fructibus, Gen. 13. Vt igitur illi oẽs grauiter puniti sunt, sic etiã grauiùs puniẽtur qui non retinuerũt acceptũ Christi beneficiũ. Deindè tales iustificationẽ perdentes, peiores efficiũtur, ita vt perindè illis sit, acsi nunquam recesserit Diabolus, & nunquã fuissent iustificati: id Apostolus ibidem exẽplificat de Cain Gen. 4. Balaam, Numero 22. & 23. & 24 & Chore, Numer. 16. qui contra apertam conscientiam peccârunt & contra veritatem: nihil igitur proderit accepisse iustitiã, nisi quoq; retineatur: alioqui sunt nubes sine aqua, arbores sine fructibus, fumus sine igne, sidera errantia: quales sunt Christiani perplurimi solùm nomine, qui viuunt genialiter secundùm desideria carnis, & volunt tamen vocari & mereri cœlum, sicut cæteri boni Christiani. Caueamus igitur & timeamus: Luc 9.

nam

nam veniet Dominus ad iudicium &cæt. sicut prophetauit Enoch.

CAPVT XXIIII.

ARGVMENTA.

1. *De hoc seculo quòd non timeat Dei iustitiam & extremum iudicium.*
2. *De timore Dei & iustitia ante oculos habenda.*
3. *De magistratu, quòd non puniat delicta populi.*

1. EXperientia docet, quàm sit hoc seculum sine omni timore Dei, solumq; iactans misericordiam, fidem Christi & merita eius: verùm vita & moribus non timet Deum offendere, neq; putat Deum vlciscì peccata, sed solùm esse misericordem ob Christi satisfactionem, & non amplius peccata punientem: æstimat autem se adeò iustum & iam saluum, nõ ponderans quòd beata virgo canit Luc. 1. Et misericordia eius à progenie in progeniem timentibus eum: timentibus dicit, non liberè & lasciuè viuentibus. Et Exod 20. Ego Deus faciens misericordiam in mille, qui seruant præcepta mea. Pro quo notandum, quòd postquàm Deus creauit hominem, posuit illum in Paradisum, Genes 2. Creauit autem illum in originali iustitia sine omni macula & peccato in perfecta innocentia: deindè, quatenùs illam innocentiam & originalem iustitiam seruaret & non perderet, dedit illi præceptum, ne de ligno scientiæ boni & mali comederet, non vt obseruatione illius præcepti mereretur iustitiam originalem, quam iam gratis acceperat in creatione, sed vt illam retinerent vnà cum vita naturali: adiecit quoque minas, inquiens: Quacunq; die

die comederitis de arbore ista, moriemini &c. In creà tione exhibuit gratis misericordiã, in præcepto muniuit eius iustitiam: gratuitò igitur accepit homo vitam & originalem iustitiam, quæ mereri non potuit: iussit quoq; Deus retinere, & dedit quoq; adiutoriũ Spiritum sanctum. Sed quoniã homo hęc omnia contempsit, & potiùs malo spiritui quàm Deo obediuit, expulsus est extra Paradisum, addictus æternæ damnationi & morti: & nisi Deus pater ex misericordia sua misisset saluatorẽ Iesum Christũ, nemo fuisset saluatus: tam austera fuisset Dei lata sentẽtia & iustitia. 2.

Et quoniam Deus primo homini non pepercit, quem gratis sic ornauit originali innocẽtia &c. multò minùs parcet Dei iustitia impijs illis, qui non solùm vitam naturalem habent à Deo, sed etiam sunt abluti semel & sanctificati sanguine Christi, 1. Corin. 6. Iustificati & redempti semel, si non obedierint Euangelio, si in peccatis vixerint impœnitentes, vel potiùs abusi fuerint gratia Dei, illos manet Dei iustitia & iudicium certissimum, non iuuabit vel liberabit eos vana fiducia quam iactant: vt enim nõ profuit Adę sua innocentia dùm peccauit, sed illam perdidit, & in manus Domini incidit: Sic nec baptizatus gaudebit de accepto Baptismo, fide, &c. si Deum non timuerimus, eiusque præcepta sancta Euangelica custodierimus. Timor Domini odit malum, Prouerb. octauo. Eccles. 1. Initium sapientiæ timor Domini, paterfamiliâs custodit domum, ne fur veniat & effodiat thesaurum &c. Matth. 24. quantò magis nos timere debemus, ne perdamus iustificationem, & incidamus in manus Dei, quod est horribile? & hinc est q̃ Christus admonet Ioannis quinto sanatum hominẽ, vt nõ ampliùs peccaret, ne sibi deterius qd cõtingat. Et Apostoli quoties nobis proponũt, quatenùs iustificati sumus fide per sanguinem CHRISTI, statim adiun- Rõ 5. & 6.

adiungunt, vt seruiamus iustitiæ, & illā retineamus. Sic Hebr. 9. Si sanguis hircorum &c. ad seruiendum Deo viuenti, non peccatis & 1 Pet. 2 cuius liuore sa. nati sumus, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus. 1 Corin 5 Pascha nostrum immolatus est Christus &c. Itaq; epulemur, non in fermento veteri &c. ad Rom. 8 Si secundùm carnē vixeritis, moriemini. & in summa, Quid aliud est totum Euangelium nisi quòd do. cet primùm credere in Christū, quatenùs per illum iustificemur, deindè seruare media & præcepta Euangelica, quibus non meremur iustificationem, sed re. tinemus? Qui ergò nunc sine timore viuunt, putantes se iam saluos sola inani & sterili sua fiducia, ij fallantur & errant. Quare tametsi gratis simus iustificati ex misericordia Dei, propter Christum in quem credimus, deindè vocati ad vitam æternam propter eundem Christum, non tamen securi esse debemus, & sine omni timore Dei viuere, aut solam misericordiā sperare, & non quoq; timere Dei iustitiam, quia non tardat iustitia Dei vindicare impietatem ob iustitiam qui abutuntur sua misericordia: habet enim grauissima & terribilia exēpla vindictæ & iustitiæ Dei scriptura, quæ nos meritò cō mouere debent ne nimium securi simus. Sed Deum timeamus omni tempore, etiam iā iustificati. Et primò quàm vindicārit Deus fidei inconstantiam atque alterationem, patet Exod. 32. in adoratione vituli, vbi Deus 23. millia hominū per Moysen iussit occidi Deinde in rege Ieroboam, qui erexit vitulos duos aureos, facit nouum cultum & sacerdotes de nouissimis populi, vndè tota eius domus deleta est, 3 Reg 14. Etiam in Chore, Dathan & Abiron, qui in re Ecclesiastica volebāt esse pares Moysi & Aaroni, vndè eos terra deglutiuit. & Helias maximè arguit populum claudicantem in vtranque partem, 3 Reg 18 Ozias volens offerre incensum, 2 Paral. 26. Deindè quid templi spoliatoribus contigit

& primùm Antiocho, 2. Mach. 9. Baltasari regi, Dani. 5. Heliodoro, 2. Machab. 3. &cæt. & Christus eiecit ementes & vendentes de templo, quòd hodiè etiam puniuntur peccata sacerdotum in destructione Ecclesiarum atq; cultus diuini. Insuper magistratus nō puniens delicta populi, & negligēs officium regiminis ad quod euocatus est, punitur, Num. 25. Superbia regentium etiā punitur in populo, 2. Reg 24. septuaginta duo millia hominum peste ocioſi sunt propter superbiam Dauidis, ob murmur quoq; & inobedientiā populi atq; subdiaconorum percussit Deus sexcenta millia virorum, exceptis paruulis & seruis eorū, prę-ter Iosue & Caleb, Numer. 14. serpentibus læduntur, cap. 21. Maria lepra percutitur, cap. 12. punitur & negligentia correptionis filiorū, 1. Re. 2. & 4 de Heli, de quadraginta pueris qui lacerantur ab vrsis, 4. Reg. 2. Itē blasphemus lapidatur Leui. 24 & temerās Sabbathum, Num. 15. adulter lapidatur &c. Leui. 20. Huiusmodi punitiones & cōsimiles tradit scriptura inflictas fuisse populo ex iustitia Dei, qui licet credebant vnū Deum viuentē, & erant in via ad terram promissam, quia tamen sine timore Domini vixerunt & peccâtunt, ideò puniti sunt, & id quidē nobis in exemplum, qui in finem seculi peruenimus, 1. Cor. 10. Sed inquis: hæc sunt exempla veteris legis, quandò nondùm Christus fuit natus, tunc nondùm fuit reuelata & exhibita Dei misericordia propter Christum, sicut nunc est in nouo testamento: iam sola fiducia misericordię ad Deum per Christum omnia tollit &c. Resp. Nos meritò Deum timere debemus, & cauere à peccatis, nec securi esse, quia baptizati sumus, & Euangelium habemus & redempti sumus propter Christū: hęc nihil nobis proderunt, nisi peccata fugerimus, & obediētiam pręstiterimus Euangelicis pręceptis: nā ipse Christus dicit Mat. 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, sed qui fecerit voluntatem patris

mei, & ibidem cap. 11. Væ tibi corozain &c. & de omni verbo ocioso reddenda erit ratio, & cap. 19. de Diuite & obseruantia præceptorum, & 23. de væ Phariſæorum &c. atq; in pluribus alijs locis ſatis commi. natur ſuam iuſtitiam peccantibus & impœnitẽtibus, & Apoſtolus ſępè ac plurimis in locis minatur 1. Co. 6. Neq; fornicarij, neq; idolis ſeruientes, neq; adulteri, neq; molles &c. neq; maledici, neque raptores regnũ Dei poſſidebunt, & Eph 5. Hoc ſcitote intelligentes &c. item Gala. 5. Manifeſta ſunt opera carnis, inimicitia, fornicatio, veneficia, cõtentio, iræ, rixæ, diſſenſiones, homicidia, ebrietates, ſectæ, & his ſimilia, quæ prędico vobis, ſicut prędixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. Ephe. 5. Nemo vos ſeducat inanibus verbis, propter hęc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite effici participes eorum, ecce apertè prædicit Apoſtolus, quòd in tales peccatores venit ira Dei, qui talia vitia perpetrãrint. Non igitur Euangelium eſt ſolus ſermo de miſericordia & gratia & remiſſione peccatorum, ſed etiam ſermo de iuſtitia & auſteritate atque iudicio & damnatione impiorum: nam idem ille Chriſtus qui dicit, credite Euangelio Mar 1. is quoque dicit, pœnitemini: &, ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata, & idem Chriſtus qui dicit Ioan 3. Vt omnis qui credit in illum, non pereat: dicit etiam, Ioan 5. Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignẽ æternum. Pronunciat igitur Euangelium miſericordiam pœnitentibus & credentibus, ſed iuſtitiam & iudicium impœnitentibus & peccatoribus. Ergò ne ſimus nimiùm ſecuri, neque timorem Domini abo. culis ſeponamus: nam licet ſimus iuſtificati ſemel, niſi tamen illam virtutibus retinuerimus, non proderit.

CAPVT XXV.

Multi

MVlti carnales hodiè putant se per fidem adeò iustificatos & sanctificatos esse, vt vlteriorem sanctificationem acquirere nõ sit opùs, & inani fiducia fidei in Christum gloriantur ita se sanctos esse & iustos, & quasi æquales esse virgini Mariæ, Apostolis & cæteris martyribus, & quanuis in suo loco fides iustificet ac sanctificet, iuxta illud, Sanctificati estis in nomine Domini nostri Iesu CHRISTI, sola tamen illa sanctificatio non proderit. Pro quo notandum, quòd scriptura commemorat duplicem sanctificationem, quarum vna diuina dicitur, qua gratia Dei propter Christum sanctificamur, id est, sancti reputamur à Deo propter fidem in Christum, sicuti dicitur 1. Corinth. primo. Qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio atque redemptio, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Hebræor. nono: & ad Ephe. primo. Elegit nos in Christo ante constitutionem mundi, vt essemus scilicet sua virtute & misericordia sancti & immaculati in conspectu eius, & vt laudetur gloria gratiæ suæ, & ad Tit. secundo. Apparuit gratia Dei saluatoris nostri, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem. Sanctificati igitur & abluti estis per nomen Domini nostri Iesu Christi, 1. Corinth. sexto. Est autem hæc sanctificatio aliud nihil, nisi remissio peccatorum & donatio Spiritussancti, qui reliquias peccati in carne mortificet atque penitùs extirpet, id quod fit in præsenti secundùm partem, secundùm totum in morte. Pro hac sanctificatione nostra petijt & rogat Christus ante passionem suam, vbi inquit Ioan. 17. Pater, sanctifica eos per verbum tuùm: sermo enim tuus veritas est. & 1. Ioan. tertio dicitur: Omnis qui habet spem in illo, sanctificat se. Ad illam igitur sanctificationem nos nihil præter pœnitentiam & cogni-

tionem peccatorum nostrorum, atque fidem exhibe. mus: Sed tota ipsa gratia Dei operatur atq; efficit gra tis ex misericordia propter Christum: hęc sanctifica. tio prima est, & præcedit nostram sanctificationem, sicut flos præcedit fructum, licet ex illa sanctificatio. ne nostra fluat. Aliam quoq; sanctificationē scriptu. ra commemorat, quæ sic dicitur, licet quoq; sit opus Dei atq; Spiritus sancti, de qua Apostolus ad Ephe. 4. Induite nouum hominem qui secundùm Deum cre. atus est in iustitia, sanctitate & veritate, & 1. Thessal. quarto. Hęc est voluntas Dei, sanctificatio vestra: & quænam sit illa nostra sanctificatio, ibidem decla. rat, scilicet vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat quisque vas suum possidere in sanctificatione & ho. nore, & non in passione desiderij, sicut Gentes quæ Deū ignorant: ne quis circunueniat in negotio fra. trem suum, quoniam de his omnibus Deus iudex est, sicut testificati sumus vobis: non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem: qui ergò spernit hanc admonitionem ad sanctificationē, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit spiritum suum in nobis. Non igitur satis est dicere, habeo sanctificationem passiuam gratis per fidem in Christum, non opùs est mihi alia, scilicet actiua san. ctificatione &c. Insuper Christus docet Matth. 15. in quo illa consistat sanctificatio, scilicet actiua & no. stra, non in re exteriori, scilicet cibo aut potu, vesti. tu, loco, templo &cæt. hæc enim non sanctificant ho minem, nisi quis primùm fuerit intùs in corde san. ctificatus fide & gratia Spiritus sancti. ideò inquit, Non quod intrat per os, coinquinat hominem, sed quod de ore & corde exit, de corde enim exeunt ma. læ cogitationes, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, mendacia, blasphemiæ, falsa testimonia: hæc sunt quę coinquināt hominem, non illotis manibus manducare panem, &cæt. Sanctitas ergò illa actiua

consistit

consistit in abstinentia huiusmodi peccatorum: vbi enim sunt huiusmodi opera carnalia, ibi nondùm est sanctificatio, quam etiam à nobis exigit Dei voluntas. Leuit 19. Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum. & 1. Petr. 3. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris. Hoc autem fit, quandò obedientiam verbi sui fecerimus, & Euangelio obedierimus, atque à peccatis abstinuerimus. Ad hanc actiuam sanctificationem Apostolus nos maximè hortatur, 1. Corinthiorum sexto. inquiens: An nescitis quòd membra vestra sunt templum spiritussancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? id est, corpus & membra vestra sunt sanctificata in Baptismo, & consecrata spiritusancto, vt ille per hæc operetur bona & pios fructus: non iam sunt vestra membra, sed Spiritussancti: qui ergò fornicatur, in corpus suum peccat: alienum enim templum, id est, Spiritussancti coinquinat: & tollit membra Christi, & facit ea membra meretricis: sed absit hoc à nobis, empti enim estis precio magno. Glorificate ergò & portate Deum in corpore vestro. Quid hîc dicent fornicatores, ebriosi, inuidi, qui corpora sua occidũt ante tempus, & alienis rebus, scilicet Spiritussancti, sic abutuntur, quandò dicit scriptura quòd plures occidit crapula, quàm gladius. Ecclesiast. 37. Propter crapulam multi obierunt, & luxuriosi debilitant corpora sua, & Spiritus tristis (scilicet inuidiæ) exiccat ossa, Prouerbiorum 17. Taceo illos, qui ex nimia parcitate etiam proprio corpori denegant sufficientem cibum & potum, & alia necessaria: multi quoque abundantiam bonorum suorum conuertunt ad luxum, pompam, ornatum vestimentorum, quæ omnia quia sunt incentiua vitiorum, contristãt Spiritum sanctum, &cæt. Igitur illa sanctificatio corporis nostri vel morum ac vitæ, iam penitùs negligitur, dum ad omnem passionem desiderij luxuria-

mur edendo, potando, superbiendo, vestiendo, &cæt. sicut factum est in diebus Noë, Matt. 24. & nemo hæc reputat pro peccatis. Insuper Apostolus 2. Corinth. sexto. Vos estis templum Dei viui, nam dicit Deus, habitabo in illis, & ambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Has ergò habentes promissiones charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & Spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei: Ecce perficere debemus sanctificationem, non ergò in sola fidei iustificatione sistendum est nobis, sed porrò etiam ad sanctificationem anhelandum: iustificatio enim fidei nos Christo inserit tanquàm ramos arbori, sed sanctificatio fructificat & est iustificatio. Vtrunque ergò à Deo præcipitur, iustificatio & sanctificatio: Sanctificatio igitur passiua inchoat, & facit initium creaturæ Dei: Sed actiua complet & perficit, atque consummatam ac perfectam reddit, ideò 2. Pet. 1. admonemur, vt vocationem nostram certam ac consummatam efficiamus per bona opera. & Iacob. secundo dicitur, quòd fides Abrahæ operibus sit consummata, id est, integra ac perfecta fuerit: quare non est satis illa inanis fiducia ad Deum per Christum, nisi sequatur & sanctificatio actiua: terra enim quæ imbrem sæpiùs receptauerit, & tamen nil nisi tribulos & spinas produxerit, maledictioni est obnoxia, cuius exitus huc tendit, vt exuratur. Hebræorum sexto. Et Christus ait Ioan. 15. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum pater, & in ignem mittet: ex quo patet, nihil prodesse cuiquam, etiamsi per fidem insitus sit Christo, si modò ipse in fide nõ perstat, inque cœpta iustitiæ via ac bonitate permaneat: nam liberati sumus à peccato per Christi gratiam & serui facti iustitiæ: quod seruitium si non præstiterimus, restat sententia Luc. 12. Seruus sciens voluntatem domini, & non faciens, vapulabit plagis multis:

non

non hoc dicitur, quòd nostra sanctificatione mereamur hoc quod Christus meruit: nihil penitùs gratiæ derogatur, sed quatenùs retineatur, augeatur, & distribuatur: & quatenùs obligati sumus votiui serui iustitiæ, vt satisfaciamus: nec nostro carebimus præmio in præsenti atque futura vita. 1. Corinthiorum tertio. Vnusquisque mercedem accipiet secundùm laborem suum. Ex prædictis liquet, quàm aberret mundus, qui solum vult audire verbum Domini, & credere quæ Christus nostri causa fecit, id est, quòd pro nobis natus, passus, mortuus sit, & quòd vult gratis remittere peccata & dare cœlum, & quòd nullum sit peccatum quod damnet, præter infidelitatem: hæc & huiusmodi populus carnalis libenter audit, & magistros talia docentes amplectitur. At quid nos nunc redempti facere debeamus, scilicet peccatis mortui esse, deindè seruire iustitiæ, ac seruare & obedire Euangelicis præceptis, esse pœnitentes, & Deum ac proximum nostrum diligere, orare, ieiunare, castigare corpus, obedire Ecclesiæ & eius præpositis, & in summa exercere sanctificationem nostrã, hic omnes surdi aut muti sunt, & qui hęc docet & inculcat, pro hypocrita & sanctulo habetur: qui autem falli non vult, videat totum Euangelium, quòd non solùm docet passiuam sanctificationem, sed etiam actiuam: Et de his iudicabit Deus in nouissimo die.

CAPVT XXVI

QVod carnales hodiè dicũt Euangelium nihil aliud esse, quã lętũ nunciũ remissionis peccatorũ: deindè, ꝙ duo potissimùm Euangeliũ doceat. Pro quo notandũ, ꝙ pleriq; hodie affirmant Euangeliũ esse lętum nunciũ gratiæ, vel solùm sit sermo de Christo, qui denunciat remissionem peccatorũ, solamque exigere fidem in Christum, & ampliùs nihil: vndè fit vt carnales reddãtur homines ex falso intel-

lectu ac persuasione Euangelij. Docet autem nos Christianos Euangelium Christi duo potissimùm: est enim primò lætum nuncium gratię, scilicet quòd Deus pater nostri vult misereri, si crediderimus in filium ac pœnituerimus, & remittere omnia peccata gratis, sicut Apostolus 1. Cor. 15. Hoc est Euangelium meum quod prædicaui vobis, quoniā Christus mortuus est pro peccatis totius mundi secundùm scripturam & promissionem prophetarum, & resurrexit tertia die secundùm scripturas, & Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filiū suum vnigenitum daret &c. Act. 10. Huic omnes prophetæ testimoniū perhibent, remissionem accipere peccatorum per nomen eius. Deindè Euangelium docet, quatenùs ad veram pietatem & iustitiam vitam nostrā instituamus, non solùm credere remissionem peccatorū, sed etiā seruare obedientiam verbi, atque emendare vitam nostram. Sic iubet Apostolus Eph. 4. exuite veterem hominem & nouum induite, qui secundùm Deū creatus est in iustitia, sanctitate & veritate. vitate mendacia, iram, furtum, &c. & alibi dicit, Eratis aliquandò tenebræ, nunc autem lux in Domino. Igitur vt filij lucis ambulate, & Matth. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. quid enim est totum Euangelium, nisi doctrina quomodò instituatur Christiana vita? non solùm docet remissionem peccatorum, sed iubet etiam ne corpora nostra grauentur crapula, &cæt. Luc. 21. vt patrem adoremus in spiritu, Ioan. quarto, vt eius mādata seruemus, Matth. 19. vt deponamus inuidiam, & remittamus offensam proximo, sicut dat exemplum de seruo nequam, Matth. 18. vtque benefaciamus proximo, Matth 25. & Christus docet & præcipit, quomodò vitam Christianam rectè instituamus, nempe cap. 5. & 6. & 7. Matt. Sunt quoque & minæ in Euangelio, scilicet Ioan. quinto. Procedent qui mala fecerunt,

in re-

in resurrectionem iudicij. & Mat 5. Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennę ignis. & Matt. 3. Ioannes inquit, Radix arboris iam à securi appetitur: arbor quæ non facit fructum, scilicet pœnitentię & fidei, excidetur, atq; in ignem proijcietur. & Mat. 11 Væ tibi Bethsaida, quia si apud gentes in Tyro & Sidone tantę factę essent virtutes, quę facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere &c. & cap. 12. De omni verbo ocioso quod locuti fuerint homines, rationem reddent in die nouissimo. & cap 18 Iratus Dominus tradidit eum tortoribus, quousque redderet vniuersum debitum. sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si nō remiseritis vnusquisq; fratri suo. & 19. Diues difficilè intrabit in regnum cœlorum. Facilius est camelū &c. Mat. 23. Vę vobis scribę & pharisęi hypocritę, qui clauditis regnum cœlorum &c. Mat. 25. Serue male & piger, quia meto vbi non semino, & congrego vbi non sparsi &c. & ibid. Ite maledicti in ignē æternum &c. hęc & multa similia pœnarum exempla nouerint peccatores in Euangelio. Quarè Euangelium non est solum lętum nuncium gratię remissionis peccatorum, sed etiam comminatur pœnam ęternā non resipiscentibus. Vana igitur erit sola fiducia illa ad Deum per Christum, nisi & hæc opera feceris Euangelij, atq; vitam tuam sic instituerís, vt sit conforme Euangelicis præceptis: quid est, inquit Dominus Luę 6. quod dicitis, Domine Domine, & non facitis quæ dico vobis? Quare Euangelium docet duplicem iustitiam, scilicet passiuam primò, deindè actiuam. Iustitia passiua est illa, quam nos solū patimur à Deo, qui nos iustificat per fidem & pœnitentiam. Rom. 3. Deus est qui iustificat, & Dauid Psal. 31. Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum. Igitur credenti in eum qui iustificat impium, fides reputabitur ad iustitiam, Rom. 4. Hanc iustitiam solus Deus in nobis operatur, nos solùm illam recipimus, sicuti terra im-

brem, & patimur nos iustificari, & opus Domini in nobis perfici: hanc nos efficere minimè possumus: nemo enim seipsum potest iustificare, id est, purgare à peccatis, nec sibi ipsi remittere peecata: sic fidelis sese peccatorem agnoscens, solam accipit & cupit sibi exhiberi iustificationem propter mortem Christi, id est, remissionem peccatorum: ideò vt hanc iustitiam passiuam accipiamus, vbique scriptura vrget ad fidem in Christum, sine qua impossibile est accipere hanc iustificationem vel iustitiam Dei &c. Hæc iustitia passiua præcedit omnem iustitiam actiuam. Oportet enim primum esse iustum, antequam quis bona & iusta faciat opera, sicut homo primum baptizatur antequam bona exerceat, & arbor bona præcedit fructum, Matthæi 7. Primò igitur nos Deus diligit, & lapidem atque fundamentum salutis ponit, non homo: ob id vocatur iustitia passiua, quòd solùm illam patimur, quam gratia & misericordia Dei in nobis operatur propter Christum per fidem in illum. Fides igitur antè omne opus & meritum gratis illam accipit in Baptismo, vbi efficitur filius Dei, iustificatur & purgatur atque abluitur in nomine Domini nostri Iesu Christi, 1. Corinth. 6. Præterea hæc iustitia passiua tria facit in nobis: primùm tollit ex gratia propter Christum peccata, quatenus non imputātur: deindè donat Spiritum sanctum, quo possimus iustitiam actiuā (quam nos adminiculo Spiritus sancti exercere debemus, ac necessariò exigitur, estq; tota obseruantia & obedientia Euangelij) præstare: Tertiò promittit obedientibus Spiritum sanctum, & vitam æternam obedientibus Euangelio, non vt illa obedientia mereamur vitam æternā, & quòd sit causa salutis: hoc enim solum sibi retinet sanguis Christi effusus: sed quòd nō retinetur iustitia passiua, Rō. 8. Si secundùm carnē vixeritis, moriemini: & quòd sicut Deus præcepit & legem Euangelicam, qua vi-

tam

tam Christianam instituamus, sic ordinauit cui debemus obedientiam, iuxta illud Luc. 12. Seruus sciēs voluntatē Domini, & non faciens &c. non enim solùm credere iubet Euangelium, sed etiam Euangelio per vitam Christianam obedire, vel quòd Deus nostram obedientiam, quo magis ac magis gloria gratiæ suæ laudetur, vltra iustitiam passiuam gratuitā vult coronare ingentibus præmijs in hac & post hāc vitam 1. Corint. 3. Vnusquisq; mercedem accipiet secundum laborem suum. Igitur hæc iustitia passiua oportet præcedat actiuam iustitiam. Est autem actiua iustitia, quā nos adiutorio Spirituſſancti atq; gratiæ Dei facimus, scilicet pœnitere, diligere Deum super omnia, & proximum suū sicut seipsum, remittere offensam, eleemosynam dare, ieiunare, crucem patienter ferre, seruare mādata Dei, &c. & debet in summa vita nostra conformis esse Euangelio, quod Euangelium formula & regula est, quatenus retineam⁹ Dei fauorem & iustificationē, maneamusq; filij dilecti, vt Deum nostrum confiteamur ore & corde, Roman. 10. atque laudemus & benedicamus omni tempore, vtque laus eius semper sit in ore nostro &c. Et hanc iustitiam Deus necessariò exigit, & sequi debet priorem. Dicitur autem hæc iustitia actiua, eò scilicet, quòd nos cooperante Spiritusancto eam ex fide in Christum, & propter Christum facimus, sicuti Apostolus 1. Cor. 15. dicit, Plus omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum. Et, Gratia Dei sum id quod sum. Hanc autem iustitiam actiuam iam nemo curat, omnes ebrij sumus de illa fiducia sterili ad Deum propter Christū, nec existimamus illā esse necessariam, quam tamen Euangelium ipsum adeò vrget, exigit, præcipit, sicuti fidem qua passiua accipitur, nō vt mereatur passiuam, quæ planè grātuita est, vt dictum est, sed quòd passiua non retinetur, nec efficax permanet promissio salutis, nisi hæc iustitia nostra acti-

ſtra actiua ſequatur ex paſſiua, & niſi fructus fidei ſi. dem ſequantur. Eſt igitur Euangelium non ſolũ ſer. mo de Chriſto incarnato, ſed etiam doctrina, quomo dò vita Chriſtiana inſtituatur: vtrunq; docet, & vnũ. quodq; in ſuo loco. Primum, quomodo per fidem ac cipimus & patimur iuſtitiam paſſiuam: deindè, quo. modò neceſſariò ſequi debet iuſtitia actiua. Væigi. tur carnalibus hominibus, qui non timent grauiſſi. mam ſententiam Matt. 12. de redeunti diabolo cum ſeptem Spiritibus nequioribus ſe, & 2. Pet. 2. cap me. liùs eſſe non cognouiſſe veritatem, quàm poſtagni. tam retrocedere &c.

CAPVT XXVII.

QVod Carnales hodiè frequenter in ore habent, Fides Fides, Crede crede, Et q fides integra contineat duplex opus. Frequens in ore hominum huius ſecu. culi eſt, Fides fides, vel ſolùm, Crede crede, & omnes conciones fiunt ac replentur de fi. de: nemo tamen explicat integritatem fidei, aut quid in ſe contineat hoc nomen fides. Veteres cũ Paulo di cunt, q; fides eſt fundamentum, id eſt, ſubſtãtia firma rerum ſperandarum argumentũ non apparentium, id eſt, remiſſionis peccatorum, & vitæ æternę, Hebr. 11. & quidem hoc rectè. Neoterici verò dicunt, Fides eſt fiducia miſericordiæ diuinæ conſequendæ propter Chriſtum, & hoc quidem rectè. huiuſmodi verò fides ex auditu eſt, Rom. 10. & donũ Dei. nihil efficeret au. ditus verbi, niſi Spiritus S. intus reuelaret fidem. Mat. 16. Caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui eſt in cœlis. Eſt igitur fides fiducia firma, id eſt, ſubſtantia rerum ſperandarum, id eſt, miſericor. diæ diuinæ conſequendæ propter Chriſtum, etſi hoc carni & ſanguini ac rationi naturali non appareat. Continet autem fides, ſi integrè conſideretur, duplex opus. Pri-

Primum est, in Christum credere, eum suscipere vt redemptorem & saluatorem acceptare pro sua iusti- I. Duplex opus fidei.
tia, sapiētia & sanctitate, 1. Cor. 1. & hoc est opus Dei, vt in eū credamus, Ioan. 6. Credere igitur in personā Christi, vt filium Dei & nostrum saluatorem, primū exigitur: nisi enim quis primò credat in personam Christi, non credit verbo Christi, nec obedit verbo Euangelij eius. Primum igitur opus fidei est, credere Christū esse verum Deum & hominē, saluatorem nostrum atq; iustitiam in sua persona, & totum verū esse quod de illo dicit scriptura Prophetarum & Apostolorum, & hęc fides facit Christianum. Alterum opus fidei integrę est, credere & obedire verbo & sermoni eius: nam non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorū: sed qui facit voluntatem &c. Mat. 7. Luc. 11. Beati qui audiunt verbū Dei, & custodiunt illud, 1. Cor. 4. Regnum Dei nō est in sermone &c. ad Tit. 1. Confitentur se nôsse Deum, sed factis negant. Fides ergo integra vtrunq; completitur, scilicet credere Christum esse nobis redemptorem & saluatorem, atq; credere Christo, quod est nihil aliud, nisi eius verbo obedire: nā agnoscere Christi pietatē, atque fateri ore & prędicare, satis non est, nisi & cognitū ames, non sermone tantum, sed & factis atq; virtutibus. Ioan. 14. Si quis diligit me, sermones meos seruabit. Qui igitur verbo Christi, id est, Euangelio non obedit, (plura enim pręcipit Euangelium, esse pauperes Spiritu, pacificos, mites, misericordes, non iudicare, facere proximo quod sibi fieri vellet, ieiunare, offensam remittere, &c.) Illi inquā nihil proderit fides & cognitio personę Christi, neq; fides illa saluabit. hæc igitur obedientia testificat esse Christianum: Ex quo sequitur, quòd fides illa quæ sola inani fiducia nititur absq; pręcepti sancti custodia, id est, Euangelij, quod dicitur mandatum sanctū, lex charitatis, seruitus iustitiæ &c. mortua est, eô ꝙ

vita

vita verbi caret. Tunc enim verbum ac Euangelium viuunt in nobis, quando fructus Euangeli atque opera sequuntur: Sunt enim opera testes viuæ fidei. Psalm. 115. Credidi, propter quod locutus sum. Arbor bona fructus bonos facit, Matt. 7. Vbi igitur non est obedientia verbi, ibi fides verbi non est integra neque salutaris &c. Secundò, in hoc concordant omnes, quòd Fides dicitur sine operibus mortua esse, vt Iacob. 2. & Neoterici dicunt, si fidem opera non sequuntur, fides non est: ergo illa fides sine operibus non iustificat nec saluat, & quòd communiter tribuitur fidei iustificatio, hinc est, quia à maiori fit denominatio. Est enim opus fidei primum & potissimum inter omnia opera hominis. Sed propterea non excluduntur opera, eò quòd hoc nomen fides, vtrumque complectitur opus, id est, credere in Christum, & credere Christo, id est, obedire sermoni eius: ergo fides illa vera & integra est, quæ vtrunque opus habet, id est, quæ non solum fidit misericordiæ, sed etiam obedit verbo. Fidere enim sine obedientia verbi, est Deum subsannare, & quanuis fiducia illa potior sit, quã præcepti custodia: fiducia enim quietat cor: efficax tamen non erit fiducia illa misericordiæ, si aderit contemptus obedientiæ verbi. Vtrunque enim exigitur: vtrunque, dico, opus fidei doceri debet. Præterea Euangelium vtrunque opus fidei declarat in iustificatione. Marci 1. Pœnitemini. Hic obedientia verbi exigitur, & primus actus fidei est: deindè, Et credite Euangelio, id est, fiduciam habete tunc in diuinam misericordiam consequendam, & promissam propter Christum: nam propter illum Deus vult remittere peccata. Quòd si quis solum velit fidere diuinæ misericordiæ, & non pœnitere aut obedire Euangelio, illa fides integra atque salutaris non esset, neque efficax, sic iubet prædicari pœnitea-

hitentiam primò Ecclesiæ obedienti. Deindè remissionem in nomine eius, Lucę vltimo. Sic Apostoli vbique docent illos duos actus vel opera fidei in suis Epistolis, primum opus esse, scilicet credere in personam Christi, vt mediatorem & saluatorem, eò quòd lex nos damnat, sed per Christum iustificamur: deindè Paulus in alijs capitulis docet obedientiam verbi, scilicet offerre corpora, &c. Sic primo Corinthiorum quinto. inquit, Pascha nostrum immolatus est Christus, hoc credere debemus, & est primus actus fidei: deindè nunc epulemur in azymis synceritatis &c. & primo Petr. secundo. Liuore eius sanati sumus, hic fides & fiducia: vt iustitiæ viuamus, eccè obedientia. Vbique ergo scriptura duplex hoc opus inducit, quare separari non possunt, neque debēt: vt arbor sterilis nihil est sine fructibus, sic inanis illa fiducia diuinæ misericordię propter Christum sine fructu & obedientia Euangelij, misericordia eius à progenie in progeniem timentibus eum, Lucæ primo. Nam Adam credidit DEO in Paradiso, habuit enim primum opus fidei, sed quia non obediuit verbo Dei, & non habuit secundum opus fidei, ideò nihil ei profuit. Sic Saul rex credidit, sed quia non obediuit verbo Dei, deijcitur 1. Regum decimoquinto. Filij ISRaël crediderunt Deo, & exeunt de AEgypto: sed quia verbo eius non obedierunt, & peccabant, prostrati sunt in deserto. Iudas credidit Christo, & illū sequebatur: sed quia non obediuit verbo quod iubet sperare in Domino, ideò seipsum suspēdit, sic multi sunt qui confitentur Christum, sed facto negant, Tit. 1. At inquiunt, hæc fides non fuit vera, sed hypocritica. Respond. Penes quod cognoscitur fides vera ab hypocritica, nisi per alterum hoc opus fidei, scilicet obedire verbo? ergo quandò hoc non aderit primo operi fidei, quod est, credere in CHRISTVM, reliquum, scilicet obedientia verbi & seruitus iustitiæ,

stitiæ, hæc fides non est vera. Abraham non solũ credidit verbo, sed & obediuit verbo Dei, immolans filium Gen. 22. ob id iustificatus est Dauid, credidit & obediuit Deo, Psal. 50. Miserere meî Deus, & os meũ annunciabit laudem tuã. Sic omnes sancti Martyres per fidem vicerunt regna, & operati sunt iustitiã &c. Hebr. 11. Nihil igitur est illa fiducia misericordiæ diuinæ sine obedientia Euangelij. vtrunq; complectitur fides, credere & operari iustitiam. Qui igitur solã fidem sic iactant, vt derogent obedientiæ Euangelij & verbi Dei, illi videant. sed inquiunt: Fides, priusquàm quicquam operetur, iustificat: ergo sola iustificat. Respond. hoc non negatur, nempè quòd absq; partu operum, hoc est, quia nondum peperit opera, quempiã iustificare potest: at iam parturijt, nihilominùs & est operibus grauida, nihil præter tempus partus expectãs: mulier grauida est antè partum, attamen partum expectat: vt grauidam fieri mulierẽ, præcedit, partus sequitur: attamen in momento quo mulier grauida fit, potestate quadã in se cõtinet fructum, tempus partus expectans. sic fides in momento quo infunditur animæ, grauida fit operibus bonis, nihil nisi nunc tempus efficiendi illos expectat, nullum momentum separari potest à Fide, obedientia verbi vel opera pia. Et quoniam fides potestate quadam intra se continet bona opera, quæ nondum sunt in lucem edita: idcircò per eam scilicet fidem iustus solum initiari dicitur vel iustificationem initiari, nõ autem consummari: nam consummata iustificatio non alirer, nisi ex operibus natis & in lucem quasi editis, acquiri potest. Sic enim dicit Iacob 2. quòd fides Abrahæ sit ex operibus consummata, & initium creaturæ eius vocat, non perfectam creaturam. Et sic scriptura docet iustitiam inchoatam & consummatam, vna per fidem datur, altera operibus efficitur: pro vtriusq; ergo tum fidei tum operibus siue obediẽ-

tiã

tia verbi vnum simul præmium, non diuisum inuicẽ, Apostolus tribuit, 2. Timoth. 4. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Summa, vterque actus exigitur ad veram & integram fidem, credere in Christum, & credere Christo, id est, obedire verbo ipsius atque Euangelio, neque solam fiduciam acceptat sine obedientia verbi, neque opera & seruitium iustitiæ sine fide. Quare fides non est sola fiducia in Dei misericordiam, sed etiam diuinæ voluntatis atque Euangelij, obseruantia. Qui igitur cõtemnit obedire verbo Euangelij, frustra iactat fidem, & inanẽ in Christum fiduciam: non solum promisimus in Baptismo nos in Christũ credere, sed & verbo illius obedire, & mandato sancto, legi charitatis, id est, Euangelio, & recusare pompis Diaboli. Seruus igitur sciens voluntatem Domini, Luc. 12. &c & melius foret non agnouisse veritatem, 2. Petr. 2. Si enim sola illa fiducia in diuinam misericordiam sufficeret sine obedientia verbi, superfluum foret totum Euangelium cum suis præceptis de pœnitentia, de charitate erga proximum, de operibus misericordiæ, de oratione, de ieiunio, de humilitate, de castigatione &c. frustra quoque abundatio iustitiæ exigeretur à Christianis Matthæi quinto: At Christus Ioan. octauo. inquit Iudæis: Vos dicitis quia pater meus Deus vester est, sed non eum cognoscitis: ego autem cognosco eum, & sermonem eius seruo &c. & iterum, si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite: & licet vterque actus fidei exigitur atque integratur fides, adhuc tamen salua manet gratia, quę ppter Christum, & non ipsa opera operata nostra, iustificat & saluat: cùm enim omnia fecerimus &c. omnia inquit, id est, crediderimus, operati fuerimus, &c. adhuc serui inutiles sumus, &c. Lucæ 17. Insuper omnes docemus nos saluari gratia & misericordia Dei, Rõ. 6. Sed pij postquã omnia fecerint, quę vel diuina præ-

cepta, aut cultum & laudem ipsius, aut quæ proximi commodum & corporis proprij castigationem respiciunt, adhuc se nihil feciſſe putent, cogitantes quod Christus docuit Lucæ 17. cùm omnia feceritis &cæt. Carnales verò Euangelici homines tantùm sperant misericordiam & gratiam salutis cum negligentia, immò cum contemptu omnium præceptorum cùm Dei tùm Ecclesiæ, in sola carnis libertate viuentes, nullum curantes opus. Contra hos vbiq; loquitur scriptura, quòd tali inani fiducia non saluantur. Vt dè Lucæ 12. Et misericordia eius à progenie in progeniem timentibus eum &c.

CAPVT XXVIII.

QVid sit propriè verbum Dei, acceptare, audire & credere, cùm omnes hodiè dicant, audiendum esse verbum Dei. Frequens clamor est hoc seculo, scilicet, audiamus verbum Dei, verbum Dei, & accipiamus ac credamus, atque sic alius alium condemnat, quia non audit, aut credit vel acceptat verbum Dei: quare cumprimis notare oportet, quid sit verbum Dei: deindè, quis illud acceptet & credat, & qualiter, an secundum Spiritum vel secundum carnem: nam etsi plerique audiant verbum Dei, non tamen omnes obediunt, Romanorum decimo. Est autem primo verbum Dei, iusta, vera ac sancta doctrina, per quam Deus, & non homo nos docet quid credamus, quid faciamus vt saluemur, sicut Apostolus secundo Timoth. tertio. inquit: Permane in literis sacris, quas ab infantia didicisti, quę te instruant de fide & salute, quę est in Christo Iesu: nam omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, scilicet fidem in Christum, ad erudiendum quoq; in iustitia, scilicet vitæ Christianæ, quatenus homo rectè faciat,

faciat, ad arguendum etiam scilicet qui non credunt in Christū, & malè viuunt; quibus denunciat damnationem: hęc omnia facit verbum Dei, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Sic Rō. 15. Quęcunq; scripta sunt, &c. Docet autem verbum Dei multa, non solam fidem, sed & pleraque alia, sed antè omnia & cumprimis docet & exigit fidem in Christum, eō quòd sine fide impossibile est placere Deo, Hebræ. 11 ideò Rom 10. inquit Apostolus: Hoc est verbum fidei quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, scilicet esse tuum redemptorem, & in corde credideris, quòd pro tuis peccatis mortuus fuerit, & quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris: nam tu homo peccator es, transgressor legis diuinę, natura corruptus: si vis euadere damnationē, crede in corde tuo Christum esse filium Dei, & pro tuis peccatis mortuū, Rom. 4. & resuscitatum, vt te iustificet contra peccata & diaboli accusationem, & iustus reputaberis propter hanc fidem in Christum coram Deo: nam sic corde creditur ad iustitiam, sed hunc quoque Christum confiteri debes coram mundo, Iudæis & Gentibus ac impijs: qui enim ipsum negauerit coram hominibus, illum negabit & ipse coram patre cœlesti, &c. & hæc cōfessio fit tibi ad salutem. Nam fides duplex opus habet: vnum intus in corde credere, fidere diuinæ misericordiæ consequendæ propter Christum, Ioan 6 Hoc est opus Dei, vt credatis: alterum, Christum confiteri & illi obedire, verbo eius satisfacere, sicut hic confessio fit ad salutē, & 1. Ioan. 2. dicitur: Per hoc, inquit, scimus quòd cognouimus Deum, si iussa illius obseruamus: nam qui dicit, Noui eū, & pręceptum eius nō seruat, mendax est, & in eo veritas non est. Docet igitur verbum Dei, primum credere, & omnem spē salutis ponere in Christum, qui dicit Ioan 3. Sic pater dilexit mundum, vt omnis qui credit in eum, &c. Secundò;

verbum Dei non ſolum docet credere & ſpem ponere in Chriſtum, ſed etiam ſemper eſſe in pœnitentia: ſicut ergo omni die & hora cupis tibi exhiberi miſericordiam, ita omni die & hora dolere debes de peccatis tuis, ſicut dixit Dauid Pſalm 50. Peccatum meum contra me eſt ſemper, Sic Marc. 1. dicitur: Pœnitemini, & credite Euangelio. Abſque pœnitentia & contritione cordis, ſpes & fiducia in Chriſtum nulla eſt: pœnitentia autem optima eſt, ceſſare à vitijs, luxuria, ſuperbia, auaritia, gula, &c. qui enim credit & ſperat in Chriſtum, attamen non ceſſat peccare fruſtra ſperat miſericordiam. Tertiò, verbum Dei docet dilectionem Dei & proximi, Matthæi 22. vt Deum ſuper omnia diligas, nihil illi pręponas, nec patrem, matrem, vxorem, liberos, agrum &c. ſed toto corde diligas, timeas, obedias. hæc enim ſunt præcepta primæ tabulæ, deindè proximum tuum ſicut teipſum, vt cum primis honores parentes tuos: deindè nec erga proximum tuum falſum teſtimonium dicas, mentiaris, detrahas, decipias emendo, vendendo, ne furtum illi facias, vxorem deturpes, & concupiſcas aliena. nam dilectio eſt plenitudo legis, Rom. 12. adhæc præcepta Euangelica omni tempore teneris. Roman. 13. Nihil debeatis, niſi vt vos inuicem diligatis. Quartò, verbum Dei docet humilitatem. Matthęi 11. Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, docet paupertatem, munditiam cordis, miſericordiam, ſitim, & eſuriem iuſtitiæ, pati perſecutionem, Matthæi 5. docet quoque orare, ieiunare, eleemoſynam dare, Matthæi 6. non iraſci, non dicere fratri racha, ſolem non occidere debere ſuper iram noſtram, reconciliari cum eo qui nos offendit: docet caſtigationem corporis, non crapulari. non inebriari, Lucæ 21. &c. ſumma, multa alia docet verbum Dei, quàm ſolum credere, quæ Chriſtus adeò ſeriò exigit ab adultis, ſicut fidem: nam ſi ſola fides in ipſum & ſpes exigeretur, fruſtrà

frustrà hæc ipse præcepisset,& superuacanea essent in verbo Dei. Præterea vbiq; est verbum,tam vbi fidem exigit quàm vbi opera docet: & sicut exigit obedientiam circa fidem,vt in illum credamus, ita quoq; erga cætera quæ præcipit vt obediamus & faciamus: iubet quoque inimicos diligere,&eis benefacere,qui nos oderunt,Lucæ 6.& vt nemo se excuset de impossibilitate. promittit & donat Spiritumsanctum, qui adiuuet infirmitatem nostram, Rō. 8. vt obediamus legi. Verbum igitur Dei non solum docet credere, sed & facere & obedire verbo Dei.nam sic dicit Lucæ 6. Quid autem vocatis me, Domine &c. & non facitis quæ dico? omnis enim qui venit ad me, & audit sermones meos,& facit eos,ostendam vobis cui similis sit,similis est homini ędificanti domum,qui fodit in altum, & posuit fundamentum supra petram: inundatione autem veniente &c. Eandem sententiam habet Matt. cap. 7. Est ergo verbum Dei doctrina sancta, docens quid credamus, & faciamus ad salutem Verbum igitur Dei audire,credere, acceptare, est illi per omnia obedire,id est,non solum credere in Christum, sed etiam mandato eius & verbo sancto obedire. nempè Euangelio, quod vitam & opera cum fide Christiani describit. Qui ergo fide clamat ad Christum,Domine Domine,&spem suam in illum ponit, necessè est vt obediat etiam verbo ipsius, non quòd virtus fidei nostrę ac operum ex sua conditione mereantur salutem:id enim gratiæ Dei saluum relinquitur, quàm gratiam & misericordiam Christus suo sanguine nobis meruit, Roman. 4. mortuus est pro peccatis nostris:sed quòd sine fide & obedientia verbi Dei, salus non distribuitur & accipitur: nos serui inutiles sumus semper,scilicet ad remissionem & salutem promerendam,nostra scilicet fide & operibus, Lucæ 17. licet opera nostra aliâs habeant sua ingentia præmia &c. & non vult obliuisci operis nostri

&c. Hebræ. 6. Fides igitur quia vtrunque complecti-
tur, scilicet credere & obedire verbo, ille totum ac
verè verbum Dei credit, audit, acceptat, qui vbique
obedit: primùm obedit verbo, credēdo in Christum:
deindè obedit faciendo & opere, quod exigit ver-
bum Dei. qui habet dilectionem proximi: cauet pec-
cata, castigat corpus: nam beati dicuntur non solum
qui audiunt verbū Dei Qui igitur per omnia obedit,
il e se iactet suscepisse verbum Dei Acceptantes autē
verbū Dei, sunt in duplici differētia: quidam credunt
& acceptant illud, faciendo pro virili, quod Euange-
lium prȩcipit ex fide facere: sed quia nemo perfectus,
ob id semper pœnitent: pro auxilio gratiæ Dei anhe-
lant, quotidie clamantes, Adauge nobis fidem, Lucæ
17. & iterum, Matthæi 6. Dimittite nobis debita no-
stra &c. sed horum perpauci sunt. Aliqui accipiunt
verbum Dei in parte, & solum vbi carnis libertatem
fouere possunt, non obedire traditionibus & præce-
ptis Ecclesiæ, non ieiunare aut feriari, sed omnia li-
center agere, trahentes quiduis ad lasciuiam carnis,
vt ait Apostolus Iudas in sua Epist. iactantes se libe-
ros ab omni lege &c. etsi hoc verum sit, quoad Iudai-
cam legem, non tamen quoad legem charitatis & ser-
uitium iustitiæ, id est, obseruantiam Euangelij, & so-
lùm se iactant fidere in Christi misericordiam, non
curantes opera Euangelica, dilectionem, humilita-
tem, orationem, ieiunium ac cæteras virtutes: & licet
hi iactent se suscepisse verbum Dei, nihil tamen mi-
nùs fecerunt: ex quo patet falsitas: nam verbum Dei
non solum docet credere, sed & obedire verbo per ob-
seruantiam præceptorum &c. Iudæis, Turcis, Gen-
tibus aptè dicitur, quòd non acceptant verbum Dei.
Non ergo hoc solùm curandum est, vt per fiduciam
solam ad thronū gratiæ accedamus, sed & vt in Chri-
sto maneamus, vel potiùs vt Christus in nobis ma-
neat: manet autē in nobis, si per fidelem custodiam
semen

semen verbi eius in nobis retinuerimus, illi obediẽ-
tiam prẽstantes. Qui igitur iactat se in Christo mane-
re, debet sicut Christus ambulauit, & ipse ambulare,
1. Ioan. 2. & DEVS charitas est, qui manet in cha-
ritate, &c. & iterũ, Qui facit iustitiam, ex Deo natus
est: ergo non qui solũ credit iustitiam. Summa, inter-
na illa cordis iustitia, quæ est in corde nostro propter
fidem in Christum, non potest esse sine externa ope-
rum iustitia. Nam interna externam fœcundam fa-
cit, & externa internam adesse testatur. Qui ergo v-
tranque accipit & habet iustitiam, is verbum Dei so
accepisse & credidisse iactet, & de hoc gratias Deo a-
gat, & proximum non contemnat, sed qui in sola car
nis libertate gloriatur, tantum abest vt Euangelium
susceperit.

CAPVT XXIX.

QVIA à plerisque iactatur fidei iustitia,
quasi sola sufficiat ad salutem & remis-
sionem, inquirendum est, quid sit fidei
iustitia: deindè, in quo consistat vt inte-
gra & perfecta sit. Fidei iustitia est, ex
corde credere quòd Christus mortuus est pro pecca-
tis nostris, & quòd resurrexit propter nostram iusti-
ficationem, Romanorum quarto: id est, quòd credo
nihil esse in mundo, quod peccata mea tollere pote-
rit, nisi vnica Christi mors. Ioan. primo. Agnus Dei
&cæt. deindè, quòd nihil sit quo subsistam in iudi-
cio contra peccatum, diabolum, & mortem æternam
præter iustitiam Christi, quæ per fidem in illum mihi
gratis distribuitur, id est, qua iustificor contra dæ-
monem & peccatum. Romanorum quarto: credenti
in eum qui iustificat impium, fides reputatur illi ad
iustitiam. & ponit exemplum de Abraham, qui credi-
dit Deo, pmittenti ei prolem, etiamsi corpus emor-
tuum haberet, & iam ferè centum annorum, Sara

quoq; emortua, quia nonagenaria: sed confortatus fi de, dans gloriam Deo, plenissimè sciens quia quęcũ. que promisit Deus, potens est & facere: & ideò hęc fi des reputata est illi ad iustitiam: hoc autem non est scriptum solũ propter illum, sed & propter nos, qui. bus reputatur fides ad iustitiam: iustitia ergo fidei est, credere quòd gratis sine merito nostro per sangui nem Christi iustificamur & liberamur ab ira Dei nam hæc iustificatio si aliundè potuisset esse, Chri. stus gratis venisset, Gal secundo. Non est ergo iustitia ex lege, sed ex sanguine Christi gratis contingit cre. denti, vt promissio sit certa, Rom. 4. si ex lege pende. ret atq; operibus, nunquam esset quieta conscientia, neque certa. In solo ergo Christo quærere iustitiam & salutem, exigit iustitia fidei: quæ ideò dicitur iu. stitia fidei, quia quod iustum est, Deo omnem glo. riam salutis & iustificationis nostræ dare, & laudare gloriam gratiæ suæ, Ephes. 1. Nobis nihil nisi pecca. tum & imperfectionem tribuere, sicut Propheta di. cit: ô Israël, perditio tua ex te est, ex me autem salus tua. Secundo, hęc iustitia fidei duplicem habet actũ, si est integra & perfecta, primò cor intùs purificat, Actorũ. 15. fide purificans corda nostra, sanctificans atque iustificans, & sic D E O gratum reddit: deindè exteriùs fructificat pios atque sanctos fructus. non enim solam habet fiduciam per Christum diuinæ mi sericordræ consequendæ, sed etiam foris operatur & ostendit se, quòd hæc fides sit vera atque integra. Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem fo. ris fit confessio ad salutem. & Psalmo. 115. Credidi, propter quòd locutus sum. Ex duobus ergo illis acti. bus integra est iustitia fidei, & non solùm dependet ab inani & sterili fiducia ad Deum. Nam vera iusti. tia non solum ad affectum, sed & opus habet: nec ver bo tantũ diligit sed opere & veritate, 1. Ioan. 3. Quia ergo ad iustitiæ veritatem non solus affectus, sed

& opus

& opus (si modò homo sit adultus) pertineat, ex hoc sequitur, quòd illa fides quæ opera habet, non est simulata, sed operatur per charitatem, Galat. quinto. Inanis ergo fiducia sine timore, pœnitētia & pijs fructibus ad Dei misericordiam, nulli proderit. Patet ergo, quòd iustitia fidei non in sola credulitate atque cordis fiducia posita sit, sed quoque in externa operum iustitia: hęc enim probat & testatur veram adesse in corde fidei iustitiam. Deindè quoniam credenti datur Spiritussanctus, sicut dicit Apostolus, quia credidistis in Christum, obsignati estis Spiritusancto, Ephes. primo. Qui Spiritussanctus operatur virtutes, id est, charitatem, spem, castitatem, longanimitatē, &c. Galat. 5. in nobis. Nam in hunc finem datur. Vbi ergo non aderit externa illa fructificatio virtutum & operum, non est vera illa fidei iustitia vel credulitas: quare necessariò requiritur ad fidei iustitiam, vt integra sit obedientia Euangelij: & vbi illa non est, in vanum iactatur iustitia illa siue fiducia in Deum, Lucæ 1. Misericordia eius à progenie in progeniem timentibus eum, & Lucæ 6. Quid dicitis mihi, Domine Domine, & non facitis quæ dico vobis? qui venit ad me, & audit sermones meos & facit, similis hic est &c. Nō ergo fidei iustitia in sola cordis credulitate & purificatione consistit, sed & in externa fructificatione. sed inquis, Iustus sua fide viuit, Respond. Esto, sed nemo falsa & inani fiducia viuit: & tunc falsa & inanis est fiducia illa, quandò foris non fructificat, quādò fides illa per charitatem non operatur. Iustus fide integra viuit, quæ consistit in hoc, quòd credo in Christum: deindè, vt credam Christo, id est, verbo illius obedio. quid enim est audire & credere verbum, & illud non facere? hos maximè reijcit scriptura ad Tit. 1. Confitentur se nòsse Deum Et Christus Iudęos increpauit Ioan. 8. inquiens: Si filij Abrahę estis, opera Abrahę facite &c. Fides ergo nō est inanis & sterilis

Roma. 1. Abac. 2.

sterilis fiducia, sed est efficax & studiosa in omne o-pus bonum. Maximè per Prophetam Malachiã quærit Deus, inquiens: si ego pater, vbi dilectio? si Dominus, vbi timor meus &cæt? Omnes iam ebrij sumus illa inani fiducia ad Dei misericordiam propter Christum: sed vereor ne maiori ex parte sit inanis & simulata, eò quòd nemo fructificat foris pia opera, immò illa blasphemat & contemnit &cæt. Nam doctrina illa, Sola fides iustificat & saluat, fecit simplices homines ita carnales, quòd putant solam illam inanem fiduciam sufficere sine obediẽtia verbi: sed quia Christus non solùm iussit credere nos in illum, sed etiam seruare quæ præcepit, sequitur quòd plures decipiuntur. Sic ait Christus Matt. vltimo ad discipulos, Euntes docete omnes gentes, scilicet fidem in me, quoniam ego sum cui data est potestas in cœlo, scilicet vt saluem, & in terra vt remittam peccata credẽtibus: & baptizate eos, qui in me credunt, vt habeant certum signaculum & pactum mecum gratiæ, salutis & remissionis, ne de hoc dubitent: deindè docete eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis. At quid mandauit? Respon. legas totum Euangelium, quid Euangelistæ scribant: deindè & Apostolicas doctrinas, & multa reperies præcepta Euangelica, pœnitentiam de commissis peccatis, dilectionem inimici, & proximi humilitatem, reconciliationem, paupertatem spiritus, misericordiam, patientiam, beneficentiam erga pauperes, obedientiã prępositorum Ecclesiæ, obseruantiam pręceptorum, orationem, ieiunium, eleemosynam, non iudicare alium, Deum timere, &cæt. Multa pręcepta habet lex charitatis & Euangelica, ad quę omnes tenentur fideles, & non sunt ab illis liberati, sed quidem à lege Moysaica, non autem Euangelica lege. Ideò inanis illa fiducia in Dei misericordiam sine obedientia præceptorum Euangelij, non est integra fidei iustitia: vtrunq; ergò præ-

cipitur

cipitur & exigitur. Non ergo iustitia fidei respicit solùm ad interiorem cordis iustitiam vel credulitatem atque fiduciam in Dei misericordiam, sed etiam ad præscriptas Euangelicas iustitias fidei foris. Igitur qui Christum tenet & habet, is non solùm fiduciam habet, sed etiam præcepta illius custodit, vt non pudefiat coram illo in aduentu eius, quãdò reddet vnicuique secundùm opera sua. 1. Ioan secundo. Qui facit iustitiam, ex Deo natus est: non dicit, qui solùm credit CHRISTVM esse iustitiam suam, licet & hoc in suum finem exigitur & verum est. Patet ergò in quo sita sit iustitia fidei, non in sola fiducia erga DEVM per Christum, sed & in iustificatione atque operatione iustitiæ. Vtrunque enim hoc nomen iustitia declarat, quæ perfecta est iustitia, quando intùs & foris sit Non ergò iustitia fidei excludit opera neque damnat, sed exigit: quia fides sine operibus mortua & simulata est: & vbi fides non fructificat, ibi nondùm est Spiritussanctus, qui datur per verbum credenti, vt virtutes operetur in nobis, sicut Apostolus declarat fructus fidei, Galat. quinto. Insuper quanuis iustitia fidei sit intùs & foris, atque talis exigatur, quæ non solùm per CHRISTVM erga Deum fidat, sed etiam extra iusta operetur, vt dictum est: non tamen hoc docetur, quòd Deus propter nostram iustitiam fidei & opera iustificet & saluet, vel quòd hæc mereantur illa: nam semper salua manet regula gratiæ, quoniam propter Christum hæc consequimur in illum credentes, qui hoc quoque solus meruit: sed quoniã facti sumus serui Dei, & tenemur hæc facere & habere, ideò quod debuimus facere, fecimus. Luc. decimoseptimo. Attamen libera adhuc est gratia: ideò transferimus omnibus factis beneficium adhuc in Christum, & non in nostram iustitiam fidei & operum, solùm fidem & opera vrgentes, quòd necessariò fiant & fieri debent,

ne ia-

ne iactemus inanem fidem & gloriemur de illa sine timore Domini, & piorum operum factione, Deus tamẽ nõ iniustus est, vt obliuiscatur operis nostri, Heb. 6. Gerson part. 4. in tractatu quomodò puer Iesus in mente deuota cõcipitur, nascitur &c. Dicebat sapiẽs Domino nostro, quid faciam vt saluus fiam? Respon. Serua prȩcepta mea: hoc est, quòd quis saluatur adimplendo prȩcepta: quemadmodùm si rex aliquis diceret alicui pauperi homini, vade vsq; ad finem vicinius, & habebis 5. libras pecuniæ: ob id non lucratus esset pecunias, sed ob id quoniã rex ita dixisset. Si nõ impleamus prȩcepta, non ꝓptereà Paradisum lucrati fuerimus, sed quia Deus sic dixit. Apostoli interrogârunt Dominum Mat. 19. Ecce nos reliquimus omnia, &c. ibi dixit Christus: vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplũ accipietis &c. hoc ideò fit, quia Christus sic dixit, non vt hoc meruissent Apostoli. Et nos cùm omnia meliori modo quocunq; potuimus, fecerimus, quid tandem erit? nisi quòd dixit Christus, Serui inutiles estis &c? Hæc ille. Igitur in promissione in dicto & verbo Dei quiescit conscientia nostra, non hoc quærit in facto proprio, vbi nunquàm quietem reperiet: nec vltra obligat Deus in obseruatione præceptorum, quam natura nostra adiuta sua gratia potest, quam in iustificatione & donatione Spiritussanctus confert &c. vel ipse donat ex gratia tanta prȩmia operibus: nostra opera per se hȩc non merentur &cæt.

CAPVT XXX.

ARGVMENTA.

1. *Lex Moysi quare sit data, & quomodò à littera ad spiritum per Christum sit translata.*
2. *Lex fidei & Euangelij quare sit data.*
3. *Quomodò lex fidei obligat.*

Plerique

PLerique carnales dum audiunt se liberatos à lege Moysaica & Iudaicis præceptis, putant se penitùs liberos, & nulli legi, præcepto, vel operi ampliùs obligatos esse, & sicut non curant legem Moysis, ita contemnunt legem charitatis & iustitiæ, id est, Euangelium à Christo institutum & præceptũ, & gloriantur solùm de libertate carnis: ideò operæpreciũ erit, vt sciamus quomodò liberati simus à lege literæ, & quatenùs nunc obligamur ad obseruantiam Euangelicę legis. Pro quo notandum, quòd lex est doctrina, docens quid faciammus, & quid fugiamus, vt si fecerimus præscripta legis, sciamus nos benè feciſſe: sin minùs, cognoscamus peccatum nostrũ, & malè nos feciſſe. & sic dicit Apostolus Romanor. tertio. Per legem cognitio peccati. Duplicem autem legem notat scriptura: Vnam, quam dedit Moysi in monte Synai, quam in tabulis & per os Moysis fecit diuulgari populo, vt Exod. 20. 21. 22. &c. Alteram legem dedit Christus discipulis ante assensionem, videlicet Matth. vlt. vbi dixit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. euntes ergò docete, scilicet credere, & docete seruare quæ præcepi vobis. Legem Moysis dedit Deus populo Iudaico, primò vt sic distingueretur à gentibus idololatris, vt esset ipsi peculiaris populus, qui verum Deum coleret fide & exter nis illis operibus, & huius meminit Apostolus ad Roman. inquiens: Quorum est adoptio filiorum Dei & gloria, & testamentum, & legislatio, & promissio. 1.

Deindè, quoniam rudis erat populus & facilis ad peccandum, ideò dedit legem, vt transgressione illius puniretur, & sic à peccatis arceretur. Ideò facientes contra præcepta Decalogi, lapidabantur, vt blasphemi, adulteri, sabbathi violatores &cæt. & dabatur oculus pro oculo, Dens pro dente, Exod. 21. & sic 2.

dicit

dicit Apostolus: Lex propter trãsgressores posita est: vt vel cohibeatur, vel cognoscatur peccatum. Postremò, quoniam Christus volebat nasci populo Iudaico secũdùm promissionem Prophetarum, scilicet de semine Abraham. Gen 22 & Dauid Psalm. 131. ideò volebat vt sanctiores essent & viuerent, quàm cæteræ gẽtium nationes: ideò fuit selectus populus, & dicebatur gens sancta, populus Dei &c. ideò huiusmodi pręcepta & cæremonias dedit, quæ erant figuræ vsque ad Christum, nõ vt talis lex iustificaret, sicut male intellexerunt Pharisæi Iudęorum: alioqui Christus gratis venisset, Galat secundo: sed vt esset pędagogus in Christum, per quem omnes saluantur & iustificantur, qui in eum credunt, sicut vbique Apostolus & maximè ad Roman. & Galat. disputat & docet. Erat autem lex valdè dura. præcepit enim vltra Decalogum Exod. 20. circunciſionem sub maledictione & damnatione Genes. 22. 17. & Abraham quandò erat 109 annorum. se cogebatur circuncidere. nam dixit Deus, Masculus qui non circuncidetur, delebitur anima illius de populo meo: præcepit offerre pro peccatis arietes, agnos, boues, hircos, Leuit. 4. 5. 6. pręcepit de cibis animalium, quòdea quæ diuidebãt vngulam, & ruminarent in pecoribus, saltem comederent, & de piscibus quæ habebant pinnulas & squamas, & de auibus &cæt. item quomodò singulis annis agnum paschalem ederent cum suis cęremonijs; Exod. duodecimo. Præcepit quoque quomodò festa Tabernaculorum, Neomeniæ dies & menses seruarent, ac tubarum & expiationis Leuit. 23 de vestibus Aaronicis, Exod. 29 de attactu morticinij, & lotione vestimentorum, Leuiti. vndecimo, has & similes penè infinitas cæremonias & leges continebat lex Moysis, quæ vnà cum Decalogo omnes præcipiebantur sub maledictione, vt seruarentur sicut Deute. 28. Maledictus qui nõ seruat omnia quæ scripta sunt

in libro

in libro Legis. Et quoniam lex non prȩstabat gratiam seruandi, ob id solùm timore pœnæ seruabant legem foris, cor autem intùs vacuum remansit: ideò dicitur hæc lex timoris, seruitutis, sceptrum exactoris &cæt. de quo dicit Petrus Actorum 15. quòd neque nos, neq; patres nostri potuerunt portare, id est, perfectè implere legem: defuit hîc Spiritussanctus & gratia, quam lex non conferebat, & hanc legem literæ vbique describit scriptura. Et quoniam nemo perfectè satisfaciebat legi, neque ex suis viribus potuit, venit Christus hanc implere. Matt. 5. & pro nobis impleuit per omnia.

Deindè hanc decreti legem Moysis cum suis operibus & iustitijs carnalib⁹, scilicet circuncisionē, oblationē, cibos, festa &c. Sustulit, id est, hat aufgehabē, & à litera ad spiritum transtulit, atque nouam Euangelicam legem dedit, quæ dicitur Euangelica lex, lex Christi, lex fidei, lex charitatis, lex perfectæ libertatis, seruitus iustitiȩ, atque mandatum sanctum. Dicitur autem Euangelium onus leue, iugum suaue, &cȩt. quia Spiritussanctus datur per auditum verbi, scilicet quòd Christus mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter iustificationem nostram, Roma. 4. qui hoc verbum fidei credit & accipit, cum illo verbo datur Spiritussanctus, qui posteà assistit spiritui nostro, Romanorum 8. cum suis fructibus, accendit dilectionem erga tam pium benefactorem & saluatorem Christum: quæ dilectio est finis legis, Ro. 12. & sic Spiritnssanctus in nobis perficit ex charitate legem Decalogi. prȩcipit ergò lex Euangelica inprimis simul & semper pœnitentiam & fidem Marc. 1. & Luc. vltimo, semper pœnitere debemus, & clamare: Dimitte nobis debita nostra, Mat. sexto, & adauge nobis fidem, Luc. 17. Deindè prȩcipit perpetuam dilectionem Dei & proximi, 1. Ioan. quarto. Si quis dicit, diligo DEVM, & proximum suum odit, mendax est.

dax est. Rom. 13. Nihil quicquam debeatis, nisi vt vos inuicem diligatis: in hoc dilectionis præcepto pendet lex & prophetæ, vtraque tabula præceptorum, Exod. 20. Ideò Euangelium non liberat, ne facias præcepta. Insuper Euangelium præcipit paupertatem Spiritus, munditiam cordis, misericordiam, sitim & esuriem iustitiæ, Matth. 5. item orationem & ieiunium, eleemosynam, cap. sexto. Non thesaurizare fidere Deo qui nos enutriat. item cap. 7 non iudicare, rogare patrem, reconciliari, cauere scandalũ, cap. 5. esse veracem, benefacere inimicis, cap. 25. & in summa, qui aliud continet in toto, nisi hæc Euangelica præcepta. ad quæ obligamur ex Christi mãdato, Mat. vltimo capite? Et quoniam in loco legis apud credentes nunc successit Euangelium, ideò fides non liberat à lege illa Euangelica, etsi hoc verum sit, quod à lege Moysaica nos liberat: ideò vbique admonent Apostoli, ne ad carnem trahamus hanc libertatem. Galat. quinto vocati estis in libertatem, scilicet à lege Moysaica: sed videte ne in occasionem carni detis, id est, simul contemnatis legem Euangelicam, viuendo in adulterio, superbia, auaritia, ebrietate &c. nam ab illa Euangelica non sumus liberati, sed potiùs adacti & abstracti, vt nunc in seruitio iustitiæ seruiamus Domino nostro in laudem & gratiarũ actionem redemptionis. Non dico quòd obseruãtia Euangelicæ legis mereatur iustificationem: nam semper salua manet gratiæ regula, quòd per Christum hæc habemus: sed quoniam facti sumus serui iustitiæ, debemus eam præstare & tenemur, Luc. 17. Vocat igitur Apostolus Euãgelium legem fidei, Rom. 3. per quam excluditur gloriatio legis factorum, quæ non potuit iustificare, hæc autem per fidem accipit iustificationem sine operibus legis, & Iacobus in sua canon. inquit cap. primo. Estote factores verbi, & non tantùm auditores, fallẽtes vosmetipsos. Nam si quis auditor

ditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro &cæt, qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, id est, Euangelij, & permanserit, id est, fecerit ea, non auditor oiosus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit: ergò ad legem illam fidei & libertatis perfectæ tenemur, vt illi obedientiam præstemus. Dicitur autem Euangelium lex fidei, quod cumprimis fidem in Christum docet, & Christum describit, quatenùs omnes in illum verè credentes, iustificantur à peccatis, & saluantur à damnatione, Ioan. tertio. Act. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem gratis recipere per nomen eius. Dicitur quoque lex libertatis, quòd Spiritussanctus liberè in nobis implet legem ex dilectione erga Deum: econtrà lex literæ, dicitur factorum lex, & lex timoris & seruitutis: in legis ergò locum apud credentes successit Euangelium, lex scilicet spiritus & vitæ, quòd Euangelium siue lex non modò præteritorum peccatorum remissionem habet, sed & potioris gratiæ, id est, promissi spiritus donationem, qui non solùm nostræ auxiliatur imbecillitati, & quod legi deerat, implet: sed & præterea cor nobis atque effectum in legem donat. Non igitur carnalis libertas, neque inanis illa fiducia ad Deum per Christum sufficit, vel liberat à lege Christi, id est, Euangelio: quod lex Christi dicitur, quia Christus dedit illam, non Moyses: ideò quanuis sumus liberati à lege Moysis, à peccato, facti tamen sumus serui iustitiæ, Romanor. sexto. Audiendi ergò non sunt, qui legem Euangelicã, quæ spiritualis est, præceptam esse negant, & solam ac nudam fiduciam prætendunt, quæ etsi in loco suo maximè valet & exigitur, nempe in iustificationis loco, quæ gratis contingit propter Christum: tamen extra locum iustificationis maximè exigitur obedientia Euangelij atque præceptorum Dei, alioqui hęc fiducia simulata est & mortua &c.

CAPVT XXXI.

ARGVMENTA.

1. *De lege charitatis quatenùs semper obliget.*
2. *Et quòd multi errent, dicentes legem esse abrogatam, & quòd Deus exigat solam fidem in Christum.*

1. PRimò, multi grauiter aberrant ex malo scripturæ intellectu, dicentes: lex Moysaica est abrogata: Deus exigit solâ fidê ad salutem, ob id nunc liberi sumus ab omni lege & opere, in sola fiducia pendentes erga Deum per Christum, & sic simul cum lege Moysis abijciunt & contemnunt legem Christi, id est, præcepta Euangelica: quare notandum est, quod ab initio mundi homines nunquàm fuerunt penitùs liberi & sine omni lege, neque gentes, neque Iudæi: semper enim habuerunt aliquam, & primò gentibus impressit Deus legem naturæ, antequàm aliqua lex scripta foret, sicut Apostolus testatur ad Roman. secundo, cùm gentes legem non haberent, id est, scriptam in tabulis vel libris, vel etiam prædicationem aliquam aut prophetas, naturaliter ea fecerunt quæ sunt legis. Est enim lex Dei naturaliter cordibus nostris impressa: natura dictat Deum creatorem laudandum, parentes venerandos, & vicissim parentes filios diligere & educare, natura dictat, vt alteri, id est, proximo facias, quod tibi fieri velis: nemo cupit vxorem suam ab alio stuprari, sua per furtum alienari, se trucidari, falsa sustinere ab alio testimonia &cæt. ideò peccantes tali & simili modo, non solùm contra Deũ peccant, sed & contra propriam naturam, atque sic nullus homo vnquàm fuit sine lege. Ratio & natura habet

habet à Deo impressam in corde legem Dei. Videmus etiam quædam huiusmodi quodammodò in animalibus irrationalibus. Vndè Plutarchus meminit quædam animalia vti dictamine rationis &cæt. Deindè postquàm malitia & peccata hominum penè extinxerunt hanc naturæ legem in cordibus hominum impressam, quandò homo penè totus carnalis & animalis factus est, ita vt diceret Deus Gene. sexto. Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quoniam caro est: & iterùm, pœnitet me fecisse hominem &cęt. Misericordia tamen præualuit iustitiæ in Deo, vt mitteret redemptionem filium suum hominibus, ideò populo Iudaico, è quo nasci debebat CHRISTVS secundùm carnem, iuxta promissionem Dei factam patribus, Abrahamo & Dauidi, Genez. 2. Psalm. 131. renouauit hanc legem, & non solùm in cordibus, sed etiam in duabus tabulis lapideis, Exod. 20. præscripsit: & tam serio præcepit illam legem seruare, vt transgressoribus comminaretur punitionem in 3. & 4. generationē in filijs transgressoribus, & ostendere in mille misericordiam qui diligunt & custodiunt. Exod. 20. Sic quoque Deut. 6. inquit Moyses ea quę præcepta sunt tibi, scribe in corde tuo, & narra ea filijs tuis, & meditare ea sedens in domo, & ambulans in itinere, & dormiens atque consurgens, & ligabis ea quasi signū in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, scribesq; ea in limine & ostijs domus tuæ, cumque introduxerit te &c. hæc ideò tam strictè præcepta sunt, ne homo iterùm illa obliuisceretur, & vt timeret pericula & maledictionem is, qui negligeret legem Dei atque præcepta: sicut patet in maledictionibus & benedictionibus Deuteron. 28. & Leuit. 26. Sed quia lex ita vrgebat ex totò corde diligere ac præcepta Dei seruare; nec tamen conferebat facultatem præstandi: iusserat, sed non dedit vt fieret: sicque factum est, vt non

solùm negligerent præcepta, sed & penitùs desperarent de salute, quòd seruare non poterant. Ne igitur Deo obijcerent homines, Dedisti nobis legem, ad im possibile nos obligâsti, voluntate tua nos damnas &cæt. apparuit gratia Dei, non ex operibus iustitiæ quę fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam nos saluos fecit, ad Tit. tertio.

Hic Christus filius Dei primùm ex duobus populis, id est, Iudæis & posteà ex his ac Gentibus fecit vnum populum, scilicet Christianum, omnes vocans ad fidem: quòd nunc ampliùs non est distinctio Græci & Iudæi, Romanorum decimo. Sed idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum, sicut Ioël propheta capite secūdo dicit, Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. & ad Ephes. secundo inquit: Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque, id est, vtranque gentem, vnum, & medium parietem, id est, legem, quę scilicet impediebat, vt paries, viam ad cœlum, dissoluens, & inimicitias inter Deum & hominē propter peccatum & transgressionem legis in carne sua, id est, per mortem euacuans, vt duos condat in semetipso in vno nouo homine, faciens pacem his qui propè, id est, Iudæis, & qui longè, id est, gentibus &cæt. vt nunc ambo accessum habeamus in vno spiritu ad patrem: sic fecit Christus primùm ex vtraque gente vnum hominem nouum, & est lapis angularis vtrunque parietem in suo corpore, id est, Iudæos & Gentes credentes, quorum ipse caput est per fidem in illum. Deindè postquàm Christus ex vtraque gente fecit vnum & nouum hominem, ideò & nouam legem, scilicet charitatis, dedit legem Euangelij atque spiritus, vt nunc non ex natura vel coactione legis scriptæ, sed amore & voluntate præstemus legem, sicut ad Titum secundo dicit Apostolus: Apparuit gratia Dei saluatoris nostri, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, id est, incredulitatem

litatem erga Deum, sęcularia atque mundana desi-
deria, id est, diuitias, honores &cæt. quare sobriè er-
ga nos, iustè erga proximum, piè erga fideles, id est,
Deum, viuamus in hoc sęculo, &cæt. Et vt quidem
hæc lex charitatis, lex Christi atque Euangelij, non
obliuiscceretur, vtque præstemus obedientiam illi,
aut ne quis diceret, præcepisti, sed non dedisti vndè
possim satisfacere: effundit in nos abundè spiritum
sanctum, in lauacro regenerationis, ad Tit. tertio: vt
his nunc in lege Euangelica adiuuet infirmitatem
nostram spiritus, Romanorum octauo: quatenùs ser
uetur lex Christi: quo fit, vt nemo nunc de impossi-
bilitate legis Euangelicæ iustè conqueri possit, quòd
illam præstare non queat. Omnia possum in eo qui
me confortat, ad Philipp. quarto inquit Apostolus:
omnes accipimus spiritum gratiæ, & ille multò for-
tior est imbecillitate carnis nostræ, multò efficacior
est gratia, quàm peccatum. Romanor. quinto: ideò
peccatum dominari non potest, si quis saltem lllam
non in vanum acceperit, 2 Corinthiorum sexto. Mul
tò igitur fortior est Spiritussanctus, quàm Tyrannus
carnis nostræ: benè potest hunc ille reprimere, quare
homo baptizatus inexcusabilis manet.

Ex vtroque ergò populo credentes, nunc vna fi-
de patrem in spiritu adorant, Ioan. quarto: & vnam
simul legem charitatis atque Christi habent, quæ di-
lectio est plenitudo legis, id est, si verè aderit, plus vr- Rom. 13.
get, quàm lex naturæ aut scripta. Hoc enim efficit
Spiritussanctus, cuius fructus est charitas, Gal. quin-
to. Igitur nos nunc coacti, vel natura aut coactione
legis, sed liberè ac voluntario spiritu in laudem &
gratiarum actionem redemptionis nostræ: præstare
debemus legi Christi obedientiam, qui sanguinem
suum fudit, & mortuus est pro peccatis nostris, & re-
surrexit propter iustificationem nostram, Romano-
rum quarto. Et hæc ratio est, cur vbique Christus

ſcriptura & Euangelium poſt fidem adeò vrget dilectionem, & ſic vnit atque coniungit hæc duo, fidem & legem charitatis, quòd vnum ſine altero parùm aut nihil prodeſſe aſſeuerat. ad Corinthios ait, Si habuero omnem fidem, & charitatem non habeam, factus ſum ſicut æs ſonans &cæt. 1. Corinthiorum 13. Hanc commendat vbique & exigit Romanorum 13. Galat. quinto: Fides quæ per dilectionem operatur, & CHRISTVS Ioan. 15. Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem. & iterùm, In hoc cognoſcet mundus, quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. & Ioann. in canonica ſua prima nihil adeò vrget, ſicut charitatem DEI & proximi. Qui illam ergò non habuerit, non habet vndè glorietur multùm de inani illa fiducia. E quibus ſequitur, quoniam facti ſumus per fidem vnus populus, atque omnes iuſtificati gratia Ieſu Chriſti per ſanguinem ipſius, Romanorum tertio, vt nunc nos non putemus adeò liberatos ab omni lege, quin teneamur legi Chriſti, quam niſi obſeruamus, reſtabit ſententia Matth. ſeptimo: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, &cæt. Primò, quia ingratus eſt beneficio iuſtificationis: deindè ingratus dono Spiritusſancti, qui paratus eſt te iuuare, ſi tuam voluntatem conformares. Nihil igitur valebit iactatio inanis fiduciæ, ſi neglecta fuerit obedientia legis Chriſti. Neque docetur, quòd obedientia legis CHRISTI mereatur iuſtificationem, quam iam fides gratis accepit propter Chriſtum: ſed quatenùs obſeruantia hæc legis Euangelicæ ſequatur iuſtificationem, atque illam retineat, vt promiſſio ſalutis non fiat efficax, alioqui neque ſaluaberis: ideò adeò neceſſaria eſt atq; exigitur, ſicuti fides in ſuo loco, tametſi non ſit cauſa propter quam diſtribuatur vita, ſed ſanguis CHRISTI: non igitur nimis ſecurum eſſe oportet propter ſterilem illam fiduciam, eò quòd totum

Euange-

Euangelium non fruſtrà à Chriſto eſt demandatum: quod ſi ſola fiducia ſufficeret, non opùs fuiſſet donare etiam Euangelicam legem, ſcilicet dilectionem &cæt. Lex igitur charitatis omni hora & momento obligat Chriſtianum ad obſeruantiam, ſicut Apoſtolus Romanorum 13 inquit: Nemini debeatis quicquam, niſi vt inuicem vos diligatis. Hæc ſola charitas ſemper obligat Chriſtianos, & ſic ſoluitur, quod tamen ſemper debetur, &cęt. ſicut fides noſtra erga Deum ſemper durare debet, ita & charitas erga proximum.

(.·.)

F I
N
I S
LIBRI TERTII.

CATECHISMI DN. CONRADI CLINGII, LIBER QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

ARGVMENTA.

1. *De corporali disciplina & quid sit mortificatio corporalis.*
2. *Quantùm differat à iustitia spiritus.*
3. *Quam grauiter peccant contemptores huiusmodi disciplinæ.*

1. PRIMò, mortificatio est extirpatio vitiorum in corpore nostro per contrarias virtutes & actus propter Deũ, sicuti docet Apostolus ad Colossi. Mortificate mẽbra vestra, quæ sunt super terram, fornicationẽ, immunditiam, auaritiam, iram, blasphemiam, turpẽ sermonem, mendacium &c. Hęc enim vitia dicuntur membra corporis, scilicet peccati, & illa extirpare debemus per castitatem, paupertatẽ vel inediam, benignitatem, veritatẽ, per condonationẽ &c. hæc enim expellunt vitia atq; mortificant, & sunt membra noui hominis, id est, Euangelici. Sic ad Romanos 6. admonet exhibere nunc membra nostra iustitiæ, & capite 12. corpora offerre in hostiam viuentẽ. Sic iubet Christus, Luc 21 cauere, ne corda nostra grauentur crapula, & Matth 17. Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi ieiunio & oratione. & Romanorum 13. Non in comessationibus & ebrietatibus, prioris Pet. quinto: Sobrij estote & vigilate. 1. Corinthiorum

nono

9. Castigo corpus meum &c. His & similibus authoritatibus prȩcipitur illa disciplina corporis atq; mortificatio, nempè vt moderatè bibatur & edatur, vt ieiunemus, laboremus, studeamus rebus sacris, verbū Dei perscrutemur, oremus, vigilemus, fugiamus occasionem peccandi, Ecclesiam Dei frequẽtemus &c. Summa, vt voluptatem nobis subtrahamus, quantū fieri potest ore, habitu, & opere. Sic Ioan. Baptista fuit indutus veste de pilis camelorū, & cibus illi fuit mel atq; potus simplex. Sic Daniel cum socijs suis, sic filij Rechab Iere 35. Omnia illa fiebant, vt peccatum carnis domaretur. Est quoq; quædam mortificatio, quæ à Deo infligitur, vt est infirmitas vel ægritudo corporis, mors, tribulatio, angustiæ: & illa non sunt in potestate nostra, & illa tollerare est necessè. Sunt enim præcipuus cultus sanctorum, quem Deus exigit, & sibi placet, sicut Dauid dicit Psal. 50. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus &c. ibi exigitur nostra obedientia, quæ dicit, Domine, fiat voluntas tua. Et quanuis hæc mortificatio non est in nostra potestate, mitigari tamen potest nostris precibus & pœnitentia, vt patet in Dauide 2. Reg. vlti. cum plaga pestilentię, cum Ezechia qui ægrotauit ad mortem, cui adijciūtur anni 15. Est quoq; aliud genus mortificationis voluntariè assumptum, necessarium tamen vt fiat ad coërcẽdam carnem, ne saturitas nos obruat, & reddat securos & ociosos, ac indulgeat affectibus carnis: & hanc disciplinam vbiq; docet scriptura, vt dictum est, in eum finem, vt caro dometur, non vt hîc remissio peccatorum & salus æterna, quæ ex Christi merito habemus, quæratur: etsi hoc etiam verum sit, quòd hæc habeant sua præmia.

Secundò, hac differentia oportet notare, ꝙ corporalis illa disciplina & mortificatio non sunt prima & vera iustitia, quæ antè Deum valet, licet etiam exigatur: nam antè Deum est iustitia potissima vera fides, 2.

dilectio,& timor Dei,patiētia,miſericordia,pax,gaudium,vt ſunt fructus Spirituſſancti Gal.quinto. Hęc enim in corde conſiſtunt, & multò nobiliſſima ſunt opera atque fructus Chriſtiani hominis,quàm externa illa corporalis exercitatio: ideò dicit Apoſt. 1. Timoth. 4. Corporalis exercitatio parum vtilis eſt, ſed pietas fidei ſcilicet, ad omnia valet: non dicit quòd in toto inutilis ſit hæc exercitatio, ſed quòd præponendæ illi ſunt ſpirituales virtutes,vera pœnitentia, inuocatio Dei,fides,&cæt. Sine illis virtutibus ſpiritualibus nihil vel parùm proderit corporalis exercitatio Facit igitur Apoſtolus collationem inter hæc exercitia corporalia & ſpiritualem iuſtitiam,quælō. gè ſuperior eſt atq; præſtantior.

Fides enim gratis accipit remiſſionem propter Chriſtum, ideò hoc genus exercitij in alium ordinatur finem, ſcilicet mortificationem corporis, vt caro dometur, ne in crapulam & ocium, peccata ac vitia cadat: deindè,vt eo magis efficiamur apti adorā. dum,inuocandum, ſeruiendum,laudandum Deum, & eius quæ ſunt curandum, ac præcepta oſeruanda, &cæt. Sic rectè & vtiliter fiunt, & ſunt bona opera & verus cultus Dei,mandatus à Deo. & talia opera nō pertinent propriè ad traditiones humanas, ſed ſunt opera à Deo mandata,Luc.21. Attendite vobis,ne fortè grauentur corda veſtra, &c. Non tamen traditiones abijciuntur,quaſi ſint nullius momenti. Si enim in hunc finem ordinantur, vt coërceant carnem,& non opinione iuſtitię & neceſſitatis atq; ſalutis: neque enim ſic SS. Patres inſtituerunt ordines religioſorum &cæt. & licet Ioannes Baptiſta fidem tenuit, & Chriſtū digito monſtrauit,dicens,Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi &c. Attamen corpus ſuum domuit veſtitu, cibo & potu. Daniel & eius ſocij Deū in cœlo adorabant, non gentiū idola: macerant tamen ſe, & abſtinent à lautioribus. Vidua im templo

Ioan. 1.

Daniel. 1.

prædicat

prædicat Christum fide, tamen etiam ieiunat die noctuq;, Luc. 2. Sic religiosi in ordinibus fiduciam salutis ponunt in Christum, attamen corpus regulis & obseruantijs coërcent ac domant. Insuper hęc corporalis disciplina licet nō mereatur iustitiam & salutē, nam regnum Dei non est cibus nec potus, sed pax & gaudium in Spiritusancto, Roma. 14. attamen habet sua præmia in hac & post hanc vitam. 1. Cor. 3. Vnusquisq; recipiet mercedem secundum suum laborem. Habet ieiunium, oratio, eleemosyna suam promissionem Matthæi sexto: habet paupertas & derelictio bonorum sęcularium suam promissionem. Matt. 19. Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, &cæt. Habent hæc omnia sua præmia, & cum his retinent acceptam iustitiam. Rom. 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini.

Tertiò, grauissimè peccant, contemnentes huiusmodi disciplinam aut mortificationem carnis, viuētes quotidie in crapula, comessationibus, delitijs & voluptatibus, sicut dives ille epulo apud Luc. 16. & iā totus mundus in lasciuia & licentia viuit sine omni timore Dei. Non capit mundus libertatem Spiritus, sed arripit libertatem carnis. Fides enim liberat conscientiam, ne lex & peccatum nos damnare possint. Est enim Christus nostra iustitia, sapientia, sanctificatio & redemptio, 1. Corint. 1. nam nemo legi satisfacit, ideò Christus impleuit illam, Matthæi 5. At hāc libertatem Spiritus inter mille vix vnus capit, sed hanc trahunt in occasionē carnis, legem seruare cōtemnunt, peccatum non curant, & sic nihil nisi liberti carnis sunt. Et iam venit quod Christus dicit Mat. 24. cùm abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Est enim hodie maximus abusus Euangelij, contra quem maximè laborat canonica Iudæ Epistola, ne gratia Dei transferatur in lasciuiā. Scriptura tradit quid contigerit filijs Israél post exitū ex 3.

AEgypto,

Aegypto, Exo. 16. quid Lucifero & socijs eius, Esa. 14, & Ezechiel. 26. quid Sodomæ & Gomorræ, Gene. 19. Insuper contra Doctores impios, qui viam Cain ingressi sunt, Gen 4. qui peccare & lasciuire faciunt homines sicut Balaam, Num. 22. & 23. Qui rebellem faciunt populũ, sicut Chore, Dathan & Abiron, Num. 16. Postremò assimilat tales qui desciuerunt à prima accepta iustitia & fide, quòd sint nubes sine pluuia, arbores autumnales, errantia sidera, animales homines, carnem suam voluptatibus maculantes, maiestatem blasphemantes, seipsos ab Ecclesia segregantes. Hæc omnia Apostolus Iudas, & admonet vt cogitemus futurum iudicium. Mundus autem graues pœnas dabit propter huiusmodi lasciuiam in futuro iudicio: Hodiè enim iuuentus negligitur, & in lasciuiam malis exemplis trahitur, quibus tenemur disciplinam & institutionem: deindè fit vita barbarica, & induitur contemptus religionis, id est, omnium sacrorum. Porrò grandior ætas cum iuuentute, neque intellectum, neq; reuerentiam, neq; vlla exercitia religionis habet, & tandem redibimus ad barbariſmum & impietatem: sed væ illis qui occasio sunt &c.

Iudæ 1.

CAPVT II.

ARGVMENTA.

1. *De patientia & cruce, quare toleranda.*
2. *Cur DEVS permittit super nos varia aduersa.*
3. *Quomodò patientia est sacrificium, habens promissionem regni.*

1. PRimò patiẽtia est voluntaria passio aduersitatũ, quæ sustinentur propter Deum aut iustitiam, & hanc ex natura nemo habet, sed donum Dei est atq; fru-

ctus

ctus Spiritussancti, Gal 5. idcò inquit Dauid Psal. 70. Tu es patientia mea Domine. Hanc virtutem laudauit Christus & cõmendauit Apostolis, Luc. 21. quandò prædixit illis, quomodò traderentur à parentibus & fratribus & cognatis, & quomodò essent odio omnibus propter nomen suum, & quòd morte eos afficerent &c. inquit enim: In patientia vestra possidebitis animas vestras. quasi dicat, si mundus aut Tyrannus minetur vobis mortem, tribulet, affligat, attamen non peribit vita & anima vestra coram Deo, sed patientia retinebit omnia, ita quòd nec pilus de capite vestro peribit: patientia omnia retinet &c. Ad patientiam igitur habendam mouere nos debet: primò, quia omnia aduersa in corpore & rebus ac Spiritu, non casu contingunt nobis, sed aliquo consilio & permissione diuina, vt dicit scriptura, nõ cadet vnus de passeribus istis super terram, & 1. Reg. 2. Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Falsæ igitur sunt Epicureę opiniones, quòd fato omnia eueniãt Deindè nos mouere debet ad patientiã, quòd Deus punit nos non vt perdat, sed vt vocet nos ad pœnitentiam, 1. Cor. 11 Cùm iudicamur, à Domino corripimur, nempè ne cum hoc mundo condemnemur. Et Prouerb 3. Quem diligit Dominus, corripit. ob id flagella sunt signa misericordiæ & bonæ voluntatis Dei erga nos, vt fiamus membra similia imagini Christi. Quare non debemus impatienter ferre calamitatem, aut putare quoniam indignè patimur, vel nimis durè affligimur, & sic irasci diuino consilio ac iudicio, impium ac peccatum est. Vult enim Deus & requirit nostram obedientiam & patientiam in aduersis. Tali enim modo vult nos exerceri & humiliari. ideò dicebat Dauid Psal. 118. Bonum mihi quia humiliâsti me. Viuat mundus & caro in maximis voluptatibus & operibus tranquillè. nos interim omnimodis miserijs opprimimur: non debemus rapi ad impatien-

Matth. 10.

impatientiam contra Deum & proximum: hoc enim graue est peccatum: sed cogitamus quod ait Christus Mat.5. Beati qui lugent, quoniam ipsi cõsolabuntur, & Ioan.16. Pressuram habebitis in mundo, sed luctus vester conuertetur in gaudium, & dicimus: Domine, fiat sicut tu vis, & non ego, vt Christus ait in horto.

Matt. 26.

Causa. 2.

Secundò, prima causa cur Deus crucem & tribulationem permittit super nos, est, quia regnum Christi erit noua & æterna iustitia & vita: hærent autem in corpore nostro reliquiæ peccati, ideò hoc corpus abolleri vult, ac subiecit afflictionibus & morti, vt postea noua & spirituali natura vestiatur & glorificetur, quæ sine peccato & morte erit. Rom. octauo. Corpus mortificatur propter peccatum. & cap.6. Vetus noster homo simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati. & sic expectamus redemptionem corporis nostri ad Philipp. tertio. Nostra conuersatio in cœlis est, vndè & expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrę &c. sunt persecutiones, lotiones, & mundationes à reliquijs in carne peccati. Psal. 118. Bonum mihi quia humiliâsti me, vt discam iustificationes tuas. Altera causa est, vt habeamus occasionem exercendæ fidei & inuocationis. nam certò tenenda est fides quod Deus sit nobis præsens, & opem ferat, & ad nos iuuandos festinet cum adiutorio suo. Psal. 90. Liberabo eum & protegã eum &c. Et iterum, Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eũ. Et hæc promissio fidem exigit certam, quia Deus mẽtiri no potest: ideò vt Deum inuocemus in tribulatione: nam hanc inuocationem à nobis exigit & est cultus DEI, Psalm. 88 & 90. Ipse inuocabit me, & ego exaudiam eum: & hæc liberatio testatur Deum adesse, & nos illi esse curæ, & fit deindè notitia DEI per hanc occasionem illustrior, & crescit in nobis, sicut do-

Causa II.

Psal. 90.

cut docent exempla patrum, Manassæ regis, secundo. Paralip. 33. & Paulus 2 Corinth. vltim iubet orare & gratias agere, vt misericordia & notitia Dei fiat illustrior. Multò autē meliores sunt eę afflictiones, quas Deus immittit, quàm quarū ipsi nobis causæ sumus, & maximè sine fide, scilicet quandò putāt se huiusmodi afflictionib. mereri vitam æternam fides credit & tenet, quoniam propter nomen Christi & illius sanguinem saluamur: tales erant afflictiones Sacerdotū Baal, qui cutem suam gladijs lacerabant, & quidam hæretici qui semetipsos vulnerabant, & dicebant se talia passos à latronibus propter iustitiam, vt Philastrius meminit &c. Prosunt autem aliquando spontè accersitæ afflictiones, quandò fiunt sine superstitione, id est, dum non accedit falsa opinio, quasi his mereamur vitam & iustitiam, sed prout sunt mortificatio & quædam coactio corporis, ne nimium indulgeat voluptati & lasciuiæ. Sic iubet Christus caueri, ne corda grauentur crapula & ebrietate, &c. Lucæ 21. & 1. Corinth. 9. Paulus castigat corpus. Sic sancti patres & eremitæ sua corpora castigârunt ieiunijs, & vigilijs, laboribus, siti, esurie, frigore, &c. 2. Corinth. 11. 3. Reg. 18.

Tertiò, afflictiones sunt sacrificia, si patienter perferantur, siue à natura, siue sęuitia hominum illatæ. Habet etiam natura sua incommoda, quæ sunt pœnæ peccati, & fiunt voluntate Dei, scilicet diutina infirmitas, cæcitas ac cæteræ cruces, quas in mortali corpore sentimus: multæ etiam sunt tribulationes iustorum à mundo illatæ, sed cum fuerimus patientes secundum voluntatem Dei, 1. Petr. secundo. tunc fiunt sacrificia nostra quæ Deo offerimus, & sunt illi grata & accepta, Psalm. 50. sacrificium Deo Spiritus contribulatus. Rom. 12. Prębete corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem. Si igitur vis DEO aliquid offerre, patientem animum 3.

in ad-

in aduersis habeto: & tot facies sacrificia, quot pericula & afflictiones patienter sustinueris. Deindè patientia est optima virtus Christiani. Philosophi enim laudârunt illam æquabilitatem, animum non frangi in rebus aduersis, vt Cicero in Tusculanis. Quare multò magis laudanda est hæc virtus tolerantiæ in Christiano homine, qui patitur & tolerat propter Christum & iustitiam: nam impatiens animus existimat se negligi à Deo, & imaginatur se frustra implorare auxilium à Deo: fitq; in magnis afflictionibus blasphemus, & quærit consilia contra mandatum Dei, sicut Saul rex consuluit venefică 1. Reg. 28. Talia peccata veniunt ex impatientia, & sunt contra primam tabulam: deindè aduersus homines dolor iniuriæ parit odium, incitat ad vindictam: qua ex re sæpè fiunt non solum priuatæ dissensiones & simultates, sed etiam seditiones, publici motus, minæ incendiorum, indictiones bellorum, &c. atq; sic peccatur in secundam tabulam.

Necessaria igitur est patientia in aduersis coram Deo: primò, vt fidem & obedientiam retineamus: deinde, propter tranquillitatem Ecclesiæ & Reipub. coram hominibus: postremò, propter priuatam tranquillitatem: nam qui alium persequitur in corpore, secundũ Augusti. seipsum in mente cruciat & persequitur. Staruendum est igitur, animi omnia supplicia & omnes cruciatus & iniurias potiùs perpeti, quã propter priuatam iniuriam perturbare publicã tranquillitatem. Sed Philosophia hæc ignota est Doctoribus & Principibus. Ideò priuatis affectibus indulgentes illi, scriptis maledicis alter alterum infectantur: hi verò publicas discordias & bella mouent &c. Porrò patientia magnum habebit præmiũ apud Deum. Psal. 9. inquit Dauid: Patientia pauperum non peribit in finem. Videtur aliquando carnalibus perire, sed in finem non peribit. Sic dicitur Iob quarto:

Vbi

Vbi est patientia tua? sunt enim patientes terra bona, Lucæ 8. quæ semen verbi diuini fructificat in patientia, nempè fructus Euangelij tandem accipiuntur à DEO, qui hîc in patientia verbum Dei retinent & custodiunt, quantumcunque etiam sæuiat mundus. & Christus consolatur Matthæi 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, &c.

CAPVT III.

ARGVMENTA.

1. *De humilitate Christiani hominis, & quid sit.*
2. *Quarè Christianus debeat humiliari.*
3. *Qui sint fructus humilitatis.*

PRIMO, humilitas est volũtaria & exilis reputatio de seipso propter Deum. humiliauit enim se Christus propter nos, cùm esset Deus, formam serui accepit, ad Philippen. secundo. Ergo propter ipsum & è diuerso debemus meritò humiliari, & non de nobisipsis alta sentire, Romanor. 12. docet enim Christus & iubet, vt ipsum in hoc imitemur. Matthęi 11. Discite à me, qui mitis sum & humilis corde. Est enim hæc virtus humilitas contraria vitio superbiæ. Nam superbia semper eligit quod extra est, vt videatur ab hominibus: at humilitas eligit quòd intus est, sicut Apostolus dicit 2. Corinthior. primo: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. ideò Sapiens Ecclesiast. 33. Quanto maior es, tanto te humilia in omnibus. & Petrus iubet 1. Petr. quinto: Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tẽpore visitationis. Deus enim humilia respicit in cœlo & in terra, & alta à longè cognoscit, & respexit De 1.

us in orationem humilium &c. Superbum angelum de cœlo eiecit, Esai. 40. & Saul regem humilem elegit, 1. Reg 15. Sed eo facto superbo & inobediente, humilis Dauid in regem præficitur, 1. Reg. 16.

Secundò, debemus humiles esse semper, eò quia homo cinis & puluis est, & in puluerem redibit: ideò Deus ne homo extolleret sese, & altum saperet, dixit illi Gene. 3. Memento quòd cinis es, & in cinerem reuerteris Hanc similitudinem Deus ipse de homine dixit, & non homo: quod Deus fecit propter vilitatem. Sicut enim cinis est res abiecta & vilis, quantumcumque fuerit de materia preciosa vel auro, vel lapillis preciosis vel cinamomo &cæt. & optimis herbis & rebus: sic homo etiamsi se totum tegeret auro, annulis & catenis in supremo honore & dignitate, natura tamen mortalis, & miser, & nudus tandem in puluerem conuertitur, fit esca vermibus &cæt. & nihil est superbus ornatus, nisi quod oculos pascit, sicut iactantia & sonus verborum aures &cæt. Hæc neminem beatificant, sed timor Domini & humilitas. Ideò dixit Dauid 2. Reg. sexto: Ludam coram DOMINO, & vilior fiam, eroque humilis in oculis meis, Deindè cinis facilè dispergitur & non potest resistere vel modico flatui, Sic homo etiam vitro fragilior est, nec potest ex seipso resistere & vincere tentationem: cito infirmatur ex leui principio, & tunc statim cadit omnis superbia & elatio mentis. Ideò Propheta rogat Deum, vt dignetur dare hominib. vt sciãt & cognoscant sese, quod homines sint; Dicitur enim homo quasi de humo. Psalm. 9. Vt sciãt Gentes, quoniam homines sunt. qui enim se semper agnoscit hominem, is non de facili in superbiam ruit, nec in auaritiam, nec inuidiam, aut iram. Non enim sese agnoscere hominem esse de limo terræ creatum nec nouissima sua vel suprema funera memorari, sæpe fons & causa est peccatorũ & obliuionis Dei

& extre

& extremi iudicij. Ecclesiast 7. Memorare nouissima tua & in æternum non peccabis &cæt. Iob 7. Quid est homo, quia magnificas eum? Et iterum: Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu, & sic repentè præcipitas me? Tertio, quia cinis non potest redire ad statum suæ materiæ. nam cinis auri non redit iterum in aurum. eramus in prima creatione in originali iustitia aurũ, sed facti sumus puluis per peccatũ, & ex nobis non possumus reuerti in aurum: ideo solo Christi merito redimus ad regnũ Ideo in timore viuere debemus atque in humilitate, quia totum quod habemus & accipimus, ex immerita Dei misericordia est, 1. Cor. 4 Quid habes quod nõ accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi nõ acceperis? Ergo propter has rationes Deus assimilat cineri, vt cogitet se semper humiliaari Habet ergo vera humilitas tres gradus: Primus est, laudes & honores fugere, sicut Christus fugit, cum turbæ volebant ipsum regem facere, vt dicitur Ioan. 6. Sic Apostoli Paulus & Barnabas nolebant sibi immolari Act. 14. & Matthæi. quinto iubet Christus. vt omnia opera nostra sic fiant, vt glorificent patrem nostrum, qui in cælis est, non inquit, vt vos gloriam vestram indè quæratis, Christus enim sua miracula prohibebat publicari, vt documentum daret, nos fugere debere iactantiam & vanitatem, vtque ipse esset nobis vera humilitatis exemplum, sicut patet de leproso, Matt. octauo. de duobus cæcis ab ipso illuminatis, Matt. 9. de muto & surdo sanato Lu. 11. de transfiguratione dixit, Nemini dixeritis visionem hanc &c. Mat. 17. Sic beata virgo dũ salutatur ab angelo, humiliter se excusat Lu. 1 Secũdus gradus, opprobria & cõtumelias æquanimiter tolerare Sic Dauid cũ malediceretur à Semei, 2 Regum 16 dixit seruo: Dimitte eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini, si fortè adspicat eum Dominus &cæt. Psalm. 118. Bonum mihi, quia

Iob. 18.

Humilitatis gradus I.

Gradus II.

humiliâsti me. Non oportet respicere in illum, qui cō tumelias profert, sed in Deum, qui hoc sæpè ordinauit ad humiliandum nos, vt sic nobis malediceretur.

Ioan. 18. Sic iubet Petrū gladium mittere in vaginā, Nam inquit Calicē quem dedit mihi pater, non vis vt bibam ipsum? Sic ibant gaudentes apostoli, quoniam digni

Gradus 3. sunt habiti pro nomine Iesu contumeliam pati, Act. 5. Tertius gradus est, vilia officia non recusare. Lauit Christus pedes Apostolorum suorum, Ioann. 13 & Lucæ 22. Ego in medio vestrûm sum, sicut vnus ex vobis. Sic 1. Reg. 25. cùm Abigail audiret quòd Dauid eam vellet ducere in vxorem, dixit: Eccè famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei. Qui ergo verè humilis est, non recusat subesse maiori, nec se præfert æquali, immò nec minori recusat subesse. Est igitur pessimum vitium hominis, superbia, vel amor suîipsius, iactantia, inanis gloria, & ambitio, quam expressissimè prohibet scriptura Apostolica Gal. quinto. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.

3. Tertiò, multi boni fructus sequuntur humilitatem, & primò, quòd tales accipiunt gratiā Dei. 1. Pet. 5. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiā. Sic cantat virgo gloriosa Lucæ 1. quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: virginitas parū profuisset ei, nisi & humilitas coniuncta fuisset: contra superbas virgines & mulieres, amat Deus humiles: Deindè Deus mysterium sui sancti Euangelij, quòd per Christum accipimus remissionem peccatorum & salutem æternam, reuelat humilibus, & illis dat gratiam Spiritussancti. Mat. 11 Confiteor tibi pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentib. & reuelasti ea paruulis. Et 1. Corinth. 1. Infirma mundi Deus elegit, vt confundat fortia, & 2. cap. inquit: Loquimur

mur sapientiam in mysterio absconditam, quam nemo principum huius sęculi cognouit. Tertiò, humilitas facit maiorem in regno cælorum, id est, in Ecclesia præsenti. Mat. 18. interrogant discipuli, quis sit maior in regno cœlorum: & aduocans Iesus paruulum, statuit in medio eorum &c. ideò qui fuerit humilior in terris, hic maior erit in cœlo. Quartò, humilium orationem Deus libenter exaudit. Vndè Iudit. 9. Humilium & mansuetorũ semper tibi placuit deprecatio. & Psal. 101. Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum. vltimò humiles saluantur, & nullus superbus ingredietur cœlum. Psalm. 33. Humiles Spiritu saluabit, & Matthęi quinto. Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, &c.

CAPVT IIII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit Eleemosyna hominis Christiani.*
2. *Quomodò dandi vel eroganda.*
3. *Quid mereantur coram DEO.*

PRimo, Eleemosyna græcè, latinè misericordia dicitur: & est aliud nihil Eleemosyna, nisi iuuare pauperem: & non dicitur solum de portione panis, quæ datur mēdicis antè fores, sed de omnibus beneficijs & bonis operibus erga proximum: sic remissio offensæ dicitur Eleemosyna. Luc. 6. Remittite & date, & remittetur & dabitur vobis: Dare igitur & remittere, sunt duo opera misericordię. Hoc opus prædicat scriptura inter alia opera exteriora vt potissimum. Sic Christus Mat. 9. Euntes discite quid sit, Misericordiā volo, & non sacrificium, Oseę 6. Nec oratio, nec munus altaris Deo placet, nisi reconciliato fra-

1.

to fratre: ideò antè orationem iubet remittere, Mar. 11. Sic opus eleemosynæ non placet, nisi priùs sit misericordia facta cum fratre, neq; ieiunium. ideò Tobias 4. docuit filium suum, inquiens: Ex substantia tua, non ex rapina fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini: quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, dabis abundanter, &cæ. Dives igitur & quicunque à quo petitur, tria debet considerare: primò, quis petat: deindè, pro quo petat: tertiò, ad quid petat. Primò quis petat, nempè Deus petit per hominem mendicum: nam mendicus non propter se, sed propter Deũ tepetit. sunt enim pauperes quasi media vel instrumenta, per quæ Deus rogat: & quicquid illi feceris vel minimo, ipsi fecisti, Matthæi 25. Quod vni ex minimis meis fecistis, &cæt. Nos quotidiè petimus & rogamus ipsum, vt adueniat nobis regnum suum, & panem quotidianum nobis det, sed petit pauper propter Deum à te eleemosynam, panem, potum, vestẽ: quòd si pauperi quasi Deo ipsi negauerimus misericordiam vel eleemosynam, nec ipse nobis dabit regnum cœlorum, aut ea quæ petimus. Vndè Salomõ: Qui obturat aures suas ad clamorem pauperum, clamabit ipse & non exaudietur. & Dauid, Beatus homo qui intelligit super egenum &c. Deindè, quid petat Deus per pauperem, an nostra vel sua petat, petit vtique sua. nam vt Psalmista inquit, Domini est terra, & omnis plenitudo eius. tu enim seruus es & dispensator bonorum Dei. Vndè Dauid 1. Paralip 29. Tua sunt Domine omnia, & quæ de tua manu accepimus, dedimus tibi. Quicunque ergo abundat & crapulatur, nec dat eleemosynam &c. duplex habebit iudicium, Lucæ 12. Seruus sciens voluntatem Domini sui &c. Tertiò, ponderare debet diues, ad quid petat. Deus per pauperem, non ad dandum, sed mutuã-

Psal. 23.

dum:

dum: centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Et hæc est optima fœneratio, & propterea condē natur seruus piger, qui talentum Domini in terram fodit, Matth. 25. De hac eleemosyna & misericordia loquitur Deus per Esa. 58. dicens vt pauperibus benefaciant, dent cibum esurientibus, nudis vestitum, &c. hæc opera potiùs vult, quàm illorum ieiunium & castigationem corporis, quòd ad lites & contentionem faciebant &c.

Secundò, Matth. 6. docet Christus modum & formam, quomodo fiat eleemosyna, & inquit: Cùm facis eleemosynam, noli tuba canere antè te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in vicis, vt honorentur ab hominib. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te ergo dante eleemosynam, nesciat sinistra quid faciat dextra tua, vt sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. His verbis primo corrigit Christus eleemosynam hypocritarum, non opus in se, sed ostentationem, quia propter homines fecerunt, & deindè docet nos deponere illam ostentationem, vt non propter honorem, fauorem, laudem hominum bona opera faciamus, nec propter nostrum commodum & meritum, sed simpliciter propter Deum, sine omni ambitione, aut propriæ gloriæ ac meriti venatione. Sic Paulus loquitur Rom. 13. Qui tribuit, ille tribuat in simplicitate, id est, sine omni iactantia, & ne quis quærat suum honorem, fauorem, gratiam, & meritum ab hominibus, nec respiciat ad homines, an gratus sit, nec ne: sed liberè tribuat quod dare vult. Sic Deus quotidiè tribuit solem, pluuiam, non respiciens an grati vel ingrati simus, hæc vocatur simplex intentio. Sed talis eleemosyna simplex propter Deum non reperitur in mundo. omnes quærunt laudem, fauorem hominum & magnum meritum, &c. vult enim Deus ꝓpter semetipsum honorari, non ꝓpter dona,

quæ ſua, ſicut omnia, ſunt, & ipſe propter ſemetipſum vult dona exhiberi, non propter noſtra facta, vt ſolus Deus laudetur & glorificetur in omnibus. At inquis: Dauid dicit Pſalm. 118. Inclinaui cor meum &c. Reſpond. Propheta reſpexit ad Dei promiſſionem, non in opus operatum ſuum. At cauſa promiſsionis prę-mij, eſt Dei voluntas gratuita: quaſi dicat, propter re-tributionem quam tu promiſiſti, non quam ego o-peribus merui. Hoc enim Chriſtus exponit, ſcilicet eleemoſynam fieri debere in abſcōdito: nam ipſe in-tuetur cor. Quando igitur eleemoſyna, teſtamentū, legatio, fundatio, &c. ea intentione fit, vt indè fa-mam, laudem & gloriam quæramus, nihil promere-bit apud Deum. Igitur in abſcondito fieri eleemoſy-nam, eſt, quando homo non quærit iactantiā vel glo-riam, ſed vt liberè detur, non curando an coram ho-minibus habeat laudem vel non, dum Deus qui re-tribuit, & cor & omnia noſtra reſpicit, & ad ſolam il-lius laudem & gloriam facienda ſunt eiuſmodi, ſiue indè veniat gratitudo coram hominibus, ſiue ingra-titudo. Hîc requiritur ſimplex oculus, ſolum in De-um reſpiciens, illum diligens & laudans: & hæc eſt vera & Chriſtiana forma omnium bonorum ope-rum, quæ fieri debent à Chriſtianis, id eſt, ſolam glo-riam & laudem Dei ſine quæſitione noſtri commo-di vel meriti.

Tertiò, eſt ne aliquid præmium eleemoſynę, quia dicit Chriſtus, Et pater qui videt in abſcondito, red-det tibi, Matthæi 6. Tob. 4. Eleemoſyna ab omni pec-cato & morte liberat. Eccleſiaſt. 3. Eleemoſyna pau-peris nō erit in obliuionem. Dan. cap. 4. Peccata tua eleemoſynis redime, & Lucæ 11, Date eleemoſynam, & omnia munda erunt vobis. Reſpon. Eleemoſyna habet magnum prę̨mium in hac & poſt hanc vitam, ſed oportet primò ſcire differentiam inter meritum Chriſti & meritum noſtrum: meritum Chriſti ex-

tendit

tendit se ad remissionem peccatorum, & vitam æternam ac gratiam patris, hęc solus ille meruit suo sanguine, & gratis ex misericordia propter Christum accipimus per fidem in Baptismo, & dicitur principale præmium, das hauptgůt: deindè est meritũ, quod nobis Deus per verbum suum promittit pro operibus iam in fide & iustificatione factis ad laudẽ & honorem Dei, & hoc prẹmium etiam gratiæ est propter Christum: sic calicem aquæ frigidæ Matth. 10. vult Deus remunerare, & tale meritum nostrum dicitur accidentale, id est, zugabe/ & hoc habet gradus suos secundùm opera, sicut dicit Apostolus 1. Corinth. 15. differt stella à stella in claritate & magnitudine. Sic erit resurrectio mortuorum &cæt. Sed hoc nostrum prẹmium vel meritum non est æquale Christi merito, alioqui Christus gratis veniisset, Gal. 2. & sic eleemosyna larga & magna, magnum habebit præmium hîc & in futura vita. Deindè, quoties bonum opus facere volumus, hîc oportet duo notare: primùm, verbum Dei, quod iubet facere hoc opus, & adijcit promissionem: deindè, opus ipsum, inquantum à nobis operatum est: nam inquãtum à nobis factum est. Deus nihil ei aut nobis debet, quia serui inutiles sumus, Luc. 17. ideò non oportet ad nostrum factum respicere, sed ad Dei præceptum & promissionem: ipse propter se vult distribuere, per hoc opus tanquã medium, suã gratuitam promissionem, ita quòd causa præmij & fons sit ipsa gratuita Dei misericordia, nõ opus operatũ nostrũ. Sic per eleemosynã ipse liberat à peccato & morte, non opus ipsum eleemosynæ: sed ipsa virtus passionis Christi distribuitur, & nos per hoc opus externum certificamur de distributione: eleemosyna verò & oratio, charitas, &c. dicuntut extinguere peccata, & operire ad eum sensum, quia pœnas peccatorũ mitigat, redimit, extinguit, quas pœ-

nas Deus etiam dimissa culpa exigit. Sola autẽ Christi passio tollit culpam, & nullum opus &cæt. Alligauit Deus distributionem meriti Christi pluribus rebus, nunc orationi, nũc eleemosynæ, nunc charitati &cæt. vt cognoscatur eius larga misericordia & dilectio. Ideò scriptura etiam variè loquitur, nunc fidei, nunc sacramentis, nunc operibus tribuens distributionem beneficiorum Christi: non autem ipsis operibus, sed diuinæ misericordiæ tribuitur causa distributionis: Eleemosyna assimilatur semini, semen primò absconditur in terra, sic debet abscondi eleemosyna Matth. sexto, deindè semen videtur perdi, cùm potiùs renouetur. Sic eleemosyna. Eccles. 29. Perde pecuniam propter fratrem. Tertiò, semen surgit cum fœnore, sic eleemosyna centuplum accipiet. Prouer. 16. Fœneratur Domino qui miseretur pximo. Quartò, triticum hoc anno seritur, & in futuro metitur. Sed eleemosyna hîc in mundo fit, sed in futura vita habebit remunerationem, 1. Tim. 4. Pietas ad omnia vtilis. hanc in iudicio Christus proferet. Matth. 25. Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c.

CAPVT V.

ARGVMENTA.

1. *De oratione siue obsecratione, quid sit.*
2. *Quare nos debeamus orare.*
3. *Quæ requirantur ad veram orationem.*

PRIMÒ oratio est eleuatio mẽtis in Deũ, quæ mens inuocat Deũ, & petit aliquid, aut gratias agit pro accepto beneficio: nam inuocare, est petere aliquid à Deo: gratias agere, est agnoscere quòd diuinitùs contingit auxilium: celebrare, laudare & prædicare Deum authorem beneficij. ideò scriptura hæc duo

duo sæpè coniungit, vt Psalm. 49. Inuoca me, & honorificabis me. ad Philipp. 4. Nihil solliciti sitis, sed in omni petitione & gratiarũ actione petitiones vestræ innotescant &c. Quatuor hîc enumerauit Apostolus: orationem, obsecrationem, gratiarum actionem, petitionem. Oratio est aliud nihil, quàm verba quæ dico aut lego in Psalmis: obsecratio est, quandò petitio propter aliquid aliud formatur, vt dum aliquem obsecro (id est, flehen,) propter hunc vel illum amicũ. Sic obsecramus patrem Deum propter filium Christum in omnibus collectis. Sic obsecrauit Salomon Deum Psal. 132. Memento Domine Dauid. Sic Paulus ad Roma. 12. Obsecro vos per misericordiam Dei &cæt. Petitio fit quandò res nominatur quæ petitur, sicut in oratione Dominica nominamus ea, quæ obsecramus & petimus. Gratiarum actio est, accepta beneficia pensare & ponderare, ac confortare fiduciam accipiendi illud quod petimus. Sic oratio extendit se in gradus, vbi Deus inuocatur tanquàm summus auxiliator, creator, & conseruator, & in eũ omnem fiduciam collocat, tanquàm summum refugium in omni necessitate & tribulatione nostra, &c.

Secundò, prima causa quare debeamus orare, est præceptum Christi. nam inquit: Petite in nomine meo, & accipietis scilicet propter nomen meũ, Ioan. 16. Et quoniam hoc præceptum est, ideò sicut peccat, qui furtum, adulterium, homicidium committit, eò quòd hæc Deus prohibuit, sic non obedire DEO in hoc præcepto, & illi cultum illum non reddere, non inuocare in periculis, & auxilium ab illo non expectare, non gratias agere pro beneficijs, est grande peccatum. Huic igitur præcepto opponere debemus nostram imbecillitatem, & dubitationem, quia naturaliter dubitamus, an exaudiamur, nécne quòd simus indigni peccatores, quòd oratio nostra non

non sit benè disposita, an Deus curet nostras oratio-
nes &c. Sæpè enim homines desperabundi abijciunt
omnem inuocationem ob indignitatem suam. Sed
quia Christus ipse præcipit, vt propter suum nomen
petamus, ideò pro se quisque tenetur satisfacere huic
præcepto, & non in alios reijcere, quos fortè arbitra-
tur sanctiores esse. Deindè mouere nos debet ad oran
dum promissio, quæ ideò facta est, vt testetur Deum
velle exaudire preces, ac ipsas efficaces esse apud Deũ
& sæpè promissionem suam confirmat iuramento,
Ioan. 16. Amen amen dico vobis &cæt. Magna igitur
Dei bonitas est, quòd promissionibus & præceptis
nos inuitat ad inuocandum. Quare contemnere hãc
liberalitatem Dei, est magnum piaculũ, & quia Deus
verax est, & seruans promissionum suarũ, ob id mul-
tò pronior est ad dandum, quàm nos ad accipiẽdum.

3. Tertiò ad veram orationem tria exiguntur, vt effi-
cax sit corã Deo. Primò, pœnitentia à flagitiosis pec-
catis, & fraternæ iniuriæ dimissio: deindè, res iusta
quæ petatur: postremò, fides quę certò statuat Deum
exaudire preces. Primò, qui sine pœnitentia est, non
exauditur, Lu. 6. Quid me vocatis Domine Domine,
& non facitis quæ dico vobis? Clamores igitur, can-
tus, psalmodiæ, &c. cùm clamamus, Domine Domi-
ne, parùm proderunt, si non fecerimus pœnitẽtiam,
& cessauerimus à peccatis. Esai. 1. Cùm multiplica-
ueritis orationes vestras, non exaudiam, quia manus
vestræ sunt plenæ sanguine, id est, ira, odio & praua
voluntate. Marc. 11. Cùm stabitis ad orandum, remit-
tite, &c. Et Psalm. 108. Oratio eius fiat in peccatum,
vbi scilicet non est pœnitentia. ideò Christus iubet
reconciliari fratri, Matth. 5. antequàm munus altari
imponat. Hæc ergò causa est, quòd oratio sæpè retar-
datur & impeditur, quia non cogitamus nos emen-
dare: vel etiam in pijs sępè retardatur petitio, vt scia-
mus hac mora exerceri fidem. Sic cùm Abrahæ esset

promissa

promissa posteritas, solùm tamen in extrema senecta datur. Rom.4. Gene.15. Sic dicit Christus Luc.18. de iudice & vidua, & Paulus de stimulo ter petit 2. Cor. 12. & idem Colossen.4. iubet orationi instandum, & 1. Thessal.5. Sine intermissione (inquit) orate, & Christus Luc.18. Oportet semper orare, id est, benè facere. nam quoties benè facimus, toties oramus, quoties bonum cogitamus, loquimur &c. hoc dicitur semper orare. Qui est in arte mechanica fideliter laborãs pro enutritione vxoris & filiorũ, orat: item qui benè præest officio, quiq; zelosè prædicat, aut iniunctum munus rectè exequitur, hic orat: & qui à peccatis cessat, pauperibus benefacit, & opera charitatis exercet, hîc orat: quod probatur ex scriptura Eccl.35. Deprecatio pro peccatis, recedere ab iniustitia, &c. Qui conseruat legem, multiplicat orationem. & Psalm.144. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Vndè D. Hierony. in Psalm.54. Qua ratione intellige ô homo, quia nisi pura conscientia deprecaris, à Deo prorsus non exaudieris &c. Deindè in oratione est res aliqua & quidẽ iusta petenda: nam ibi profitemur, Deum esse authorem & datorem bonorum, nosque respici à Deo, & hoc est cultus Dei, quem exigit à nobis. Iubet ergò scriptura petere spiritualia & corporalia beneficia, vt patet in oratione Dominica; deindè pro publicis & priuatis calamitatibus. Pro publicis, vt Ecclesia liberetur ab impietate, scandalis, mala doctrina, &cęt. vt nomen Domini verè cognoscatur & sanctificetur, vt suum regnum in nobis inchoetur, & Diaboli destruatur, vt Deo obediamus, & in tali genere vitæ viuamus quod Deo placeat, sicut Angeli in cœlo obediunt & viuunt: item, vt multi se ad Christi fidẽ conuertant & saluentur, Rom.10. Insuper pro Republica & Regibus & fideli administratione, vt pastores & reges faciant officium suum: item pro conseruatione

disciplí-

disciplinarum atq; morum, ne iuuentus lasciuetur; itē pro victu & cæteris bonis corporis, vt panis quotidianus nobis detur, id est, victus &cæt. vt fœliciter nobis res succedant, vt remittantur omnibus peccata sua propter nomen Christi, vt non sinat nos induci in tentationem aut desperationem: nam Diabolus sicut leo rugit & circumit, vt tandem nos liberet ab omnibus nostris iniquitatibus & calamitatibus ac miserijs præsentis vitę, vt donet nobis vitam & iustitiam æternam. Hęc pro publicis calamitatibus oramus. Sunt etiam priuata pericula varia corporis & Spiritus, & sunt insidię varij generis: flectit enim Sathan animos hominum ad flagitia, cędes, seditiones: Sunt infiniti casus, morbi, exilia, vt eò vehementius petamus Dei auxilium: & quoniam varia beneficia etiam ignorantibus nobis conferuntur, (nam infinitis periculis opprimeremur, nisi diuina prouidentia custodiremur) ob id petitionibus semper addere debemus gratiarum actiones, vt sicut precamur & rogamus accipienda, ita pro acceptis gratias agamus. Postremò requiritur ad orationem fides, quæ certò statuere debet nos placere DEO propter Christum, etiamsi adhuc in nobis hæreant aliqui morbi: ob id imperfectio nostra non debet nos impedire ab oratione: nam ideò Christus iubet nos petere in nomine suo, Ioan. 16. vt sciamus nos nō exaudiri propter nos vel nostram dignitatem, sed opùs habere pontifice Christo, vt propter illum exaudiamur. Sic quoq; Ecclesia collectas concludit. Hæc fides in Christum, facit personā nostram Deo acceptam & iustā: ob id preces quoq; placent orantis, & certò exaudiuntur propter ipsum Christum: ideò ipse affirmat Ioann. 16. vt simus certi propter ipsum nos exaudiri, ideò in nomine eius petere debemus. Est oratio incensum diuinæ miserationi offerendum: nā sicut thus super carbones positum, dat odorem suauē: ita oratio nostra

incensa

incensa super carbones deuotionis, fragrat in conspectu Dei. Ideò Dauid orat: Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, id est, placeat sicut redolentia boni odoris &c. item oratio est quasi scutum diuinæ indignationi obijciendum. Sicut enim scutum prohibet ictum sagittæ, ita oratio nos seruat à vindicta Dei atque ira. Sapi. 18. dicitur de Aarone, quòd proferēs scutum orationis, restitit iræ diuinæ. Tertiò, Oratio est quasi tributum Dei, eius damnationi offerendum. Matth. 22. Date Deo quæ Dei sunt, & Cæsari quæ Cæsaris sunt. hunc enim à nobis exigit Deus, quia Dominus noster est, &c. Psal. 14.

CAPVT VI.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit ieiunium Christianum.*
2. *Vndè fiat quòd certis diebus ieiunamus, & à quibusdam cibis abstinemus.*
3. *Quomodò ieiunio nobis Deum placamus.*

PRimò, ieiuniū Christianum, est moderatus ciborum & potuum vsus, omni tempore durans ad laudem & gloriam Dei. Luc. 21. Attendite ne corda vestra grauentur crapula &c. Deindè est ieiunium spirituale, & illud est abstinentia à malis cogitationibus & ira cordis, à maledictione, cōuicijs, immunditia sermonis, falsis testimonijs &c. Et abstinentia à luxuria, à superbia, ab accedia, inuidia, &cæt. & hoc ieiunium spirituale maius est, quàm externum: minus est enim peccatum, comedere carnes in feria sexta, quàm fornicari aut maledicere, sicut dicit Esaias 58. Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra praua, & ad lites & contentiones ieiunatis, &cæt. Porrò est ieiunium Ecclesiasticum, quod certis 1.

certis diebus & cauſſis eſt inſtitutum ad humiliationem coram Deò & diſciplinam corporis. Sic regina Heſter ieiunat tribus diebus & noctibus, & liberatur cum populo, capit. 4. Sic ieiunârunt Niniuitæ, Ioan. 3. Sic Iudith, 4. & 8. Sic ob ſpeciales cauſas & tribulationes ſæpè leguntur ſancti ieiunâſſe: nam hoc Deus ſic iubet per prophetam Ioel. cap. 2. Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio & fletu & planctu, & ſcindite corda veſtra, ſcilicet à prauis vitijs & cogitationibus ſeparate, & non ſcindite veſtimenta veſtra, &cęt. Secundò ieiunamus in vigilijs ſanctorum Apoſtolorum, & feſtiuitatum Chriſti, ac beatæ virginis propter vigilias, quæ cõmutatæ ſunt in ieiunia: olim enim ex eo quia Chriſtus in media nocte natus eſt, & quia Chriſtus increpauit diſcipulos, quòd non vna hora cum ipſo vigilarent, Matth. 26. & propheta Pſal. 118. confitetur ſe media nocte ſurrexiſſe &c. ſolebat populus pernoctare in templis ad ſepulcra Martyrum, idque ea nocte quæ prędederet feſtiuitatem, ſacrosque cantabat hymnos & pſalmos. Sed quoniã Sathan regnare cœpit, & carnalitas in populo creuit, ita vt & matronæ corrumperentur, & aliæ leuitates fierent: deindè quia etiam Vigilantius hæreticus inuehebatur contra huiuſmodi vigilias, ideò viſum eſt Patribus mutare illas in ieiunia. Vndè adhuc in Sanctorum vigilijs ieiunamus. Inſuper quoniam Ioan. Baptiſta commendatur à Deo ob vilitatem ciborum Matt. 3. quòd ventrem exaturauit non elixatis & aſſatis carnibus, ſed melle ſylueſtri & locuſtis, vinum & ſiceram non bibit: Et tres pueri nolebant cibo regio exaturari, ſed leguminibus, Daniel. 1. & erant Deo accepti. Sic multi ſancti olera tantùm & radices manducabant &cęt. ideò vt minor eſſet occaſio ad peccatũ, patres lautiora cibaria prohibuerunt his qui ſani erant: quoſdam autẽ neceſſitas & infirmitas excuſabat, & ſic ex deuotione & bono ordine à patribus

tribus sancitum est: sic ieiunia quatuor temporũ anni, item quadragesimæ, & Aduentus Domini ordinârunt: & negari nõ potest quin hæc abstinẽtia placeat Deo, sicut patet in Ioanne Baptista & tribus pueris: sed nostris his temporibus regnat ille fraßteufel/ qui decepit primos parentes in Paradiso. At inquiunt Carnales Euangelici Matth 15. Quod intrat in os, non coinquinat hominẽ, & cibus nos nõ commendat Deo, Roman. 14. est enim omnis creatura sanctificata. Respond. Nemo catholicorum dicit cibum esse malum, est enim bona Dei creatura, nec pomum fecit peccatum in Adam & Eua, sed contemptus diuini præcepti: nam ex corde exeunt mali cogitatus, qui coinquinant hominem, cibus non prohibetur vt malus, sed abstinẽtia illius ad certum tempus, ad laudem Dei & castigationem corporis præcipitur. Si Hester potuit iniũgere toti populo ieiunium per tres dies, & rex Niniuæ populo & iuuẽtuti, cur hoc idem non posset tota Ecclesia? Humiliatio mẽtis hîc quæritur, non cibi simpliciter prohibitio. sciebat Ioann. Baptista in cibis nullum esse peccatum, Matt. tertio. abstinuit autem à lautioribus, & vilia gustauit. Sciebat Timotheus quòd non esset peccatum, vinum bibere: abstinuit tamen, aut saltem modicè gustauit, ob crebras stomachi infirmitates: abstinuit & Daniel & pueri à cibo regio, etsi sciebant eum non malum esse: abstinuerunt Rechabitę à vino, quod tamen sciebant non esse malam creaturam &cæt. Sic vbique scriptura commemorat & laudat huiusmodi abstinentiam & obedientiam, quòd Deo placeat. Est quoque ieiunium subtractio superfluitatis, sicut ollæ subtrahuntur ligna ne supereffluat: sic est abstinentia. Est quoque ieiunium hypocriticum, quod fit propter homines Matth. sexto. Cùm ieiunatis &c. & quandò parcè viuitur ob auaritiam. Ecclesiast. sexto. Vir cui dedit Deus substantiam &cæt. Est quoque laudabile

Dan. 1.

Hier. 35.

ieiunium, quod fit ad laudem Dei in abscõdito, Mat. sexto, & hoc Deo placet & habet suam promissionẽ. Vulgò dicitur, fames expellit lupum ex nemore: ita abstinentia & ieiunium fugant diabolum ab homine, Marc. 9. Hoc genus dæmoniorum non ejcitur, nisi in oratione & ieiunio. Sed totum ieiunium dicitur, quandò non vna parte (scilicet abstinentia tantùm cibariorum) ieiunamus, sed quandò etiam totũ corpus nostrum retinemus & abstrahimus à voluptate carnis, & cor nostrum à prauis desiderijs &c. Tale ieiunium, quod cum externo est coniunctum, exigit Christus. Postremò negari non potest, quòd verũ ieiunium sæpè placauit Deũ, vt non fuerit secuta pœna aliqua vel tribulatio: non quòd ieiuniũ nostrum possit satisfacere pro culpa & pœna ęterna. hoc enim solũ transfertur in Christũ. Esai. 53. In eo posuit pater iniquitatẽ omnium nostrũ. Sed de pœna temporaria, quam Deus sępè imponit propter peccata hic in prę. senti vita. Sic placârunt iram Dei filij Israel congregati in Masphat, 1. Reg. 17. admonente Samuele ieiunarunt, &c. & percussérunt Philistinos atq; vicerunt. Sic rex Achab impetrauit veniam, quando ieiunauit, & ambulauit demisso capite, dormiuitq; in sacco, cũ audiret terribilem Heliæ prophetæ cõminationem, 3. Reg. 21. Sic Niniuitæ placant Deum, ne pœnã illis immittat. Ideò & Christus ieiunauit & triumphauit, ieiunauit & Moyses cũ esset locuturus Domino. Vnde Apostolus admonet 2. Corint. 6. Exhibeamus nos sicut Dei ministros in ieiunijs & vigilijs multis &c. In omni ergò pressura veteres, quò mitigarent flagellum Dei, atq; hostes suos superarent, confugerunt ad orationem, ieiunium, eleemosynã, eo quòd hæc tria omnia alia bona opera in se comprehendunt, & Tob. 12. dicit: Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quàm thesaurizare aurum: & tunc quodlibet horum operum efficax est, quandò hæc tria sunt con-

iuncta,

iuncta, & quoties patres dixerunt, orationem, ieiunium & eleemosynam satisfacere pro peccatis, intellexerunt pro pœna peccatorum, id est, mitigationē calamitatum, quas quotidiè meremur propter nostra vitia, &cæt.

CAPVT VII.

ARGVMENTA.

1. *De peccato superbiæ, & quid sit.*
2. *Quæ damna adferat homini superbia.*
3. *Quantùm punitur à Deo, & semper punita est.*

AVgustinus libro 2. còntra Manichæum inquit: Supbia est prę̃sumptio, quaquis foris vult videri, quòd intùs non est in secreto conscię̃tię̃: id est, superbus vult videri iustus, sapiẽs, doctus, religiosus, potens, &cę̃. attamen non est in conscientia, ideò superbia est peruersus celsitudinis appetitus. hanc prohibet Apostolus ad Rom. 12. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Hęc superbia mater & principium omnis peccati dicitur Eccle. 10. & qui tenuerit eam, implebitur maledictis, i. vitijs. Consistit autem superbia & notatur in mente, ore & opere: mente, quandò quis neminem sibi parem aut similem reputat: inuidet prę̃stãtioribus, quia illis nõ æquatur: inferioribus inuidet, ne ei æquentur: paribus, quia ei æquãtur. Sed inquit Deus: Memento homo quia cinis es & puluis, & in terrã reuerteris, Gen. 3. Chryso. in Matt. hom. 78. Proficiscamur ad sepulcra: vbi purpura? vbi pecunia, vehiculũ, stipulatio satellitum &c? nihil hìc nisi ossa &c. Secundò in verbis, qbus notatur superbia. 1. Cor. 13. Si linguis loquar angelorũ, & charitatem non habuero &c. charitas nõ est superba &cæt. Tob. 4. Superbiam nunquàm in verbo tuo

aut sensu dominari permittas, &cęt. Tertiò in opere, id est, ornatu vestimentorum, potētia & luxu rerum, diuitiarum, &cæt. hæc in contemptum proximi nos exaltant, &c.

2. Secundò, multa damna adfert superbia homini: primò, quia homo priuat per superbiam Deum gloria sua, & sibi vsurpat & asscribit. Esa. 42. Gloriam meam non dabo alteri. Sed illam tamen furatur superbus Deo, quia vbiq; quęrit laudē suā, & nō honorē Dei. in omni em opere bono duo sunt, honor & vtilitas. Honor & laus Deo debetur, ꝓpter quē omnia debemus facere, Phil. 1. repleti fructu iustitiæ ad laudem Dei. vtilitatē ac precium Deus nobis vult conferre, quòd si Deo furati fuerimus laudē, ipse priuat nos vtilitate pręmij. ideò docet Christus Lu. 17. Cùm omnia feceritis &c. deindè superbia priuat nos fauore & gratia ac misericordia Dei. Iacob. 4. Deus superbis resistit, nō fauet nec diligit, sed humilibus dat gratiam. Cōtingit enim superbis sicut mōtibus Gelboe, 2. Reg. 1. quos nec ros, nec pluuia tangit ex maledictione Dauid, & in eū finē dixit Hugo: Superbia aufert mihi Deum, inuidia proximū, ira memetipsum. Postremò, superbia filium Diaboli facit, sicut humilitas filium Dei. Vndè propheta Iob 41. Ipse est rex super oēs filios superbiæ. Igitur sub illius regno sunt oēs superbi: quē ergò superbum videris, filium Diaboli esse nō dubitabis. Est ergò & hominibus odibilis superbia, Eccles. 10. & in omni loco, in omni tempore & in omni persona non quiescit: est enim in templo, in vario ornatu, in diebus festiuis, quandò homo se exornat, & tunc omnem personam quantumcunque etiam religiosam & deuotam reuelat &cęt. Fugienda est itaque ceu venenum animæ.

3. Tertiò, damna superbiæ atque punitiones varias legimus. Quid expulit de cœlo Luciferū, nisi superbia? nam dixit, Exaltabo solium meum, & similis ero altissi-

Esai. 14.

altissimo,&c. Assendit hodiè & exaltat solium,quicunque sapientiam,iustitiam,salutem sibi aut suis operibus tribuit: vult enim sic similis esse Deo,nec audit quod dicit Apostolus 1. Cor.4. Quid habes quod non accepisti &c & Psal.113. Non nobis Domine, nō nobis,sed nomini tuo da gloriam. Omnis ergò qui sic se exaltat humiliabitur, Luc.14. Sic superbia de propria iustitia adimit omne prȩmium. Deindè quid expulit de Paradiso Adamum & Euam, Genes.3. nisi superbia?audierunt enim serpentem,qui dixit,Eritis sicut Dij:quam excellentiam cupiebant,& ideò mandatum Dei sui transgressi sunt:& ecce priuantur parentes bono paradisi, quod iam possiderunt. sic hodiè priuantur & depauperantur honoribus, diuitijs, dignitatibus superbi & elati homines, quia gratias Deo non agunt,nec se agnoscunt,sed ambulāt in vanitatibus suis. Sic dixit Samuel propheta ad Saul regem 1.Reg 15. Cùm esses paruulus in oculis tuis,caput in tribubus Israel factus es: Sed quia pieciſti sermones Domini,proiecit te Deus, ne sis rex in Israel. Sic superbia non placuit Deo ab initio,Iudith.nono. Ideo non sólùm spiritualibus, sed etiam corporalibus bonis nos priuat superbia, neque vnquàm Deus assistit superbis. Insuper Hamam superbus qui volebat vt omnes genua coram ipso flecterent, quàm turpiter perijt, vt legitur Hester 7.item libido dominādi in Ieroboam,qui potiùs volebat populum recedere à vero D E O, quàm à suo dominio,qualiter punita sit cum tota familia sua,patet 3. Reg 12. Rex Sennacherib Assyriorum, qui dixit Ezechiæ regi Iudæorum: Neque Deus neque homo poterit te liberare de manu mea:quem finē accepit eius superbia,patet 4. Reg. 19. ipse Deus est qui nouit potentes superbos deponere de sede,& exaltauit humiles, Lu.1. Volebat Holofernes totum mundum sibi subiugare,sed Deus per deuotam fœminam Iudith eum interfecit, Iudith.13.

Summa ſuperbia in nobis exiſtente, omnis vita & actio noſtra ſit immunda, etiamſi ſobrietatem, ſi virginitatem, ſi ieiunium & orationes & eleemoſynas habuerimus, aut quęcunque alia perfecerimus. Ideò vulgò dicitur:

Si tibi laus, ſapientia, forma & copia rerum,
Inquinat hæc ſanè comitata ſuperbia cuncta.

Fugienda eſt itaque ſuperbia quàm maximè, quæ omnia demolitur & dehoneſtat: habet quoq; quatuor ſpecies ſecundùm Gregorium: Prima eſt, quandò homo attribuit ſibi bonum quod habet. Secunda, quandò homo etſi non ſibi, ſed tamen ſuis meritis tribuit bonum. Tertia, quandò iactat ſe habere, quod tamen non habet. Quarta, quandò ſe exiſtimat alijs præualere & eſſe meliorem &cęt. Contra ſuperbiam autem valet memoria rerum nouiſſimarum, vt ſcriptura admonet Eccl. 7. Memorare nouiſſima tua, ſcilicet mortem, iudicium extremum, infernum, regnum cœleſte, & non peccabis. Sunt enim ſuperbi ſimiles veſicæ, quæ vno ictu puncta euaneſcit. Sic ſuperbus exigua infirmitate. Sunt quoque ſimiles ſepulcris dealbatis, cùm foris ſint pulchrè ornati veſtitu precioſo, intùs autem anima mortua fœteat. ſimiles etiam gallinæ, quæ cùm ouum excubauerit, cantat: ita ſuperbi ſi quid boni operis fecerunt, volunt audiri ab omnibus, &cæt.

CAPVT VIII.

ARGVMENTA.

1. *Quomodò ſcriptura prohibeat ſuperbum ornatum veſtimentorum.*
2. *Quàm graue peccatum ſit.*
3. *Quomodò puniatur à Deo.*

Primò

PRimò inquit Apostol. 1. Tim. 6. Habentes alimēta & quibus tegamur, his contenti simus: nam hæ sunt diuitiæ Christianorum, quia nos speramus meliora in cœlo. gētes verò sollicitæ sunt de auro, argēto, precioso ornatu & vestitu. Ideò nos Christus primùm quærere iubet regnū Dei & iustitiā eius, id est, virtutes, fidem, timorem, dilectionem, misericordiam, patiētiam, &c. & alios fructus spiritus, Gal. 5. Hæc sunt ornamenta animæ atq; Christianorum. Mundus & Gentes sollicitæ sunt de ornatu vestimentorum. Eccl. 1. In vestitu ne glorieris vnquàm, nec in die honoris tui extollaris, quoniam mirabilia opera Dei: multi tyrāni sederunt in throno &c. cōfusi sunt, & exiguus portat diadema. Christus quoq; nos dehortatur à tali superbia ornatus ac vestimentorū. Mat. 6. Quid solliciti estis de vestimētis? videte lilia agri, quę nec serunt, nec laborant &cęt. amen dico vobis, quia Salomon in omni gloria sua &cæt. item Ioannes Baptista commendatur de vestitu, Matth 3. quia Deo placuit, &cæt. Secundò, quòd graue sit peccatum, patet Sophon. 1. Visitabo super principes & super filios regis, qui induti sunt veste peregrina. Vestis peregrina sunt isti varij modi vestimentorum, fimbriarum, quibus nobiles præcipuè vtuntur. Materia autem primæ vestis in Paradiso, fuit de pellibus, Gen. 3. deindè ventum est ad laneas vestes, quæ leuior est quàm pellis: posteà processum est ad cortices herbarum, i. linum. porrò ad stercora vermiū bombycum, id est, sericum: postremò ad aurum, id est, vestimenta aurea, & ex argento ac lapillis preciosis compacta. & quò tandē non excreuit superbia hominū & luxus? quem Deus nullo modo præcepit, sed potiùs prohibuit. Si cuculla monachi non est præcepta, quæ humilitatis & pœnitentiæ causa geritur, doce tu, vbi licita sit in sacris literis tanta vestimentorum superbia & 1.

bia & luxus mundi. Gregor. Nemo, dum solus est, curat preciositatem &cæt. Displicet igitur Deo tanta pompa vestimentorum. Vndè proditum est in historijs, quòd primus qui vtebatur veste purpurea inter Romanos, fulmine est percussus. Sic diues epulo qui damnabatur, dicitur purpura fuisse vestitus. Apost. 1. ad Tim 2. Mulieres (sc Christianæ) in habitu & ornatu honesto, nō meretricio, incedere, & cum verecundia & sobrietate se ornare debēt &c. Item Bernardus ad Henric. Episc. epist 42. de luxu & superbo vestitu sacerdotū inquit: Cernitur in sacerdotibus quibusdā vestium cultus plurimus, nullus aūt virtutis, fidei, charitatis, tēperantiæ, timoris Dei &c. At inquiunt: quid monachi iudicant Episcopos & sacerdotes &c? Resp. Paul. 1. ad Tim. 2 clamat, Non in veste preciosa. Si inferioribus (id est, mulieribus) prohibetur, quantò magis superioribus? Claudere, inquit, vis mihi os, ne loquar, quandò oculi apertè vident tuā superbiā & auaritiam, aures audiūt tuam luxuriā? etiamsi ego tacuero, clamant turbæ pauperū: quid annuli in manibus? quid scyphi argentei in mensa? quid varietas vestimentorum? quid sumptuosa ædificia domorum? quid multitudo seruorum? vt intereà taceam de apertis meretricibus, nunquid hęc omnia expellunt nostram esuriem, tegunt nostrā nuditatem? nostri enim estis raptores &c. Duo ergò mala ex vestra pompa veniunt: nostra spoliatio, & vestra dānatio clamat conscientia vestra, etiā me tacente, quia hęc Ecclesiæ bona quibus impinguati estis, non manuū labore neq; iure hæreditario, sed de pane Christi possidetis, qui vos iussit pauperum habere curam. Licebat cuiq; iuxta statum & conditionem suam honesto vti habitu, sed vana curiositas in spiritualibus & sęcularibus est arguenda, dum inferiores se adæquant superioribus. Ad quid tot scissuræ, tot colorum varietates, ac modi vestimentorum? Non erunt sine peccato &

qui

qui faciunt ea,& qui deferunt. Gerſon parte 4. in ſermone de reddendo debitum: Hoc peccatum maximè omnis prædicator debet corrigere, & nunquam ceſſare, quia nunquam ſufficienter poteſt argui, nempè ornatum & ſuperbiam veſtimentorum & maximè mulierum, eſt enim Eua naturaliter ſuperba, Geneſ. tertio. atque ideò rectè faciunt magiſtratus qui legem ponunt inter ſtatus de ornatu veſtimentorum. Sed cui ſimilis eſt mulieris ornatus, niſi ſepulchro dealbato, Matthæi 23 feretro, in quo iacet anima mortua &cæt? ideò Deus ſignanter dixit homini, ne ſuperbiret, Geneſ. tertio. Memento quod puluis es. Poſtremò, quomodò Deus punierit huiuſmodi vanum ornatum, patet multis exemplis ſcripturę. Iezabel depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornauit caput ſuum, audito aduentu Iehu: ſed deijcitur, & pedibus equorum conculcatur, & à canibus dilaceratur, 4. Regum 9. Herodes ſtatuto die venit veſtitus veſte regia, & ſedit pro tribunali, & concionabatur ad populum, & populus acclamabat Dei vocem eſſe, & non hominis: confeſtim percuſſit eum Angelus Domini, &cæt. Actorum 12. Eſai 3. dicitur hoc peccatum fuiſſe punitū deſtructione Hieroſolymæ, Et erit, inquit, pro cingulo argenteo reſtis, pro ornatu capitis caluitium & dolor, pro annulis & catenis vlcera & puſtulæ, pro odore fœtor, pro pulchritudine cinis, pro ſpeculo fletus oculorum & rubedo, pro ſtibio cutis pendula &cæt.

Vndè venit quòd mulieres præcipuè ſunt ſupbę

CAPVT IX

ARGVMENTA.

1. *De peccato auaritiæ, & quid ſit.*
2. *Quæ mala ſequantur ex auaritia.*
3. *Quàm miſerè pereant & puniantur auari.*

1. APost. 1. ad Tim. 5. inquit, Radix omniũ malorum auaritia, id est, cupiditas pecuniæ seu bonorum temporalium: ex hac radice inuidia, homicidiũ, mendacium, periurium &c. nascuntur tanquam ex fonte. ad Col. 3. inquit: Auaritia est simulacrorum seruitus, & Ephe 5. dicit, quòd sit idolorum seruitus, vbi Apostolus maximè assimilat auaritiam idololatriæ, & hoc eam ob causam secundũ Chrysostomum homil. 15. super Hebr. quia auarus deridet comminationem Dei Matt. 19. Faciliùs est ire camelum &c. Cõtemnit patrem, matrem, propinquos, benefactorem &c. nullũ curat, nec ipsum Deum timet, saltẽ vt habeat lucrum & pecuniam. Matth. 6. Vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum: nulla fiducia in Deo, sed in nũmis. & ideò dicit Chrys. quòd vnus auarus peior est mille dæmoniacis. Nam Diabolus solùm suo malo laborat, sed auarus communis ærumna est ac damnũ totius ciuitatis & patrię. facit enim per suam auaritiam, vt frumenta, vina, elocationes domorum & omnia fiant cari precij, vndè rectè increpat eos Sapiẽs Eccl. 10. Auaro nihil est sceleſtius. Ideò & Christus inquit, Lucæ 12. Cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est, ex his quæ possidet. & Christus dixit similitudinem. &c.

2. Secundò, multa mala sequuntur ex auaritia, sicut inquit Apostolus, 1. Tim. 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueos Diaboli, & in desideria multa & inutilia & nociua Porrò, hæc mergunt homines in interitum & perditionem. sic Iudas auaritię laqueo fuit illaqueatus, vt proderet Dominum, Matth. 26. ita & gentilis Poëta dixit,

AEneid. 6. *Vendidit hic auro patriam &c.*

Amor enim pecuniæ pdit regna, ciuitates, corrumpit Iudices & Iuristas. Sic Balaam captus fuit laqueo auaritiæ,

auaritię, vt malediceret filijs Israël, Num. 22. hinc etiam accepta pecunia sicarij occidunt homines, nō ob odium, sed ob lucrum. Sic meretrix Dalila Samsonē fortissimum prodidit Philistęis ob pecuniā, Iudi. 16. Sic auaritia corrumpit falsos testes, quemadmodum fuerunt duo falsi testes producti contra Naboth, cuius vineam concupiuit rex Achab, & obtinuit iustitia Iezabelis, 3. Reg. 21. Et quis omnia mala recensere potest auaritię? ideò dixit ꝓpheta Ps. 118. Inclina cor meum Deus in testimonia tua, & non in auaritiam. Apostolus 1. Timoth. 6. inquit: Nihil intulimus in hunc mundum, & nihil hinc auferre possumus. Ideò est moderanda cupiditas habendi. est enim auarus similis talpæ, qui cùm cæcus sit, modò hic facit cumulum, modò illic facit: & cùm moritur, relinquit multos hinc indè cumulos terræ: sic auarus hic extruit domum, illic domum: hic cumulat pecuniam, mox illic: hîc habet negociationem, modò illic habet: & postea moritur, & relinquit alienis tot cumulos diuitiarum, tot domos, & ipse in puluerem reuertitur: & timendū est, ne cum diuite epulone anima eius perpetuò damnetur. Quamdiu autem auarus viuit, semper eget, & ingratus est erga Deum quasi nihil haberet: & cùm satis habeat, tamen omnia sibi deesse vidētur: & ipsi tam quod habet, deest, quàm quod non habet: eo enim quod habet, vti non potest. vndè fit vt Deo gratias agere non possit. Sapiens dicit Eccl. 6. Vidi sub sole malum, & quidem frequens apud homines: vir cui dedit Deus diuitias &c. & ibidem 4. cap. Vnus est, & secundum non habet, non filiū, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat, dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis &c?

Tertiò, Christus inquit Luc. 6. VAE vobis diuitibus qui hic habetis consolationem vestram. & Iaco. 5. Agitè nunc diuites, (ironia est) lætamini in voluptate 3.

ptate vestra, quia plorabitis tempore suo, & vlulabitis in miserijs vestris, quæ aduenient vobis, sed post mortem diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, &c. aurum & argentum vestrum æruginauit, id est, ærugo eorum vobis in testimonium erit, quia illud abscondistis in terra & cista, & manducabit carnes vestras, scilicet in pœna æterna, sicut ignis æruginem auri &cæt. Congregâstis vobis iram Dei thesaurizando, id est, vindictam Dei nouissimis diebus. & vltrà inquit, Ecce merces operariorum qui messuerunt regiones vestras, qua fraudâstis eos, clamat, & clamor eorũ in aures Domini Sabaoth introiuit. Scriptura enim tria peccata cõmemorat, quę specialiter dicuntur clamare ad Deum de terra, nempè occisio innocentis, Genes. 4. deindè vitium contra naturam, Genes. 18. Clamor Sodomorum & Gomorrhæ. Tertiò, pauperum defraudatio, & detentio mercedis mercenariorũ, quandò fraudantur sua mercede, vt videndum Iac. 5. In veteri testamento seruus Helisæi Prophetę, qui à Naaman ex auaritia accepit munera, lepra fuit percussus, 4. Reg 5. In nouo testamẽto Ananię & Saphirę vxoris auaritia grauissimè fuit punita. Sępè enim vita diuitũ auarorum improuisa aut mala morte abbreuiatur, dum nimiùm æstiuant pro diuitijs acquirendis, ne plus peccent vel pauperes grauãdo, vel semetipsos condemnando, & in peccata præcipitando: nam iuxta Christi sententiam, Matt. 19. diues difficilè introibit in regnum cœlorum, facilius est camelum &c. & Paulus Eph. 5. nullus auarus introibit in regnum cœlorum, &c. Diuitiæ autẽ ex se in suâ natura, sunt dona & creaturę Dei bonæ, si saltem legitimus illarum sit vsus ad laudem Dei, corporis, necessitatem, sine grauamine proximi. Sic Abraham, Dauid, Salomon, Zachęus & alij fuerunt diuites: sed si quis indè efficitur superbus, voluptuosus, epicureus, nullam habens curã proximi vel pauperum, solũ

se enu-

se enutriens in delitijs carnis. Dauid dicit, Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Ideò docuit Apostolus 1. Timoth 6. inquiens: Diuitibus huius sęculi præcipe, non sublimè sapere, neq; sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis abundè omnia ad fruendum, benè agere, diuites fieri in operibus bonis, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprę hendant vitam æternam.

CAPVT X.

ARGVMENTA.

1. *De vsura & mutuo, quid sit.*
2. *Quàm graue vitium sit in homine Christiano.*
3. *Quomodò punitur à DEO & ab Ecclesia.*

CHristus dedit pręceptũ, Luc. 6. Matth. 5. scilicet quòd in necessitate proximi ex Christiana charitate quis succurrere & iuuare debet proximum, inquiens: Mutuum dantes, id est, leyhet, nihil indè à mutatione sperantes lucri. Et iterum, volenti à te mutuare, ne auertas te ab illo. Hîc præcipit Christus, vt proximum nostrum iuuemus sine lucro nostro, nihil ex mutuo sperantes. Est autem vsura, lucrum intentum principaliter ex mutuo: vt si propter lucrum accommodas pecuniam proximo, non respicis ad necessitatem & charitatem erga proximum, si accommodas ei aliquid pecuniæ, & quotannis accipis censum, donec summa redimatur: hoc est contra Christi præceptum & charitatem proximi. Si vis esse Christianus & dici, nihil debes sperare ex mutuo. Sic Deute. 23. scribitur: Fratri tuo absq; vsura id quo indiget, accommodabis, vt benedicat tibi Dominus in omni tempore. hoc præceptũ strictè obseruanę 1.

seruant Iudæi, scilicet quòd Iudæus cum Iudæo nullam vsuram committit, sed cum Gentibus & nobis Christianis. ideò peiores sunt Christiani vsurarij ipsis Iudæis, qui vsuram faciunt cum fratre Christiano, sine omni metu & timore Dei. & habet hoc præceptū Dei etiam suam promissionem, scilicet vt benedicat tibi Dominus in omni tempore tuo. Deus enim vult esse remunerator illius operis tui, si gratis mutuas fratri tuo: nempè vult te benedicere in substantia, rebus, familia, agris, horreis in omni tempore tuo &c. Ergo tu nihil sperare debes à proximo tuo propter Deum & Christum, qui hoc ita præcepit, & talis mutuatio vel accommodatio debet fieri gratis, vt Deo hoc præcipienti, & tibi bona promittenti obedias. Videant ergo qui vinum, frumenta, & id genus merci-monia vili precio, quandò fertilis est annus, coëmūt; & si quandò proximum ob necessitatem vrgentem videant suam supellectilem ac bona vendentem, exigua pecunia ab ipso emunt, & ipsi hæc reseruant; ita vt in futuro multo carius & duplò plus illa vendant alijs, fœnerantes, proximum suum non curantes, nec rationem paupertatis ipsius vel necessitatis, immò nec pietatis habentes. Est enim auarus Diabolus mille artifex in rebus vsuræ, qui etiam suos laqueos extendit mille modis, vt proximum & communitatem fraudet. quarè Paul 1. Tim. 6. rectè dixit, qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueos Diaboli, & desideria multa & inutilia, quæ mergunt homines in perditionē. Secundò, vsura peccatum est grauissimum contra Dei præceptū Ex. 20. Non furtum facies. sunt enim vsurarij subtiles fures, & aperti deceptores, & impostores: fur occultus suspenditur ob rem exiguam furto sublatam, illi autē in purpura & auro incedunt, & multo sunt maiores fures: plùs nocent cōmunitati & toti regioni, quàm occulti & parui fures, qui (vt Sapiens ait) aliquandò furantur

Prouer. 6.

furantur vt esurientē impleant animam: illi autem cùm sint sine punitione & in magno precio, similes sunt vermibus in nuce vel pomo deuorantibus,& exhaurientibus omnem substantiā:sic vsurarij totius Reipub. substantiam ad se trahere nitūtur:& ibi nullus timor Dei, nulla conscientia. Tales vocat Apostolus Eph.5.idololatras,id est,infideles: quia tota mente & desiderio æstuant pro coaceruandis pecunijs: non enim cogitat aut terretur de futura pœna æterna,nec Deo fidit,vel curam suam in illū iactat, vt iubet scriptura, sed tantum fidit suis technis & negociationi, nec propriam curat conscientiam, quæ illū sæpè arguit,neque ius naturæ,quod docet: Quod tibi vis fieri, alteri feceris: nec leges imperiales, quæ vsuram illicitam prohibent: quarè omnis vsurarius infidelis & seruus idolorum, id est, pecuniæ & mercium suarum. Iusta negociatio nō prohibetur, modò semper habeatur respectus bonę conscientiæ,atq; necessitatis & charitatis erga proximum.

Tertiò, grauissima pœna plectentur vsurarij in hac, & post hanc vitam à Deo & Ecclesia eius. est enim Deus vindicator pauperum. Sic dicit Propheta Psal. 71. Iudicabit Dominus pauperes populi,& saluos faciet filios pauperum,& humiliabit calumniatorem. Ergo communiter malā morte decedunt, aut seipsos suspendunt,& eorum filij paulatim depauperantur. nam iuxta dictum iuridicum, 3.

De malè quæsitis non gaudet tertius hæres.

Dauid dicit Psal.14. Quis habitabit in tabernaculo tuo, &c? respondet, Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Ergo qui vsuram facit,is non introibit in tabernaculum Domini. Et Paulus Eph. 5.dicit tales non possessuros regnum Dei. Quarè certissima dānatio manet vsurarios, quod antè omnia pōderare debēt. Insuper iura varias pœnas statuūt vsurarijs.

Prima

Prima est, quòd omnis vsurarius est excommunicatus, extra de vsuris lib. 6. c. vsurarum voraginem: Altera est, quòd non debet recipi ad Christianam sepulturam, cùm in peccato vsuræ decesserit, eodem titulo, c. in omnibus. Tertia est, quòd non debeat absolui à peccatis, nisi priùs de vsuris satis fecerit, vel idoneam præstiterit cautionem. Quarta, nullus vsurarius testamentis interesse debet, neq; eleemosyna grata est Deo. nam Eccl. 9. dicitur: Qui offert de rapina pauperis &c. Sed inquies, cur non commodum meũ prouideam? an non melius vsurari, quàm furari, vel rapere, vel alio modò proximo damnum inferre? Respon. Deus est verus omnium rerum Dominus, iuxta Psal. 23. Domini est terra, & omnis plenitudo eius: ille iubet dare mutuum de illis suis bonis, & nihil indè sperare: quandò nunc, seruus rerum temporalium nõ debito negociatur cũ illis bonis Domini Dei sui, aut contra illius voluntatem, fit vt peccet quàm grauissimè. Negociari licet, sed sine fraude & dãno proximi: & paucis esse contenti, vt & proximus nostra liquid habeat &c.

CAPVT XI.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit peccatum luxuriæ, & quot modis committatur.*
2. *Cui similis sit luxuriosus.*
3. *Quàm graue peccatum sit luxuria, & quòd damna grauissima mereatur.*

1. LVxuria est voluptuosus appetitus & opus carnis, coinquinans mentem & corpus. Omnia enim peccata potissimum maculant animam, nempè superbia, inuidia, auaritia &c Sed luxuria corpus & animam maculat, ideò Apostolus inquit: Qui fornicatur,

pus suum peccat &c. & Aristoteles gentilis Philoso-
phus dicit, quod luxuria est destructio corporis, & ab
breuiatio vitæ, senectus inducitur, & mors appropin
quat: Ideò coinquinat corpus & animam quæ reddi-
tur immunda coram Deo. Committitur autem tripli
citer luxuria, cogitatione, verbo, & opere, & in vno-
quoq; grauissime peccatur. Primò, cogitatione. Mat.
5. dicit Christus, Qui viderit mulierem ad concupis-
cendam eam, iam mœchatus est in corde suo: hoc pro
adulterio reputatur. nam ibi mens atq; voluntas, si
moretur in ista cogitatione & concupiscentia, fit a-
dultera, & huiusmodi peruersæ cogitationes separāt
à Deo, Sap. 1. committunt luxuriam mentis: Exigua
res est castitas corporis, vbi voluntas voluptuosè de-
liciatur in ardenti desiderio: grauissima hæc est luxu-
ria, & quidem admodum communis in omni homi-
num statu: ita vt vix vnus inter centū inueniri possit,
qui primum lapidem iaciat, Ioan 8. Deindè commit-
titur verbis, sicut testatur apostolus Ephe 5. & dicit:
Turpitudo verborum, aut stultiloquium, aut scurri-
litas, scilicet coram virginibus & mulieribus, nec no
minetur inter vos, id est, siue in verbis amatorijs, ge-
stibus, amplexibus & osculis: omnibus hisce commit
titur luxuria, & grauior est præcedenti, & inquit Apo
stolus: Nemo vos seducat inanibus verbis, quasi hæc
peccata non sint: venit enim ira Dei in tales filios dif
fidentiæ, scilicet qui non credebāt esse peccatum hęc
verba luxuriosa. Nolite igitur effici participes illo-
rum, nam nullus talis habebit partem in regno cœlo
rum. Tertiò cōmittitur luxuria opere seu facto mul-
tis modis. Est enim simplex fornicatio soluti cum so-
luta, & hoc graue peccatum. Ideò Apostolus iubet nu
bere ad euitandam fornicationem, 1. Cor. 7. Adulte-
rium grauius peccatum, quod Deus in suis præceptis
inhibuit, Exo. 20. Non mœchaberis Incestus est cum
consanguineis, sacrilegium est cum Deo consecratis

stuprum cũ virginibus, raptus, quandò violenter cõprimuntur: est quoq; peccatum luxuriæ contra naturã, quas species luxuriæ Apostolus 1. Cor. 6. taxat, inquiens, quòd nec fornicarij, adulteri, & molles, nec masculorum cõcubitores regnum Dei possidebunt: hîc patet, quòd omnibus speciebus luxuriæ denegatur regnum cœlorum. vndè liquet, quòd grauissimũ sit peccatum.

2. Secundò, luxuriosus similis est homini vulnerato: nam vulneratus vbique secum defert vulnus & sentit dolorem. Sic vulneratus luxuria falsoué amore, non habet quietem. Semper secum defert ardorem luxuriæ, siue comedat, bibat, dormiat &cæt. semper vulnus sentit, vndè Gentilis poëta describit mulierẽ vulneratam amore.

AEneid. 4.

At regina graui iamdudúm saucia cura,
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

Est enim Sathan Cupido ille filius Veneris sagittans, & tela sua, id est, ornatam mulierem aut elegantem virum in corda hominum transfigens, & accendens amorẽ carnalem & libidinem, quæ non sanatur nisi gratia Dei liberauerit. Sic Dauid vulneratus fuit videns Bersabeam se lauantem, 1. Reg. 11. nam impudicus oculus, impudici cordis est nuncius. Deindè luxuriosus similis est equo sine freno, qui nihil boni facit: ita est luxuriosus sine ratione, quasi insaniens & furens, transiens quasi in somnio: omniũ obliuiscitur, dementatur, &c. Sic fuit infatuatus sapientissimus rex Salomon amore mulierum, ita vt ad idololatriam traheretur contra præceptum Dei sui, qui illum ita exaltauerat, 3. Reg. 11. Sic hodiè multi reguntur & infatuantur à mulieribus. Postremò luxuriosus similis est vermibus in fimo equorum, in quo viuunt, moriuntur, & putrescunt. Sic luxuriosi vitã agunt in fimo luxuriæ, de quo Propheta Ioël 1. Com-

putrue-

putruerunt iumenta in ſtercore tuo. Eſt etiam diabolus luxuriæ piſcator ille, de quo Abacuk 1. Totum in hamo ſuo leuauit, totum traxit in ſagena ſua, ità capit luxuriosos hamo ſuo (mit dem narrenſeyl) & ligat etiam fortiſſimos terræ, vt Samſonem, Herculem, & alios &c. 3.

Tertiò, ex damnis & pœnis illatis peccato luxuriæ facilè notari poteſt, quàm graue & fœdum peccatũ ſit coram Deo luxuria. Horrenda enim exempla notat ſcriptura, & 1. Geneſ. 6. cauſa diluuij fuit luxuria, eò quòd (vt dicunt Doctores) mulieres ſupergreſſæ viros, illis abutebantur ob nimium ardorem &c. Similiter propter libidinem periêrunt funditùs quinque illæ ciuitates cum adultis & paruulis. nam pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorrham ignem & ſulfur &c. Pœnę huius peccati & comminationes grauiſſimæ paſſim habentur in ſcriptura, Leuit. 20. Exod. 22. Numer. 25. vbi propter fornicationem populi principes ſuſpenduntur, & occiduntur 24. millia hominum, item ob vitiatam vxorem Leuitæ occiduntur pluſquàm 18. millia hominum, vt patet Iudic. 19. & 20. item propter violatam Dinam virginem filiam Iacob, omnes maſculi in ciuitate Sichimorum occiduntur. Sic Abſoloni malè ceſſit ſua fornicatio cum concubinis patris ſui. In Euangelio Lucæ decimo quarto: qui vxorem duxit, non venit ad cœnam, id eſt, propter abuſum luxuriæ &c. Geneſ. 34.

CAPVT XII.

ARGVMENTA.

1. *De luxurioſa & inhoneſta chorea.*
2. *Quæ peccata regnent & fiant in ſaltatione.*
3. *Quomodò puniatur à DEO.*

1. PRimò notandum, quòd scriptura commemorat honestas saltationes siue choreas, ad laudandum Deum factas in gratiarum actionem, pro victoria illis à Deo concessa. Sic quandò fuerunt liberati ab AEgyptijs, & transiêrunt mare rubrum, MARIA prophetissa cum cæteris mulieribus sumptis tympanis saltauerunt, dicentes: Cantemus Domino &c. Exod. 15. Sic post victoriam Dauid & Saul cãtârunt 1. Reg. 18. Saul percussit mille, & Dauid decem millia. Sic Dauid in reductione arcæ saltat, 2. Reg 6. Sic filia Iephthę principis cum virginibus saltat ad victoriam Ammonitarum patris, Iudic. 11. & in reuersione filij prodigi ducitur chorea cum symphonia, Lucę 15. &cæt. huiusmodi choreę laudantur, quòd non ob luxuriam seu voluptatem, sed ad laudandum Deum fiebant, & ibi solum viri aut solæ mulieres ducebant choreas, non coniunctim saltabant. Chorea verò mundana habet hanc definitionem, quòd est circulus cuius centrum est diabolus, & cuius circunferentia angeli eius circunstantes: & ideò rarò aut nunquam sine peccato fit. Talem choream ordinauit Sathan post adorationem vituli, absente Moyse, cum filijs Israël in deserto, Exod. 32. vbi pro vero Deo vitulum aureum adorârunt. ita hodiè in chorea omnes obliuiscuntur Dei, nec cogitant quòd illum offendant, sed currunt omnes post vitulum aureum, id est, complacentiam & voluptatem carnis, non recordantes se similem pœnã cum filijs ISRAël posse incurrere.

2. Secundò, in chorea omnia regnant peccata: primò superbia in ornatu vestimentorum, in pulchritudine corporis & tibiarum, contra quam superbiam scriptura dicit Psal. Non in tibijs viri beneplacitum erit ei, beneplacitum est Domino super timentes eum, &cæt. quando quisq; sibi videtur esse pulcherrimus, & maxi-

Psal. 146.

& maximè mulieres, de quibus Poëta dicit:

Sibi quæq; videtur amari,
Nulli non sua forma placet.

Deindè in auaritia committitur peccatum, si mulier videat alteram habere quod ipsa non habeat, nempè splendidiorem & cariorem stolam, vestem, peplū, cingulum, annulos precioſiores in digitis &cæ. item luxuria vt maximè regnat. tunc enim tactus impudici, oscula, susurria, circunuolutiones & alia fiunt. itē inuidia. quandò vir aut mulier videt ibi esse aliquem vel aliquam venustiori & elegantiori forma præditam, & ob pulchritudinem præferri, & primas ducere choreas, tunc inuidia regnat iuxta poëtam: Et si qua est illic formosior, inuidet illi. Hæc ira, quando contentiones fiunt de primis choreis, aut quando vident se contemni & alios honorari, aut quando non potest potiri illa aut illa virgine ad saltandū cum ea. Item gula & ebrietas, nam iuxta Philosophū, nemo sobrius saltat. tunc enim largi potus, tunc cornua sumunt, & fortiùs ac lasciuiùs saltant. Acedia quoque ibi regnat, cùm impediuntur ab omni bono opere, nec Deum, nec cultum eius, nec ferias curant, sed seruiunt Sathanæ & pompis mundi. Sæpè quoque ibi fiunt homicidia, obscœna colloquia, susurrationes, concupiscentiæ, detractiones, aliorum derisiones: & in summa, omnes vanitates, ita vt chorea non sit vnus tantùm gladius vulnerans conscientiam Christiani hominis, sed tot quot peccata ibi regnant: & nemo à saltatione redit tam probus ac puræ mentis, sicut accesserat. nō enim fieri potest, quantumcunque sanctus sit, quin aliquam occasionem peccandi, quæ conscientiam eius vulneret, acceperit: & reuera est inhonesta chorea ianua adulterij, stupri ac vitij carnis &cæ. Hinc est quòd veteres patres nullo modo permiserunt choream in festiuis vel Domi-

nicis diebus fieri, vt C. de ferijs. L. Dies festiuos maiestati altissimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari: nihil eodem die sibi vendicet scena theatralis, certamen circense, aut ferarum lachrymosa spectacula. Et de Consec. distinc. 4. C. Qui die Dominico vel solenni, prætermisso Ecclesiæ conuentu, ad spectacula vadit, excommunicetur. Item Augustinus in libr. de 10. chordis: Melius, inquit, faceret homo in agro suo aliquid vtile, quàm si in theatro otiosus vel seditiosus staret: & melius fœminæ die sabbatho lanam facerent, quàm toto die in neomenijs suis saltarent impudicè &cæt. Sed nos hodiè nec tempus, nec diem curamus, & maiora ac plura peccata committuntur nunc in diebus festiuis, quàm alio tempore, quia magistratus non inhibet nec punit, & populus nullam habet conscientiam. Posset autem sustineri chorea, si fieret honestæ recreationis gratia, seclusa omni impudicitia, cum moderatis moribus, debito ac licito tempore & loco, non festiuis aut prohibitis ab Ecclesia diebus, & posset defendi hac authoritate Ecclesiast. tertio. Est tempus plangendi, & tempus saltandi. Sacerdotibus autem & clericis, in sortem Domini vocatis & in eius ministerium, planè non licet choreas ducere, multo minùs monachis, 21. dist. c. Cleros, sed inquias: Si filia mea non visitat choreas, non conspicitur, nec ambitur à procantibus, & quandoque contractus sponsalium ibi fiunt. Propterea puellæ potiùs cibum & potum negligerent, quàm vt emanerent è chorea. Respond. scriptura docet Deum rogandum esse pro bono coniugio, Prouerbior. 19. non iubet ire ad choream. Sic virgo Sara Tobiæ 3. dum exprobraretur ab ancilla, quatenùs occidisset septem viros, inquit ad Deum: Tu scis Domine quòd nunquam concupiui virum, nunquam cum ludentibus, id est, chorizantibus miscui me, neque cum his qui in leuitate ambulant

bulant &c. attamen illa tandèm accepit in virum iuniorem Tobiam virum sanctum &c. Postremò quantum displiceat DEO inhonesta chorea, patet ex punitione. nam Moyses saltantes coram vitulo interfecit penè 23. millia, Exod. 32. & decollatio Ioannis Baptistæ, quo non maior fuit inter natos mulierum, Matthæi 11. prouenit ex saltatione puellæ, cui rex simulatum iuramentum tenuit &cę. Sequitur autem ex huiusmodi saltationibus non solùm mors animę, sed etiam mors infantum, cùm prægnantes mulieres inter saltandum immodicè circumgyrantur, ita vt non solùm nudi pedes, sed nescio quę alia videantur, & sæpè incidunt in infirmitates ob nimiam fatigationē & inflammationem &c. adde quòd nec vllarum regionum externarum saltatio turpior est quam Germanorum. Marc. 6.

CAPVT XIII.

ARGVMENTA.

1. *De peccato iræ, & quid sit.*
2. *Quos gradus habeat & Christus notauit.*
3. *Damna quæ sequuntur ex ira.*

PRimò, ira est motus animi, qui se cupit vlcisci in alio, siue per verba vt conuicia, blasphemiæ, exprobrationes, aut facto per vim, per vulnera, homicidium, & alia damna siue aperta, siue clancularia &c. Ideò admonet nos Apostolus Iacobus: sit omnis homo tardus ad iram ira enim viri iustitiam Dei non operatur, Iustitia Dei fides, pax, timor, charitas &cę. sed iracundus nec Deum timet, nec pacem, nec charitatem vel amorem proximi habet. Homo igitur Christianus tardus esse debet ad iram. Est autem duplex ira, iusta & iniusta. Iusta ira est sine peccato, & fit 1.

quando contra culpam & peccatum fratris quis irascitur, non contra personam fratris: nam aliud est irasci fratri, aliud culpę fratris. Sic Moyses māsuetissimus & seruus Dei irascebatur proijciens in terram duas tabulas, & fregit, & occidit 23. millia hominū. Sed in peccatū idololatriæ sic exarsit Exo. 32. Sic Phinees occidit virum & mulierē in actu Venereo cōtra pręceptum Dei, Num. 25. Sic Dauid nuncio irascebatur, qui interfecit regem vnctū Domini, 2. Reg. 1. & Helias propheta Sacerdotes Baal, tertio. Regum 18. Sic Petrus peccatum mendacij quod vir cum vxore commisit, Actorum quinto corrigit, & moriuntur &cæt. Omnia huiuscemodi facta sunt propter culpam, non fratrem aut personam. Corpora punita sunt & occisa, vt Spiritus viueret, si pœnituerint corde, & fidem ad Deum seruauerint. & sic inquit propheta, & Paulus Ephes. 4. Irascimini, & nolite peccare, id est, culpę irascimini, sed ita, ne ira grauior sit peccato, pro quo irascimur. Iniusta autem ira grauissimū est peccatum, quando quis sine causa & veritate, ex detractione vel alio signo occasionem sumit, & irascitur per multos dies: & hanc maximè prohibet scriptura & Deus. Talis erat ira Cain aduersus Abel, Genes. 4. Talis regis Saul contra regem Dauid, 1. Reg. 18. Iustus igitur habet causam ex Zelo Dei, nec ipse irascatur, vt patet in Moyse, Phinea, Helia, & Christo ipso, cùm è templo eijceret vendentes &c. sed iniusta ira est grauissimum peccatum. 1. Ioan. 3. Qui odit fratrem suum, id est, personam vel hominem, & & non peccatum eius, homicida est &c.

2. Secundò, ira habet suos gradus & etiam grauitatem pœnarum, secundùm gradus. Ita enim Christus tres ponit gradus iræ, Matthęi quinto: Audistis quia dictum est antiquis, Non occides. Qui autē occiderit, reus erit iudicio. Ego autē dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, scilicet occultè in corde etiamsi

etiamsi os & manus quiescit, reus erit iudicio. Deinde secundum ponit gradum, dicens: Qui autem fratri suo dixerit, Racha, reus erit concilio. Posteà tertium ponit gradum: Qui autem dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis: Hos tres gradus ponit Christus, veluti quandò malefactor ad iudicium ducitur, vt occidatur & corrigatur. nam qui vnum occiderit, is dignus est iudicio, id est, vt pro tribunali sistatur coram quo accusetur, & quatenùs sententia feratur tāquàm in talem, qui mortem meruerit, iste est primus gradus ad mortem: sed nondùm lata est sententia, habet enim adhuc spatium interloquēdi, quatenùs possit liberari: deindè, quandò sententia lata est, quod mori debet homicida, tunc incidit in concilium, qua pœna aut quo genere supplicij debeat puniri, vtrùm igne, an gladio, an virgis tantùm &cæt. & iste est secundus gradus, morti proximior, quàm prior erat, ira vt iam nec liberari, nec effugere possit. Tertio, quandò sententia de pœna diuulgata est per consultationem iudicis, tunc traditur Lictori, vt exequatur iustitiam: & hic est vltimus gradus. Sic Christus notat quoq; hos gradus, & primò quòd qui irascitur fratri, quòd is dignus sit gehennæ ignis, hoc est iudicium, & sententia hæc iam diuulgatur, quòd dignus est igne gehennæ: qui etiam vltra iram cordis dicit Racha, id est, qui signo exteriori etiam irascitur, is grauiùs peccat, & profundiùs tendit in infernum: qui verò etiam verbo, fatue, & manum infert, occidit atque irascitur, is profundissimè ad infernum tendit: & sic iræ est vna condemnatio ac pœna infernalis, attamē eò ampliùs & grauiùs erit pœna ignis, quantò magis abundauerit malitia & ira: nam secundùm gradus delicti erit & plagarum modus. Ex prædictis gradibus liquet, quàm graue peccatum sit ira iniusta. Vult enim Deus à nobis pacem & charitatem mutuam atq; fraternam, non iram vel rancorē:

non vult vt alter alterum condemnet aut occidat: nã omnes vitam ab ipso habemus atque salutem, ipse solus diues est in omnes, Romanorum 10. Vndè Iacobus & Ioannes Luc 9. commoti, quòd Samaritæ non recipiebant Christum, dixerunt: Domine, vis vt ignis descendat de cælo, &cæt? & increpauit eos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis. filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Hunc magistrum debemus sequi, & non affectus nostros. Ephes. 5. Sol non occidat super iram vestram, &c.

§. Tertiò, grauissima damna sequuntur iram: primùm, quia Deus de corde nostro expellitur, & diabolo locum damus per iram, id quod periculosum est, secum deferre in corde Sathanam, cum eo die noctuque comedere & bibere: vbi enim est charitas, ibi Deus habitat, vt 1. Ioan quarto. Deus charitas est, & qui manet in charitate, manet in Deo, & Deus in illo. Si igitur diabolus cor nostrum per iram possidet, quomodò Deus in nobis manet? vndè apertè iubemur Ephes. quinto de vitanda ira, vt non locum demus diabolo. Nemo igitur ad dormiendum se componat, quin priùs iram abijciat, & Ephes. 4. Nolite spiritum Domini contristare. sed tunc contristatur spiritus sanctus, quandò per iram & peccatum expellitur. Ob id Apostolus flectit genua ad Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, quatenùs Christus habitet in cordibus nostris per fidem, & propheta Dauid Psalm. 50. petijt, Spiritum sanctum tuum nè auferas à me. Ideò dicitur, Nolite contristare spiritum Dei, in quo consignati estis in die redemptionis. Ideò omnis amaritudo, ira & blasphemia tollatur à vobis, & estote inuicem benigni, mites & misericordes, donantes inuicem, sicut Deus donauit nobis in Christo, id est, propter Christum. Secundum damnum est, quòd ira non solùm priuat Deo, sed etiam vitam nostram

ſtram minuit. Eccle. 10. Zelus & iracundia minuunt dies, impediunt & tollunt rationem. vnde Cato:

Impedit ira animum, ne poſsit cernere verum.

Vndè iracundi aſſimilātur lapidi, qui percuſſus, ſcintillam emittit. Sic iracundus tactus verbo, prorumpit in blaſphemias, conuicia & rixas. Iob. 18. lapis calore ſolutus, in æs conuertitur, id eſt, ſonum reddit &cæt. Porrò iracundia eſt ſicut æs aut cymbalum. Gregorius: Qualis vnuſquiſque apud ſe latet, illata contumelia probat. Tertium damnum eſt, quòd ira non ſolùm nobis ipſis nocet, ſed etiam omnibus alijs hominibus & creaturis. Occidit enim homines, & in mille & irreparabilia damna inducit. Vndè enim incendia vrbium, & villarum depopulationes, ac deuaſtationes agrorum, vinearum, &cæt. niſi ex ira? Sic Abſolon incendit meſſem Ioab, 2. Reg. 14. qui poſteà fuit ſuſpenſus & transfixus. Sic Samſon incēdit meſſem Philiſtinorum, Iudic. 16. Sed poſteà ipſe captus & oculis priuatus fuit. & Matth. 25. Si Deus eſt puniturus eos, qui peregrinos & pauperes non vel colligunt vel recipiunt hoſpitio, quantò magis illos, qui alios ex furore ſuo priuant & domibus, & agris, & bonis ſuis?

CAPVT XIIII.

ARGVMENTA.

1. *Quid ſit maledictio & conuicium*, fluchen oder ſchelten.
2. *Quas perſonas ſingulariter exprimit ſcriptura, ne eis maledicamus.*
3. *De pœna maledicentium.*

Primò



1. Rimò, maledicere eſt proximo ſuo ex commotione iræ ſeu inuidiæ quidquis malũ increpari, & eum diris deuouere, peſti, plagæ corporis & animæ, quod eſt grauiſſimũ peccatum, & contra regulam quã nobis præcepit Chriſtus Matt. 7. Omnia quęcunq; vultis vt vobis faciant homines, eadẽ & vos illis facite. Ideò Apoſtolus Rom. 15. admonet, dicẽs: Benedicite, & nolite maledicere, quia hoc eſt contra charitatem proximi: hoc vitiũ maximè excitat Sathanas ex ira & inuidia contra proximum in congregatione aliorũ, ſicut in conuiuijs menſæ. Sic enim Sichimitæ inter epulas & pocula maledicebãt Abimelech, Iudi. 19. Sed poſteà pœnam grauem ſuſtinuerunt &cæt. Inter commenſales enim nihil niſi bonum de abſentibus eſt dicẽdum: de maledicis autem Pſalmiſta dicit Pſal. 5. Venenum aſpidum ſub labijs eorum, linguis ſuis doloſè agebãt, iudica eos &c. id eſt, punias eos Deus. Maxima contumelia fit Deo, **ſchmähunge**, per hoc vitium maledictionis. Nã vt dicit Auguſtinus ſerm. de S. Stephano, Deo aliud imponitur officium, quàm ſibi competit. Deus enim vult omnes homines ſaluos fieri, 1. Tim. 2. & ideò miſit filium ſuum in mundum, vt mundus ſaluaretur per ipſum, Ioann. tertio, & Eccleſia orat: Deus, cui proprium eſt miſereri & parcere, &cæt. & in litanijs orat, ne Deus plagis diuerſis nos perimat, ſed nos cõſeruare dignetur à peſte, gladio, ſubitanea morte &c. Quàm igitur graue peccatum ſit, quod ex Deo facimus aduerſarium noſtrum, & quaſi lictorem aut ſicarium, qui tamen dicit Eze. 18. Nolo mortem peccatoris, &cæt. videant illi quibus hoc peccatum commune eſt.

2. Secundò ſcriptura notat quædam hominum genera, quibus maledicere grauiſſimum eſt peccatum, & primò prælatis, rẽctoribus & Magiſtratui. Exo. 22.

Dijs

Dijs non detrahes, & Principi populi non maledices. Ideò Numer 21 legitur, quandò populus murmurabat contra Moysen & Aaron, quòd à serpentibus consumptus est: est enim omnis potestas à Deo, Rom. 13. Qui ergò resistit & maledicit potestati, ille Deo & eius ordinationi maledicit Debemus autem hanc venerari & obedire propter Deum, 1. Pet. 2. eò quòd Dei locum tenet. Deindè parentibus nemo maledicere debet occultè vel publicè Leuit. 20. Qui maledixerit patri vel matri, morte morietur. Vult enim Deus vt honorentur parentes & timeantur, Leuit 19. id est, DEVS est honorandus ac timendus in parentibus. Dei enim ordinatione tales personæ nobis datæ sunt in parentes. Igitur non solum naturaliter, sed etiam proprer Deum sunt honorandi. Vndè Deutero. 21. Si filius fuerit proteruus, & illorum monita spreuerit, &cæt. ducent eum ad seniores ciuitatis, & lapidibus obruet illum populus, vt vniuersus Israel audiat & pertimescat. Tertiò, non debemus surdo, id est, absenti maledicere. Leuit 19. Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum, sed timebis Dominum Deum tuum, &cæt. Quartò, nemo semetipsum debet deuouere plagis, vt faciunt irati, cùm inquiunt: Vt mihi terra dehiscat, vel, si hoc non fecero, diabolus me auferat, aut me pestis teneat, &cæt. non enim ipse Archangelus Michael diabolo maledixit, vt ait Iudas in sua canonic. sed inquit, Imperet tibi Iudæ 1. b
Deus, neq; etiam bruto animali maledicas, quia creatura Dei est. Nulla igitur creatura Dei est maledicenda, Ideò dicit Propheta Psalm. 36. Quia benedicentes hæreditabunt terram: maledicētes autem disperibunt. Qui igitur vult verus esse Christi discipulus, ille patiēter debet ferre aliorum maledictiones propter veritatem, sed nulli ipse debet maledicere, 1. Pet. 2. Qui (id est, Christus) cùm malediceretur, non maledixit. Romanor. 12. Non maledictum pro maledicto. Sic

cto. Sic 1. Corinth. quarto, Maledicimur, & benedicimus. & Luc. 6. Benedicite maledicentibus. etsi hoc graue sit pati, attamen maior erit corona. Matth. 5. Beati eritis cùm maledixerint vobis homines, &cæt. Hoc proprium est hæreticorum, nempe lingua bestiæ; Apocal. 13. &c.

Tertiò, Apostolus Paulus quoties hoc peccatum taxat, inquit, quòd tales regnum Dei non possidebunt. 1. Corinth. sexto: Neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. & Galat. quinto numerat hoc vnum inter opera carnis, & dicit, Maledici non possidebunt regnum Dei. Graue ergò vitium sit oportet, quod priuat vita & regno Dei, & quidem admodùm commune est hoc vitium iam in mundo, sed nemo corrigit. Quòd si ille qui dicit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis: quid de alijs maledictionibus grauissimis & pessimis nominibus erit, quibus læditur proximus? Augustinus sermone septimo de S. Stephano scribit, terribile exemplum de muliere matre, quæ decē filijs suis maledixit, & quomodò pueri sunt puniti &cęt. vide serm. Insuper scriptura notat aliqua vitia, quæ faciunt incurrere maledictionem Dei, vt mendacium, sicut serpens maledicitur Genes. tertio, aut negligentia præceptorum Dei, Deuter. 28. Derisio vel inhonoratio parentum, vt Noe maledixit Chanaan, Gene. nono. Etiam in figura fiūt maledictiones. sic Christus maledixit ficui, Matth. 21. notans sterilitatem verorum fructuum fidei in Iudæis, etsi foris cum cæremonijs splendebāt. Sic Helizæus propheta maledixit pueris, 4. Reg. secundo, notans peccata parentum in filijs, &cæt. Igitur huiusmodi maledictiones sunt nobis documenta, ne incidamus in peccata: at dùm homo hominem odit, & ei ex ira maledicit, grauissimū est peccatum, & cum huiusmodi Apostolus 1. Cor. 5. prohibet cibū sumere, & quòd à communitate aliorum debeat excom-

communicari. At inquis: licet ne reprehendere manifesta & publica vitia? Respon. Christus inquiens, Luc.6. & Matt.7. Nolite iudicare &c. non prohibuit officium iudicis aut concionatoris, sed prohibet priuatam maledicentiam, & in rebus dubijs calumnias. Est aũt priuata maledicentia quandoq; extra iudiciũ aut concionem aut deliberationem. Dicũtur in alios conuicia, etiamsi vera & manifesta sunt, quæ fiunt, vel vt ille emendetur, vel vt ei rectiùs consulatur, sed erumpũt, aut ex naturæ vanitate, aut ex morbo animi, idq; hoc tempore vsitatum est &c.

CAPVT XV.

ARGVMENTA.

1. *De peccato inuidiæ, & quid sit.*
2. *Cui sit similis inuidus.*
3. *Quantùm noceat homini inuidia.*

INuidia est dolor alienæ fœlicitatis, ꝓsperitatis aut fauoris, sicut diabol' inuidet nostram fœlicitatem, Sap.2. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem. Sic inuidia serpẽtis ꝓstrauit parẽtes, Gen. 3. Inuidia Cain nõ potuit quiescere donec occisus esset Abel, Gen.4. Sic inuidebãt filij Iacob fratri suo Ioseph, Gen 37. sic Saul inuidebat Dauidi, qui tamen illum omnib. affecit beneficijs. 1. Reg. 18. Sic Iudas inuidet Christo, quòd à sancta muliere vngeretur, cùm diceret: Ad quid perditio hęc? Mat. 26. Est igitur inuidia dolor alienæ fœlicitatis siue ꝓsperitatis. Sed scriptum est Prouerb. 17. Qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus. Hæc inuidia duas habet filias, dolorem in prosperis, & gaudium in aduersis proximi. Quare inuidi sæpè sic sunt infœlices, quod ipsi amittunt quicquid alij lucrantur: ipsi de sanitate aliorum infirmantur, de prosperitate aliorum intabescunt, 1.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

scunt, & de malis atque incommodis aliorum gaudent: vndè optat Seneca, inquiens: Vtinam inuidi in omnibus ciuitatibus aures & oculos haberent, vt de singulorum prosperitatibus ac honoribus torquerẽtur &c. Contra hoc vitium Christus & tota scriptura vbique inculcat charitatem proximi, quę charitas est quasi vita spiritualis, qua corã Deo viuimus, 1. Ioan. tertio. Nos scimus quia translati sumus de morte ad vitam, si diligimus fratres. Qui non diligit, adhuc est in morte, id est, nondum venit ad vitam, qua in fauore & gratia Dei viuimus: nam in illo est efficax vita æterna, quam Christus nobis meruit, & amplius prædicat de dilectione contra odium, inquiens: Omnis inuidus animam suam occidit per odium, eò quòd manebit in æterna morte. Ideò dicit Apostolus, Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Tertiò prædicat Euangelista contra inuidiam, 1. Ioannis 4. inquiens: Si quis dicit quoniam diligo Deum & fratrem suum odit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? & hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suũ: hæc omnia Apostolus contra odium & inuidiam.

Secundò, similis est inuidia in homine vermi in ligno, rubigini in ferro, & tineę in vestimento. nam ista sicut rodunt proprium subiectum, & consumunt illud priusquàm alia: ita inuidia rodit ipsum inuidum, & plùs inuidus nocet sibijpsi, quàm alijs Prouerb. 14. Vita carnis, sanitas cordis: putredo ossium, inuidia. Habet quoque inuidia triplex signum: pallescit enim facies, quandò intuetur quem odit: deindè oculos deprimit, nec audet illum in faciem adipicere: Tertio, dentes ex cõpressione sæpè stridենt, & membra exteriora frigescunt. Sic ad prædicationem S. Stephani Iudæi dissecabantur cordibus suis, & stridebant

debant dentibus in eum. His ergò signis cognoscitur inuidia, quam gentilis poeta pulchrè describit, cùm inquit:

Liuor tabificum malis venenum,
Intactis vorat ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem:
Vt debet sibi pœna semper ipse est.
Testatur gemitu graues dolores:
Suspirat, gemit, incutitq́, dentes,
Pallor terribilis genas colorat,
Infœlix macies renudat ossa, &c.

Christus autem dicit Ioan.13. In hoc cognoscent homines quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. Tristitia igitur alienæ fœlicitatis, & gaudium de alieno periculo, intelligitur de bonis & pijs hominibus, quandò dolent de impiorum exaltatione: fortuna enim quod dignis adimit, transfert ad impios, & hanc tristitiam nō condemnat scriptura, 1. Machab.2. Matathias fuit plurimùm contristatus de prosperitate & exaltatione Regis Antiochi, & Psal.57. Lætabitur iustus cùm viderit vindictam impiorum, & Psalm.106. Videbunt recti, & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os suum. Sic sæpè gauisi sunt Christiani sine amissione charitatis de morte Tyrannorū, quia talis interitus erat augmentatio fidei atque religionis, & ne tot scandala fierent per malos & crudeles tyrannos, quemadmodùm tradit tripartita histor. temporibus Arrij contigisse.

Tertiò, grauissima damna inuidiæ recensetscri- 3.
ptura, ideò maximè fugienda: Primò, inuidus non est Dei filius, nec cognoscit Deum, neq; in Deo manet: & qui Deum non habet, nec cognoscit, quem alium habet, nisi Sathanam? Hoc probatur 1. Ioan. quarto.

Qui non diligit fratrem, non nouit Deum, quoniam Deus charitas est, & omnis qui diligit fratrē suum, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. quid enim est Deus, nisi charitas? qui ergò inuidet, charitatem non habet, nec Deum habet: atq; sic neque remissionem peccatorum, neque vitam æternam habet, &c. Augustinus serm. 5 de S. Stephano: Qui vel vnū hominem in hoc mundo odio habet, quicquid Deo in operibus bonis offert, totū perdit: quia non mentitur Paulus, qui dicit 1. Cor 13. Si dedero omnes facultates meas in cibos pauperum, & si tradidero corpus meū vt ardeam, si habuero omnē scientiam & omnem fidem, ita vt montes de loco transferam, & non habuero charitatem, nihil mihi proderit ad salutē: ideò vult Deus vt ante omnia reconcilietur frater, Matt. 5. Nec orationem, nec sacrificiū vult, sed misericordiam & reconciliationem. Oseæ 6. Augustin. vbi sup. Tu enim inuidus attendis quid tibi fecit homo, sed non pensas quæ tu quotidiè facis contra Deum, & quidem multò grauiora: quare non dimittis proximo tuo offensam, vt & tibi Deus remittat tua peccata? attende quid dixerit Christus Matt. 6. Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater cœlestis peccata vestra. Deus non vult tibi remittere peccata, nisi tu priùs proximi tui contra te delicta remiseris. Sic enim quotidiè oras Matth. 6. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus &c. nō quòd tua remissio peccata remittat, sed Deus propter semetipsum & verbum suum: attamen si te non disposueris &c. attende historiam serui cum conseruo Mat. 18. At inquiūt? frigescit cor meum ad contuitum inimici, non possum illi loqui &c. Augustinus: Fac hoc propter Deum, quod propter homines potentes facis atque diuites: non audes cum potentiore certare iudicio, sed oportet vt cum patientia sustineas tyranicam violentiam, idem fac hic & propter Deum, &

Matt. 9. & 12.

magna

magna te expectabit patientiæ corona, Matth. 5. Beati eritis cùm oderint vos homines propter veritatem, &cæt.

CAPVT XVI.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit detractio.*
2. *Quomodò detractor teneatur ad restitutionem famæ proximo ablatæ.*
3. *Quomodò puniatur à Deo detractio.*

DEtractio est malus & falsus sermo, quo proximus in fama læditur & honore priuatur, idque in absentia: nam sicut noctua non in die, sed in tenebris volat: sic detractor non in faciem, sed dorsum loquitur. de talibus dicit Apostolus Romanor. primo, detractores Deo odibiles. odit enim Deus illos, & est spiritualis homicida omnis detractor. nam ille cui detrahitur, in conscientia eius qui audit illam detractionem, occiditur, in cuius conscientia priùs viuebat per bonam famam: & tale homicidiũ grauius est corporali: nã in corporali homicidio corpus vnius occiditur, hîc autem multorum animæ, nempe detractoris & auditoris seu auditorum. deindè grauius est hoc peccatũ homicidio naturali, quia serpit de vno ad alium: nam vnus est sæpè qui loquitur, & tamen vnum verbum in eodem momento multitudinis audientium, dum aures trãsfigit, animas interficit: hoc non fit in homicidio corporali. Est autem sicut cætera peccata, contra scripturam Exo. 22. Dijs (id est, superioribus) non detrahes. & Iacob. 4. Nolite detrahere alterutrum &cæt. Sed nemo est qui audiat hoc peccatum esse inhibitum à DEO. Præterea hoc peccatum comparatur cani, Ecc. 19. sagittã infixa femori canis, sic verbum in ore stulti. canis sagittam habens

in femore, non quiescit donec remouerit: sic stultus quiescere non potest, donec verbum quod audierit, alijs retulerit: similes sunt porco, qui priùs os quàm pedes coinquinat, & ingrediens hortum, potiùs lutum quã flores inuadit. Sic est os detractoris, etsi manus non vulnerat, tamen os lædit, & carpit inferiora proximi, id est, lutum: non autem flores, id est, bonitates eius refert, sunt quoq; similes Iudæ, qui occulto signo Christum prodidit &c.

Secundò, quum furtum sit spiritualis detractio,
2. quod Dominus prohibuit Leuitic. 19. surdo (hoc est, absenti) ne detrahas vel maledicas. nam vt dicit Salomon Prouerb. 22. melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. Igitur qui furatur alteri famam, plus facit quàm si aurum & argentum: vestes & alia furaretur &cæt. Et quoniam peccatum non dimittitur, nisi ablatũ restituatur, quia talis nondùm dolet peccâsse se interim dum retinet ablatum: ergò non potest consequi remissionem & salutem, nisi restituat & doleat: qui igitur, vt Gerson ait, lædit iniustè infamando proximum, tenetur restituere damnum illatum, & retractare id, quod falsò imposuit, ita publicè & coram illis, sicut & coram quibus diffamauit: nam per bonam famam multa conciliãtur bona apud populum, vt patet in concionatoribus, prælatis, gubernatoribus: & è diuerso per infamiam multa mala fiunt, nempe contemptus superiorum, inobedientia, &c. Ob eam igitur maximè causam Deus prohibuit, ne superioribus detraheremus, Exod. 22. At quídam inquiunt: Verum dico de illo, & nõ mentior. Respon. Deut. 16. præcipitur, Quod iustum est, iustè exequere: id est, habes caput & ordinem iudicij: illic appella & loquere, si quid iustum vel iniustum habes. Sed occultè & absenti & apud quosuis detrahere, hoc enorme est peccatum. Sunt quoque tales detractores peiores ipsis canibus, lupis ac cæteris feris: nam illi deuo-

deuorant carnes viuentium, detractor autem non solùm viuentes, sed etiam iamdudum mortuos atque fœtentes, dētibus detractionis rodit, & non sinit quiescere in pace, sicut orat Ecclesia pro defunctis.

Postremo, Apostolus Rom. 1. inter alia peccata hoc quoq; vitium recensens, inquit, tales esse reiectos in reprobum sensum atq; damnatos, & non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus: ergò non solùm detractores sed etiam auditores damnationem incurrunt: nam serpens detractor est, infecit naturam nostram in parentibus, Gen. 3. vndè & hodiè libenter audimus cōtra alios susurrātes & obloquētes. S. Augustinus hoc peccatum maiorem in modum detestabatur, ità vt neminē admissurus esset ad mensam, qui alijs detraheret, ideoquè & hos versus ipse mensæ suæ inscripsit: 3.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Est enim maxima abusio linguæ, qua Deus hominem præ cæteris animalibus donauit, non vt proximum suum obloquendo seu maledicendo roderet, sed Deū suum laudaret, benediceret, gratias ageret, & proximum suum iuuaret. Quarè Deus aliquādò visibiliter punit talem abusum linguæ, vt in hora mortis fiant elingues, vt nec loqui, nec peccata sua confiteri possint: & dives epulo in flamma maximè cruciatur in lingua, Lucæ 16. facit enim detractio odibilem Deo, & priuat nos regno cœlorum, 1. Ioan. 3. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, & lædit charitatem proximi, quæ omnia sunt maxima & periculosissima damna: sed hoc vitium in hominibus nemo domare potest, præterquàm Deus. Iacob. tertio. Linguam nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena mortifero veneno lingua: in ipsa benedicimus Deum, & maledicimus homines. Sed non sic

fratres &cæ. Ideò Gerſon dans remedium contra detractionem, inquit: Cogitet primùm detractor propriam ſuam fragilitatem & defectum. nam iuſtus in principio eſt accuſator ſuiipſius. Deindè cogitet, ſi fortè fuiſſet ipſe in tali ſtatu & occaſione, ſicut ille fuit, ſimiliter cecidiſſet. Eſt enim multiplex occaſio peccandi, deindè cogitet, quàm periculoſum ſit alienum ſeruum iudicare, qui Domino ſtat aut cadit, Romanor. 14.

CAPVT XVII.

ARGVMENTA.

1. *Quid ſit mendacium.*
2. *Cui ſimilis ſit mendaciloquus.*
3. *Quam grauiter puniatur à Deo.*

1. MENdacium eſt falſa locutio contra veritatem & conſcientiam fallens, & hoc maximè prohibuit Deus, cū dicit Mat. quinto: Sit ſermo veſter, Eſt eſt, Non non. Et Zachar. 8. Loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo. Hæc verba ad Epheſ. quarto repetit Apoſtolus, & adiungit, quandò inuicem ſumus membra. Anima enim noſtra nihil adeò deſiderat, quàm ſcire veritatē in rebus omnib. ſed hoc quod homo deſiderat, i. veritatē ab alijs, ipſe non dicit alijs: hoc enim vitium mentiendi venit à Diabolo, qui primum commiſit mendacium, Gen. 3. inquiens: Nequaquàm moriemini &c. vndè dicitur pater mendacij, & Spiritus mendax. Quotquot ergo mendacijs aſſueuerunt, filij ſunt diaboli, ſicut Chriſtus exprobrat Iudæis: è diuerſo qui filij DEI ſunt, veritatem amant & loquuntur &cæt. Eſt triplex mendacium: Iocoſum, quod licet ſit ſine damno alterius, id eſt, dum recitatur fabula, eſt tamē verbum ocioſum, de quo homo cogetur reddere rationem,

Ioan. 8.
3. Reg. 22.
Ioan. 8.

nem, Matth. 12. deindè est mendacium officiosum, id est, non ô ter., quale erat obstetricũ in Aegypto, Exo. 1. & Michol vxoris Dauidis, 1. Reg. 19. Tertiò est pernicioſum mendacium ad fallendum & decipiendum proximum, quale erat mendacium Iudæorum, quod spargebant de discipulis Christi, quòd corpus ipsius ex sepulchro furati essent. Eiusmodi mendacia mul- Matt. 28.
tùm sunt pernicioſa fidei, & veritatẽ impediunt &c. lingua hominis multa in se habet periculoſa vitia, nempe mendacium, detractionem, maledicentiam, adulationem, turpiloquium. De adulatione autem dicitur Eccles. 7. Melius est à sapiente corrigi, quàm stultorum adulatione decipi. hoc vitio adulationis pauciſſimi hominum carent &cæt. Huiusmodi verò plerunque inueniũtur in aulis principum ac regum, & sunt pestes nocentiſſimę, neque aliquid nocentius inuenitur lingua adulationis. Psalm 54 Molliti sunt sermones eius super oleum. Ideò Ezech. 13. maximè inuehitur contra adulatores, dicens: Hæc dicit Dominus, Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito &c. Esai. 3. Populę meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. est quoque vitium linguæ, in sermone & verbis esse bilinguem, quod parit omne malum. Prouerb. 8. Os bilingue detestor, hoc vitium maximè abominatur Apostolus 1. Timot. 3. & qui tales sunt, indignos dicit episcopatu. & Iacob. 3. cõtra hoc vitium inuehitur, vt suprà recẽsuimus, & Apostolus 2. Thes. 2. inquit: Ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, & iudicentur omnes qui nõ crediderunt veritati, sed cõsenserunt iniquitati Qui enim dulcem veritatem cõtemnit, dignus est vt mendacijs satietur.

Secundò, lingua mendax similis est scintillę ignis, 2.
quæ totam syluam accendit: item lingua intemperans est peior serpentibus, volucribus & bestijs, quæ domari possunt: sed linguam nemo domare potest. Ti-

tem nulla scaturigo simul emittit dulcē & amaram aquam, nec ficus vuas producit, nec vitis ficus: lingua verò hominis mendaciloqui ex vno ore calidum & frigidum profert, id est, benedictionem & maledictionem, veritatem & mendacium &cæt. Est autem homo intemperantis linguæ, similis equo sine freno, & naui sine gubernaculo, eò quòd nō regitur nec domatur. Est quoque similis falsæ monetæ, quæ in superficie apparet esse bona, & sicut gratior ac precioſior est moneta bona, quàm falsa, ita homo verax prævalet mendaci. Gerson maluit aliquem esse luxurioſum aut vinoſum, quàm mendacem, eò quòd vitia cessarent in senectute: sed mendacium adhæret & sepulcrum ingreditur &c.

3. Tertiò, pœna mendacij est perditio salutis. Psal. 5. Odisti omnes qui operantur iniquitatem, & perdes illos qui loquuntur mendacium. & Prouerb. 12. Abominatio est Deo labia mēdacia, sicut hominibus est abominatio, si cui os vel anima fœteat, aut qui morbo aliquo affectus est: ita Deo abominabilis est mendax: est quoque mendacium venenum animæ lœtiferum, iuxta illud Sapient. 1. Os quod mentitur, occidit animam. Præterea Matth. 5. Christus beatificat pacificos, quòd filij Dei vocabuntur. Qui ergò per conficta sua mendacia seminant odia, iurgia & pugnam inter proximum, illi sunt filij diaboli. Est enim proprium mentientium, vt semper rem magis exaggerent, & aliquid addant ad concitandas aliorū mentes, sicut occiso vno filio Dauidis, fama peruenit ad ipsum, quòd Absalon percussisset omnes filios Dauidis, 2. Regum 13. sed DEVS vt plurimùm vlciscitur mendacium in ipso authore, ita vt malum quod per mendacium alteri intendebat, in caput ipsius redundat: sicut contigit Haman, qui per mendacium impetrauit à rege, vt omnes Iudæi vno die occiderentur. Sed hoc malum consilium & mendacium ipsi

fuit

fuit peſſimum, ſuſpenſus enim fuit &c. Heſter 7. ſed hoc vitium hodiè ita commune eſt, vt non reputetur amplius pro peccato. Oſeę 4. Maledictum, mendacium, homicidium, furtum inundauerunt &c. Quia igitur Deo & hominibus facit abominabilem, maximè fugiendum eſt &c.

CAPVT XVIII.

ARGVMENTA.

1. *De peccato gulæ, quid ſit.*
2. *Quomodò in principio mundi & maiores noſtri fuerint abſtinentes.*
3. *Quæ mala ſequantur ex gula.*

PRimò gula eſt inordinata & nõ neceſſaria cupiditas potandi ac vorandi: & ex hoc vitio primum hominis peccatum eſt cõpletum, Geneſ. 3. vndè poſteritas infinitis malis & ærumnis affecta eſt, & in perpetuum fuiſſet cum corpore & anima damnata, niſi promiſſum ſemen, quod eſt Chriſtus, eam ſaluâſſet, Gal. 3. ideò Chriſtus Lu. 21. prohibet gulam, inquiẽs: Attendite ne grauẽtur corda veſtra crapula & ebrietate, & curis huius mundi. & Apoſt. Rom. 13. Non in commeſſationibus, inquit &c. Olim apud gentiles fuit ſecta Epicureorum, quæ exiſtimabat ſummam beatitudinem conſiſtere in voluptate & crapula: Chriſtus autem beatos cenſet qui lugent, Matth. 5. nam veniet quod Eſaias dicit cap. 22. Vocabit Dominus ad fletum, planctum, & cilicium, &c. Sed ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & mactare arietes, comedere carnes, & bibere vinum, dicentes: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur &c. huic autẽ peccato deſeruiũt omnes athæi, qui nõ credunt aliam vitã eſſe poſt hanc vitam, iuxta dictũ illorum: 1.

Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas: quorum Deus venter est: non timent, nec amant, aut credunt alium Deum, Philipp. 3. Sic Esau propter gulam lentis edulij vendidit primogenita sua, Genes. 25. sic crapula multos depauperat in substantia: & hodiè consuetudo est, vt in conuiuijs aut prandijs magna fiãt fercula, varij apparatus, varia genera vinorum, ostentatio poculorum argenteorum &cæt. fructus autem huius gulæ sunt, consumptio, ebrietas, rixa, detractio, impudicitia, & aliquandò homicidia, vt scribũt Poëtæ de conuiuio Lapytharum & Thracum, qui post epulas scyphis pugnabant, & sanguineas mouebant rixas. ideò Iob 1. quandò filij eius celebrabant conuiuia ex ordine, surgebat manè, & offerebat holocausta per singulos &c. ne Deus offenderetur vitijs conuiuantium filiorum. sed vbi hodiè est talis pietas in conuiuijs? immò venit & alius fructus ex comessationibus, nẽpè leuitas & saltatio, iuxta illud Exod. 32. Sedit populus manducare & bibere, & surrexit ludere, id est, saltare, &c.

2. Secundò, legitur quòd cibus & potus hominum in principio erant sine omni additamento aut confectione, sed simplex, & ex fructibus arborum & potu aquæ se sustentabant homines antè diluuium, & ideò erant longioris vitæ, sed post diluuium esus carnium incepit, & potus vini & confectio ex herbis, & paulatim diuersa genera cibariorum & aromatum inceperunt. Prẽterea Romanorum & Gẽtilium probatur abstinentia, de quibus legitur quòd apertis ostijs coram transeuntibus comedebant, & certo tempore, quia legem habebant gulę & ebrietati positam, ne quis excederet in comessationibus &c. De Platone legitur, quatenùs per totam vitam suam non nisi semel in die comedebat, & cùm aliquandò cum suis de varijs cõferret sermones, narrauit se fuisse in quadam regione, vbi homines bis in die comederent &c.

Eccè

Eccè hæc fuit Gentilium abstinentia, nos verò Christiani, & præsertim Euangelici, quoties in die nos replemus & ingurgitamus? & nemo pro peccato reputat. dicitur Eccl. 37. Propter crapulam multi periêrunt, & plures quàm gladio &c.

Tertiò, multa mala & quidem grauissima sequuntur crapulam. Est enim homo gulosus requies diaboli, non enim macilentos, sed pingues quærit. Ideò mali Spiritus Matthæi 8. petiêrunt mitti in porcos. nam porcus nihil aliud quærit nisi cibum, vt semper voret, se repleat & impinguetur: ita etiam faciunt gulosi, & in tales diabolus habet suam potestatem. Non enim legitur, Sathanam tentâsse diuitem epulonem, qui iam suum erat mancipiū, Luc. 16. Sed Christum ieiunantem & esurientem in deserto tentâsse, cū dicere: si filius Dei es, dic vt lapides isti fiant panes. Ideò docuit Christus quòd genus illud dæmoniorum, quę gulā accendunt, non ejcitur nisi ieiunio & oratione. Qui ergo vult liberari ab illo dęmonio, fugiat crapulam. Deindè gula nocet homini in corpore & anima: in corpore, quia plurimas infirmitates generat. Ecclesiast. 37. In multis escis erit infirmitas. Multos morbos faciunt multa fercula, quia ex nimia repletione, multi fiunt paralytici, contracti, hydropici, pleuretici &cæt. Vndè est magna hominum stultitia, quòd ob delectationem palati per vnam horam, sibi accersant multifarias infirmitates. nam vitam quoque abbreuiat crapula. Ecclesiast. 37. Qui abstinens est, adijciet vitam. Est enim abstinentia mater sanitatis & viuacitatis: voluptas autem & repletio, multarum ęgritudinū causa est. Itē gula nocet animę nā facit obliuisci creatoris sui. Oseę. 13. saturati sunt, & eleuauerunt cor suum, & obliti sunt mei. In hoc sę pè peccant clerici, quandò conuiuantes horas canonicas negligunt. Proueniunt autē ex hoc vitio gulæ multa mala humano generi & plagæ, nempè caritas annonæ

3.

Matt. 4.

Matth. 17.

annonæ & frumentorũ, fames, incendia, morbi acuti, &c. Ideò dicitur: si non seruaueritis ꝑręcepta mea
Leuit. 26. &c. hæc faciam vobis, visitabo vos velociter in egestate & ardore: frustrà seretis sementẽ, qui ab hostib. deuorabitur: labor vester erit incassum, non ꝓferet terra germen, nec arbores poma prębebunt. & infrà: Cõfringam baculum panis vestri? panis dicitur baculus, quia sustentat vitam) vt decem mulieres in vno cliba no pinsant panes, & reddent eos ad pondus, & comedetis, & non saturabimini. sic etiam Deut. 28. scribitur de plagis huiusmodi, & historia Num. 11. testatur quantopere displiceat Deo gula, quando filij Israël in deserto petiêrũt carnes non cõtenti de manna cœlesti, quomodò puniti sunt dum adhuc carnes essent in dentibus eorum & moriebantur subitò, &c.

CAPVT XIX.

ARGVMENTA.

1. *De vitio ebrietatis.*
2. *Quæ mala sequantur ex ebrietate.*
3. *Quantũ sit punita à Deo, & hodiè puniatur.*

1. PRimò ebrietas est non necessaria (ein vnnötige(repletio potûs, per quam ratio deperditur, & est maximum peccatum, si fit cum proposito. Noë cùm bibisset vinum, nudatus fuit: quod nõ accidisset, si sobrius fuisset, Gen. 9. dicitur Eccl. 31. Vinũ ad iocunditatẽ creatum est, & non ad ebrietatem: exultatio corporis & animæ, vinum moderatè sumptũ: abundantia verò vini, iram & infirmitates multas generat. Ideò Apostolus 1. Timot. 3. prohibet eligi in Episcopum vinolentum, & Christus prohibet ebrietatem, inquiens Lucæ 21. Videte ne corda vestra grauentur crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, &c. Et propheta Esaias 5. clamat contra hoc vitium, inquiens: VAE qui consurgitis manè ad ebrietatem sectan-

sectandam,& potandum vsque ad vesperam,vt vino æstuetis:cithara & lyra &cæt. Opus autem Domini non respicitis,quare ad Romanos.13. Apostolus inquit:Non in commessationibus & ebrietatibus, scilicet non licet nunc viuere post baptismum, sed induimini Dominum nostrum Iesum Christum. id est, imitamini Christi bonitatem, abstinentiam,sanctitatem,sobrietatem,patientiam, humilitatem,&c.

Secundò multifaria damna sequuntur ebrietatem Oseę 4. Fornicatio, & vinum & ebrietas auferũt cor. id est. prudentiam & virilitatem. Sit quantumcunque sapiens vir, si inebrietatus fuerit, ibi aufertur cor & ratio, & fatuo ac semiuiro similis efficitur:ideò Salomon Prouerbior.31.inquit:Noli regibus dare vinum,quia nullum secretum est,vbi regnat ebrietas: ne fortè bibant reges,& obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis:sed vbi 2.
hodiè maior est potatio ad ęquales haustus, nisi in aulis principum & potentum? ibi enim honor & strenuitas reputatur,fortiter posse bibere &cæt. Sed quam praua & infausta inde sequantur sæpè consilia & ausus temerarij, exitus probat,cuius rei verissimum habemus exemplum in rege Balthasaro Chaldæorum, de quo scriptura dicit Daniel,5. quod fecit grande conuiuium, & iam temulentus præcipit afferri vasa aurea & argentea è templo,& ea vertit in vsum potationis,sed mox tristem illi exitum denunciabat manus scribentis in pariete: eadem enim nocte malè perijt,& regnũ eius diuisum fuit, & datum Medis & Persis, Hoc exemplum considerent principes & episcopi, qui quandò temulenti sunt, nobilibus suis donant bona Ecclesiæ, monasteriorum & alia.Sic Paulus maximè abhorret Episcopum ebriosum,&prohibet ne ad episcopatum admittantur,qui tali vitio temulentiæ laborant. Scriptura dicit Ezechiel.44. Vinum nõ bibet omnis sacerdos,quãdò ingres-

gressurus est atrium &c. quare veteres canones sanxerunt, videlicet Dist. 35. ca. antè omnia, quòd sacerdos qui ita fuisset inebriatus, vt esset absq; ratione, deberet per triginta dies ab altari & celebratione abstinere, vel alio modo per totidem dies puniri: nihil periculosius accidere potest rei Ecclesiasticæ & politicæ, quàm ebriosus rex & sacerdos: Vndè Apostolus numerat ebrietatem inter peccata, propter quæ quis est excommunicandus, dicens primo Corint. 5. Si quis est scortator, auarus, maledicus, ebriosus, cum huiusmodi nec cibum sumere debetis. Vndè patet, quantum semper damnata & prohibita fuerit ebrietas. Porrò ex hoc vitio temulentiæ veniunt pessima peccata carnis & luxuriæ, vndè dicitur Eph. 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria: non prohibetur bibere vinum, sed inebriari: est enim gula & ebrietas ianua omnis luxuriæ tam in fœminis, quàm in viris. vndè ille dicit,

Vxor sæpè suum nescit amica virum.

& alius in Satyra:

Quid enim Venus ebria curat?

Vndè Hieronymus in Epist. 45. vicerunt vina Loth, quem non vicerunt Sodoma: quem ebrietas fecit peccare cum filiabus proprijs, &cæ. Genes. 16. Veniunt & alia grandia peccata ex ebrietate, vt Sodomitica & variæ species turpitudinis: ratio enim vbi absorpta fuerit per vinum, caro ruit in omne vitium. Sic Propheta Ezech. 16 inquit: hæc fuit iniquitas Sodomæ, abundantia, ocium, ebrietas, & saturitas, &c. Quare Petrus dicit 1. Petr. 5. Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquã leo rugiens circũit &c. Insuper ebrietas diminuit vitam & sanitatem, Eccles. 31. Propter crapulam plures perierunt, quàm gladio: sunt itaq; ebriosi homicidæ proprij corporis

poris, quia vitã sibiipsis abbreuiant: quare si lex damnat & cõburit corpora eorum, qui seipsos occiderũt vel strangulârunt, meritò & illi prohiberentur à sepultura Ecclesiastica, qui ex ebrietate & crapula obiêrunt. Amnon filius Dauid, in conuiuio Absalonis temulentus occisus fuit, 2. Seg. 13. Sic multa homicidia, cruentę pugnę, maledictiones, blasphemię, & per iugulum redituręvoces, detractiones & similia contingũt in ebrietate, & nullam habent excusationem. Vndè periculosissimũ est, in ebrietate occidi aut mori: ibi enim nulla pœnitentia, neq; fides in Christum, eô quòd ratio absorpta est per ebrietatem &c.

Tertiò quomodò punita sit crapula & ebrietas, recenset Esaias propheta, inquiens cap. 5. Propterea ductus est populus meus captiuus, scilicet propter ebrietatem & citharas & tympana in conuiuijs, & interea opus Domini fuit neglectum, & nobiles eius interiêrunt fame. & multitudo eius siti exaruit. Et iterùm: Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, scilicet ad ęquales hausțus, & estis fortes ad miscendam ebrietatem, id est, qui deceptionibus & potibus mixtis procuratis proximi ebrietatem &c. Audiant ergo hæc, & considerẽt potatores. dicit etiam Ezech. 16. ideò punitam Sodomam & alias ciuitates tam horribili pœna, nempè propter ocium, crapulam & ebrietatem, ex qua cętera nefanda peccata sequebantur. Et Christus dicit in Euãgelio Lu. 16. de epulone, qui quotidiè epulabatur splendidè, quomodò postea torquebatur in igne: quod exemplum omnes potatores attendere debent, ne & ipsi in igne æternaliter crucientur. Apostolus quoque 1. Corinthio. 6. taxat hanc grauissimam pœnam ebrietatis, cùm dicit, quòd ebriosi regnum DEI non possidebunt. & porrò ad Galat. quinto: inter opera carnis recenset ebrietatem & comessationem, & dicit quòd tales regnum Dei non possidebunt: vndè maximè fugiendũ

est hoc

est hoc vitiū. Methodius dicit propter hoc peccatum ebrietatis tandem Turcam esse venturum,&c.

CAPVT XX.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit peccatum acediæ.*
2. *Quantum DEO displiceat in homine.*
3. *Quæ damna sequantur ex acedia.*

1. ACedia est lassitudo ad bonū aliquod inchoandum, vel inchoatum bonum perficiendum: contra hoc peccatum, ne Ephesijs contingeret, Paulus flectit genua ad Deum patrem, vt confirmarentur & corrobarentur secundum interiorem hominem in fide, dilectione & timore Dei Eph. 3. Sic quoque orat pro Philippensib. vt charitas magis ac magis abundet in omni scientia & sensu, Philipp. 1. Sic maximè angebatur, si quis ex Corinthijs infirmus in fide fuerat, aut scandalizatus, 2. Cor. 11. hoc enim singulare est ingenium Sathanæ, vt vel bonum quod homo proponit impediat, aut hominem in incepto bono fatiget: orandus est igitur Deus pro constantia & perseuerantia in bono. De hoc vitio dicitur Apoc. 3. Vtinam frigidus esses aut calidus: sed quia tepidus es, euomam te ex ore meo: contra hoc vitium maximè clamabat Helias propheta, 3 Reg. 18. arguens populum: Vsquequó claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: Sin autem Baal, sequimini illum: Sed populus non respondit verbū &c. Sic hodie quoq; claudicatores confundentur.

2. Secundò, admodum displicet Deo acedia: nam seruum desidem qui nō negociabatur cum pecunia Domini sui, sed ociabatur, vocat seruum inutilem, & iubet ligatum in tenebras exteriores proijci, Matthæi 25. Omnis creatura fugit peccatum acediæ. Sol, Luna & reliqua astra perficiunt suū cursum. Vndè Augustdicit:

dicit: Si Sol posset loqui ad pigrũ, quem manè in lecto reperit, Plus heri laboraui quàm tu, currendo sine acedia, & perficiendo cursum meum, & tamen surrexi: tu adhuc dormis? Sic herbę crescunt & proficiũt de minima quantitate in maiorem: sed homo desidiosus nil proficere curat, & Salomon Prouer. 6. pigris ꝓponit animalculum minutũ, nempè formicã, quod sibi prospicit de futuro, vndè extat versiculus:

Colligit in messe, quod habet formica necesse.

Sed homo acediosus non curat nec cogitat quæ futura sunt. Dauid quoq; dicit, quomodo omnes creaturæ laudent Deũ incessabiliter, Sol, Luna, stellę, mõtes, arbores, ignis &c. Vndè displicet maximè Deo nostra acedia, cùm etiam omnes creaturæ non cessent bonum agere: quin & angeli incessabili voce Deum laudent, &c. Quare Christus iubet orare, ne fuga nostra fiat Sabbatho, id est, fuga ab operibus sanctis: aut in hyeme, id est, per amissionem charitatis erga proximũ. Nam quandò abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Mat. 24. Apud Hierem 40. homo maledicitur, quòd opus Domini faciat negligenter, & Saluator Christus maledicit ficulneæ, non ferenti fructum Luc. 13. vbi taxantur omnes desides & acedioſi, cuiuscunq; etiam status sint: Episcopus negligens in officio suo, maledicitur, eô quòd opus Domini (id est, Episcopatum suum) administrat negligenter, 1. Corin. 4. Maledicuntur omnes status, si officia sua negligant, & per acediam supersedeant, magistratus, rectores principes, clerici, monachi, laici, maritus, ac seruus ac Dominus: omnes enim status siue officia tã in Ecclesiastica quã in sęculari politia sunt opus & ordinatio Domini. Quisquis igitur in statu vel officio suo piger & acediosus reperitur, is maledictionẽ Domini incurrit: quare hoc dictum Prophetę de maledictione negligentiũ, perpendant omnes Episcopi, prelati & principes. Quòd enim tanta nunc

est perturbatio in Ecclesia & tristis facies, ex nullà alia causa venit, quàm ex negligentia & acedia Rectorum, Episcoporum & Principum, qui politias regũt, Mat. 13. cùm dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminauit zizania in medio tritici. Nam quandò officia commissa negliguntur, & alia curantur quæ non pertinent ad officium nostrum, fit vt in varia vitia incidamus. Dauid, ipso tempore cum reges ad bella procedere oportebat, desidiosus in domo sua mansit, & in graue adulterium incidit, imò & homicidium perpetrauit. Vndè enim tot adulteria & libidines in vtroq; statu, nisi ex ocio & desidia? Vndè gentilis poëta remedium dans, inquit:

Ocia si tollas periêre cupidinis arcus.
Cedit amor rebus: res age, tutus eris. &c.

3. Tertiò, varia damna sequuntur hoc peccatum: nã tales desidiosi qui sic torpent in bono aliquo perficiendo, & de die in diem differunt, sæpè morte inspe-rata prẽueniuntur, & illis tempus & vita subtrahitur, quandò dicunt, Cras faciam aliquid boni, cras incipiam me emendare. sed contra hoc est quod veteres in versu dixerunt:

Noli per crãs crãs, longas tibi ponere metas:
Qui non est hodiè, crãs minus aptus erit.

Vndè Christus ad quendam qui dicebat: Domine, permitte me priùs sepelire patrem, & sequar te: respõdit, Sequere me, & sine mortuos sepelire mortuos suos: mortuos, id est, infideles, vt notatur Ioan. 5. Venit hora & nunc est, vt mortui, id est, infideles audiant vocem, id est, Euangelium filij Dei: & qui audierint, id est, crediderint, viuent æternaliter. Sic neminem à fide Christiana impedire debet vel mater, vel pater, vel soror, &c. Sic Christus increpauit Petrum, qui retrospiciebat & quærebat de Ioanne Euangelista dicens: Domine, hic autẽ quid? Christus respõdit,

Quid

Quid ad te? tu me sequere, id est, Nihil te retardet vel impediat, quin me sequaris. Vndè valdè periculosum est, bona quæ in aïo cõcepimus, de die differre in diẽ, sæpè enim illos cita mors prœuenit. quare dicitur Eccles. 5. Ne tardes conuerti ad Dominũ, & ne differas de die in diem. subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Vndè Augusti. 8. Confes. Quàm diu cràs? & cur non modò? quarè non ex hac hora finis torporis mei? Admonet igitur Apostolus Gal. cap 6. vt vitent hoc vitium acediæ, dicens: Bonũ facientes, non deficiamus: ergo dum tempus habemus, operemur bonum &c. Incitat quoq; nos ad vitandum hoc vitiũ promissio præmij, 1. Cor. 3. & Mat. 19. Centuplum accipiet, etiam in hac vita. Hoc est telum Sathanæ, quo vulnerat multos, qui putant & dicunt, quòd nullum sit meritum bonorum operum, cùm tamen Christus passionis suæ merito Spiritũ & gratiam operandi bonum nobis meruit, & facit opera nostra accepta & meritoria: & circa hoc multi exciderunt à merito, & apostatârunt ex monasterijs, & alijs sua merita inuiderunt, vt inquit Ambrosius lib. 10. Epist. 82. Quarè audiamus saluatorem nostrum, qui nos monet contra hoc peccatum acediæ:

Vigilate, quia nescitis qua hora DOMINVS venturus sit, Matthæi 24.

(.·. Lucæ 12. .·.)

FINIS

CATECHISMI.

ARGVMENTORVM IN CATECHISMVM DN. CONRADI CLINGII, CATALOGVS SEV INDEX.

Ac primò in caput primum libri

PRIMI.

1. QVomodo Deus vult à nobis agnosci & apprehendi.
2. Quis sit verus cultus, quo potissimè vult à nobis coli.
3. Vndè veniat causa nobis istius veri cultus Dei atque possibilitas.

In caput II. Pag.5

1. Quid sit lex Decalogi.
2. Quæ sint officia legis.
3. De præmio atque pœnis legis.

In caput III. Pag.10

1. Quid sit iustificatio hominis.
2. Quomodò accipiatur gratis per fidem in Christum.
3. Quòd eam necessariò sequi debeat obedientia legis & pia opera, alioqui non retinetur.

In caput IIII. Pag.15

1. Quæ peccata simul existant cum fide, gratia, atque Spiritusancto.
2. Quæ peccata excutiant gratiam Dei & Spiritus sancti.
3. Quos homines Spiritussanctus adiuuet: & eis adsistat, vt vincantur vitiosi motus.

In caput V. Pag.19

1. Vndè veniat homini fides CHRISTI.

2. Quæ

2. Quæ sit fides Christiana, & in quo fundetur.
3. Quomodò cognoscitur & testificatur vera fides esse in homine.

In caput VI. Pag. 23

1. Qua de causa dicitur quòd fides iustificet, id est, iustum faciat coram Deo peccatorem.
2. Cur Apostolus dicit, quòd gratis iustificamur gratia ipsius Christi, Rom. 3.
3. Quomodò intelligendum, quòd idem Apostolus dicit, quòd iustificamur fide sine operibus legis.

In caput VII. Pag 27

1. Quomodò clarè & rectè intelligitur, quòd fides iustificet absque operibus legis.
2. Quid per opera legis intelligi velit Apostolus.
3. Quòd non reijciuntur bona opera, sed exiguntur, ac sola falsa opinio de illis reijcitur.

In caput VIII. Pag. 31

1. Quomodò fides vera solùm attendit & ponderat promissiones. & illis assentit in re iustificationis.
2. Quomodò leges, opera, cæremoniæ ac ritus extra æstimationem iustificationis seruati, non nocent, nec derogant fidei.
3. Quid sit, excidere à Christo & fide.

In caput IX. Pag 34.

1. Quid significet hoc verbũ GRATIA, & quid sit.
2. Quibus detur.
3. Quomodò sit causa, quòd omnia opera nostra DEO placeant.

In caput X. Pag 38

1. Quid faciat opus hominis bonum, eò quòd homo est peccator.
2. Ad quid Deus præcepit nobis facere opera bona.
3. Quod sit præmium operum bonorum.

In caput XI. Pag.33
1. Quomodò opera nos iuſtificent.
2. Quomodò placant Deum.
3. Quomodò ſatisfaciunt, & in quem finem hæc tria Eccleſia tribuit operibus.

In caput XII. Pag.47
1. Quid ſit condignum præmium & æquale bonorum operum.
2. Quid ſit pręmiũ gratię,& quantum ſe extendat.
3. Quarè Deus adeò largus eſt in diſtribuendis præmijs.

In caput XIII. Pag.51
1. Quid ſit peccatum in homine.
2. Quæ ſit cauſa peccati.
3. De diſcrimine peccatorum.

In caput XIIII. Pag.55
1. Quid ſit homo vetus,& qui eius fructus.
2. Quid homo nouus, & qui eius fructus.
3. Quomodò quotidiè debemus mori ſecũdum veterem hominem,& naſci in nouum.

In capnt XV. Pag.58
1. Vndè dicatur libertas Chriſtiana.
2. In quo conſiſtat libertas conſcientiæ,& in quo carnis.
3. Quòd hæc libertas non liberat à tributo Dominorum,nec à ſtatutorum in Eccleſiæ obedientia ad Dei laudem ordinatorum.

In caput XVI. Pag.61
1. Vndè ſacra ſcriptura dicitur litera & ſpiritus.
2. Quòd litera occidit,& ſpiritus viuificat.
3. Quarè ſcriptura vtitur figuratiuis ſermonibus.

In caput XVII. Pag.64
1. Quandò ſacra ſcriptura lex eſt, & quandò Euangelium.
2. Quatenus vtrunque doceri debet, & ordine,ſcilicet,primò lex,deindè Euangelium.

3. Quòd

3. Quòd nedum manu, sed etiam intus Spiritu volunt impleri.

In caput XVIII. Pag.68

1. Quarè Deus segregauit populum Iudaicum à cæteris gentibus.
2. In quem finem illis dedit legem, cæremonias, & hostias præcepit.
3. Quomodò semper sub vna fide varij ritus & cæremoniæ sine periculo sint obseruatæ.

In caput XIX. Pag.71

1. Vndè sit causa electionis, vtrum ex lege, an nostra actione.
2. Qui sint certi, quòd sint de numero prædestinatorum.
3. Quid faciat conscientia dum anxiatur de prædestinatione.

In caput XX. Pag.75

1. Quam habeat homo liberam voluntatem naturaliter.
2. Quæ sit spiritualis libertas sanctificati hominis.
3. Quomodò voluntas nostra est causa contingentiæ rerum.

In caput XXI. Pag 79

1. Quid sit Christi Euangelium.
2. Quarè nobis reuelatum.
3. Quid doceat potissimùm.

In caput XXII. Pag.84

1. Quarè Deus dedit promissiones hominibus.
2. Quæ sit propria promissio Euangelij.
3. Quæ promissio sit propria legi sine operibus.

In caput XXIII. Pag.89

1. Quis sit Christus in sua persona.
2. Quarè donatus sit nobis peccatoribus.
3. Quapropter ipsum accipimus à Deo patre.

In caput XXIIII. Pag. 94

1. Quòd Christi mors vnica sufficit ad tollendum omnia peccata, præterita, præsentia & futura.
2. Quomodò efficacia illius mortis distribuitur per media.
3. Quòd media licet exigantur, non tamẽ sunt pars salutis nostræ, sed solus Christus est totus & vnicus saluator, cui totum tribuitur: & solùm ipsius opera, & non nostra, vincunt peccatum, mortem & Sathanam.

In caput XXV. Pag. 96

1. Quid sit quod omnium primò in nobis appræhendit Christi merita, fides an opera.
2. Quarè fides antè omne opus accipit talia Christi beneficia.
3. Quòd obseruantia præceptorum retinet beneficia Christi, & quòd Christi gratia facit vt obseruentur præcepta.

In caput XXVI. Pag. 101

1. Quarè Christus post RESurrectionem tam sæpè salutat Apostolos pace, & optat illis.
2. Quibus modis & vijs Christus sit pax nostra, quandò in pressura mundi viuimus.
3. Quòd hæc pax conscientiæ ad carnem non est trahenda.

In caput XXVII. Pag. 105

1. Quæ sit maxima scientia, & òptima sapientia hominis.
2. Quomodò rectè cognoscitur Christus.
3. Quatenùs cognitio Christi non est trahenda ad carnem.

In caput XXVIII. Pag. 110

1. In quo consistit regnũ Christi, & qui sint in illo.
2. Quid sit regnum Sathanę, & qui sint in illo.
3. Quomodò non nocebit credentib. etiamsi adhuc sentiunt regnum Sathanæ in motibus animi & corporis.

In ca-

In caput XXIX. Pag.113

1. Quid faciat hominem Christianum seu spiritua-lem.
2. Quòd fides secum patiatur officiũ ciuile & conditionem, statum, cęremonias & ritus, si desit superstitio.
3. Quæ sit apostasia à fide.

In caput XXX. Pag. 117 & 118

1. Quomodò mors & supplicium Christi sit in redemptionem fidelium: sanctorum autem martyrium, in testimonium fidei in Christum, & exhortationem constantiæ.
2. Quòd Christus sua morte meruit solus omnibus sanctis & hominibus hæc duo, remissionem peccatorum & cœlum, quod nullus sanctorum suo martyrio sibi mereri potuit.
3. Quòd Christi mors meruit omnibus credentibus capitale bonum: sanctorum autem martyrium, accidentale in cœlo secundùm gradus.

In caput XXXI. Pag.122

1. Quomodò Christus pro peccatis nostris satisfecit sua morte.
2. Quæ sit Euangelica satisfactio, quam à nobis exigit Christus.
3. Quæ sit Ecclesiæ satisfactio secundùm canones, & olim fuerit in vsu.

In caput XXXII. Pag.126

1. Quid sit Christum induere.
2. Quandò contingit illa induitio Christi.
3. Quid sequi debeat illam induitionem Christi.

In caput XXXIII. Pag.129

1. Quomodò scriptura semel nobis proponit Christum, vt donum Dei, quod in fide cum gaudio susscipere debemus.
2. Quomodò scriptura proponit nobis Christũ, vt exemplũ vitæ & operum quod imitari debemus.

3. Quomodò per Euangelium, verba & facta Chri-
sti, Cristus ad nos venit, & nos illi adducimur.

In caput XXXIIII Pag. 133

1. Vndè venit quòd dicitur, quòd Deus gratis no-
bis remittit peccata, & donat cœlum: nam hic
sermo per totum Euangelium habetur.
2. Quid excludat hęc particula, Gratis,
3. Vndè sit causa pręmiorum nostrorum operum,
si Deus gratis omnia confert.

In caput XXXV. Pag. 137.

1. Quis hominum viuit in Christo.
2. Quomodò Deus ac Christus habitat & viuit in
nobis.
3. Qui viuunt in Sathana, & in quibus ille viuit.

In caput XXXVI. Pag. 141

1. Quomodò oporteat opus dilectionis DEI erga
nos, primùm credere, & per fidem accipere.
2. Quomodò acceptum Christi beneficium, causa
est dilectionis nostræ erga Christum.
3. Quòd oporteat fructus & opera dilectionis osté-
dere, alioqui Christi beneficium (id est, iustifica-
tio) non retinetur.

In caput XXXVII. Pag. 145

1. Quòd primum opus atque præcipua virtus post
fidem in homine iustificato est dilectio, qua Deus
gratis propter semetipsum diligitur, & proximus
propter Deum.
2. Quid sit dilectio proximi, & eius virtus atque
conditiones.
3. Quòd dilectio implet legem, & sua habet prę-
mia hîc & in futuro.

In caput XXXVIII. Pag. 150

1. Quare Deus est timendus, ne peccemus.
2. Quomodò peius contingit relabentibus in pri-
stina vitia, & hîc, & in futura vita.

3. Quod

3. Quòd timentibus Deum semper prosperè & benè omnia succedunt.

In caput XXXIX. Pag 153

1. Quid Apostolus vocet cōscientiam, & quid cauterizatam conscientiam.
2. Quòd maxima consolatio hominis coram Deo & mundo in rebus & fama, sit testimonium internum conscientiæ.
3. Quòd sicut nihil est melius bona conscientia, ita nihil peius mala conscientia homini.

In caput XL. Pag.157

1. Quid sit verbum Dei.
2. Quid sit credere verbo Dei.
3. Quid sit custodire aut conseruare verbum Dei.

In caput XLI. Pag. 161

1 Vndè sit remissio peccatorum, & quis remittat peccata.
2. Quomodò sit intelligendum, quandò dicitur, sacramenta, opera, oratio, ieiunium, eleemosyna, charitas, &c. remittunt peccatum.
3. Quàm diù duret remissio peccatorum.

In caput XLII. Pag.165

1. Quæ sit differentia inter verbum Dei & verbum hominis.
2. Quomodò maximus cultus & honor sit, quem Deus à nobis exigit, scilicet vt verbo eius credamus, in illo collocemus fiduciam nostram.
3. Vt illud faciamus & custodiamus.

In caput XLIII. Pag.168.& 169

1. De certitudine conscientiæ in re salutis.
2. Quòd misericordia Dei, quæ propter Christum exhibetur, non apprehenditur dubitante conscientia.
3. Quomodò misericordia & gratia DEI opponitur debito, merito & dignitati bonorum operum.

In caput

In caput XLIIII. Pag.172.& 173
1. Quomodò certant & concordant in authore salutis, id est, Christo, omnes veteres & recentiores.
2. Quomodò ijdem variant & pugnant de acceptione aut distributione vitæ æternæ.
3. Quæ doctrina sit conformior scripturæ & veritati, atque timori & honori diuino.

In caput XLV. Pag.177
1. Quæ sint præcepta Dei & quæ hominum.
2. Quantùm distent ab inuicem.
3. Quòd abusus sit, dum humana præcepta diuinis præferuntur.

In caput XLVI. Pag.181
1. Quare Deus dedit legem decalogi & præcepta populo.
2. Quibus imputetur impletio legis.
3. In quem finem lex est abrogata.

In caput XLVII. Pag.185
1 In quem finē præcepta humana addita sunt præceptis Dei.
2. Quandò sint ea præcepta periculosa conscientiæ, & frustrà fiant.
3. Quandò laudabilia sint & meritoria.

(?¿?)

IN LIBRVM SECVNDVM CATECHISMI D.N. CONRADI CLINGII, ARGVMENTA.

In caput I. Pag.189

QVomodò solus est vnus & verus Deus.
2. Quòd ei tria debeamus, fidem, dilectionem, & timorem perfectum: nam hæc est gloria, quam nulli alteri dabit.
3. Quinam primum transgrediantur præceptum.

In caput II. Pag.195

1 Quod sit idolum spiritualium, sapientum, doctorum huius mundi, propria scilicet iustitia.
2. Quomodò mammon siue voluptas sit idolum sęcularium, indoctorum, vulgi.
3. Quomodò Deus solus vult inhabitare cor nostrum, & solus illud exigit.

In caput III. Pag.197

1. Quæ sit pura Dei adoratio.
2. Quomodò Deus non vult adorari in creatura.
3. Quomodò Deus vult laudari in creaturis & sanctis suis.

In caput IIII. Pag 202

1. Quid per nomen Dei debeamus intelligere.
2. Quandò rectè vtimur nomine Dei, & quandò in vanum & malè.
3. Quomodo puniantur transgressores huius præcepti.

In caput V. Pag.206

1. Quòd licitum sit verè iurare.
2. Quàm grande peccatum sit, falsè iurare, & ad peccatum

peccatum nomen Dei inuocare.
3. Quòd magistratus punire tenetur periuria, quæ hîc Deus grauiter punit.

In caput VI. Pag. 210
1. Quare sit institutum sabbathum.
2. Quid sit feriari, & etiam sanctificare feriam.
3. Quomodò contemptores huius præcepti peccant, atque puniuntur hîc & æternaliter.

In caput VII. Pag. 214
1. Qualis fuerit intellectus falsus Iudęorũ de violatione sabbathi.
2. Quare Christus communiter sanauit sabbatho, & fecit miracula.
3. Quomodò charitati proximi cedere debet omnis lex, tam diuina quàm humana.

In caput VIII. Pag. 218
1. Cur dies festi atque solennia dierum sint instituta.
2. Quid mereantur opera sabbathi, id est, feriatio, oratio, eleemosyna, siue oblatio altaris.
3. Quæ sit allegoria sabbathi.

In caput IX. Pag. 221
1. Quare Deus hoc præceptum dedit.
2. Qui sint parentes quos honorare debemus.
3. Quòd hęc obedientia & opera ciuilia, sint cultus Dei, & Deo placeant maximè.

In caput X. Pag. 225
1. In quibus punctis consistat honor, quem debemus superioribus.
2. Quid sit præceptum officium eorum qui præsunt
3. Quare sępè dissipantur imperia, magistratus, prudentes & pacifici.

In caput XI. Pag. 229
1. Quòd

1. Quòd Deus dedit nobis parentes ideò, vt sint nō
stri domini loco sui, id est, Dei.
2. Quæ sint magna bona, quæ Deus nobis per pa-
rentes nostros facit.
3. Quòd non solùm sanos, sed etiam infirmos &
senes parentes honorare debemus, & illis bene-
facere, vt simus capaces promissionis Dei.

In caput XII. Pag. 233

1. Quare nōn debemus occidere, quia Deus præce-
pit & vindicare vult homicidium.
2. Quibus incumbit vindicare malum.
3. Quandò irasci sit sine peccato, & quandò cum
peccato.

In caput XIII. Pag. 236

1. Quid sit vera reconciliatio proximi, quam Deus
exigit.
2. Quòd illa Deo plus placeat, quàm munus, id est
opus etiam quodcunque.
3. Quale habet præmium reconciliatio.

In caput XIIII. Pag. 240. & 241

1. Quibus sit præceptum vt nubant.
2. Quomodò quis mœchatur, corde, ore & facto.
3. Quomodò Deus punit adulterium hîc & in fu-
turo.

In caput XV. Pag. 245

1. Quæ personæ possunt contrahere matrimoni-
um.
2. Quòd parentes non debent cogere filios ad ma-
trimonium illius aut alterius personæ, sed libe-
rum permittere.
3. Quòd filij sine parentum consensu non debent
contrahere.

In caput XVI. Pag. 248

1. Quid sit intelligendum per hoc verbum, fu-
rari.

2. Quòd

2. Quòd merces iusta pro labore, non est furtum.
3. De restitutione furti, quomodò fieri debeat.

In caput XVII. Pag. 252

1. Quid sit contractus.
2. In quem finem Deus permittit contractum.
3. Quomodò benedicuntur rectè cõtractibus vtentes, & quatenùs malè vtentes grauiter puniuntur.

In caput XVIII. Pag. 255. & 256

1. Qui census sint à Deo ordinati, & quibus personis.
2. Qui census sint priuato arbitrio constituti.
3. Quandò sine peccato exiguntur.

In caput XIX. Pag. 259

1. Quibus propriè debentur reditus Ecclesiæ.
2. Quàm grauiter peccant, qui illos reditus ac testamenta in alium vsum conuertunt.
3. Quàm graui pondere se grauant homines vtentes his reditibus ac testamento, neglecto ministerio & officio.

In caput XX. Pag. 263

1. Quòd voluntas Dei est, vt de iusto lucro viuamus: ad hoc vult ipse cooperari
2. In quibus rebus sit lucrum turpe & inhonestum.
3. De punitione, quæ sequitur hic & in futuro iniustum lucrum.

In caput XXI. Pag. 267. & 268

1 Ad quid nos Deus obligat hoc præcepto erga suã personam.
2. Ad quid erga proximum.
3. Quàm grauiter puniatur falsum testimonium.

In caput XXII. Pag. 270. & 271

1. Quòd iudicium politicum sit opus Dei, & ab illo ordinatum.
2. Quòd fieri debet rectè & iustè, non ex fauore aut precij causa, sed propter veritatẽ & ipsum Deum.

3. Quæ

3. Quæ sit punitio falsorum iudicum & procuratorum.

In caput XXIII. Pag. 274

1. Quæ sit differentia inter legem Dei & leges humanas ac Philosophiam.
2. Quòd concupiscentia etiam sine externo opere peccatum est.
3. Quomodò non debemus concupiscere domum proximi.

In caput XXIIII. Pag.278

1. Quid hoc præcepto DEVS præcipit & exigit à nobis.
2. Quomodò transgressores huius præcepti puniuntur.
3. Quòd serui & ancillæ non debent credere facilè detractoribus, & qui eos alienare volunt à suis Dominis: nam & Deus illos punit.

In caput XXV. Pag.282

1. Quarè Deus nobis hominibus factus est pater pius & amicissimus.
2. Quæ sit differentia inter Deum patrem nostrum in cœlis,& patrem nostrum in terris.
3. Quis sit pater,cùm sciat defectus filiorum,cur tamen ab illis vult exorari,

In caput XXVI. Pag.285

1. Quomodò oporteat nomen Dei in se sanctum,in nobis etiam sanctificari.
2. In quibus rebus dehonoratur nomen Dei.
3. Quod sit præmium piè, & quod malè tractantium nomen Dei.

In caput XXVII. Pag.289

1. Quid sit regnum Dei.
2. Quomodò ad nos perueniat regnum Dei.
3. Quomodò oporteat quotidiè regnum carnis in nobis corrumpi, vt crescat regnum Dei in nobis,

In caput XXVIII. Pag. 293

1. Quæ sit voluntas Dei, quam rogare debemus vt fiat.
2. Quæ sit voluntas Dei, quam vt nos facere possimus. rogamus, sicut faciunt angeli in cœlo.
3. Quæ sit vera abnegatio propriæ voluntatis.

In caput XXIX. Pag. 296

1. Quid sit panis noster quotidianus, quem pro nobis & tota Christianitate petimus.
2. Quomodò hunc panem comedere debemus quotidiè.
3. Quare pro quotidiano, & non annuo aut perpetuo pane, nos Christus orare voluit.

In caput XXX. Pag. 300

1. Penès quid certi reddamur, quòd Deus nobis dimiserit debita.
2. Cur petamus nobis dimitti debita, iuxta Matthæum, & non peccata.
3. Quòd nulla oratio exauditur, nec sacrificiũ aut opus Deo placet, vbi retinetur inuidia.

In caput XXXI. Pag 305

1. Quomodò & quare Deus nos tentat varijs modis.
2. Quarè Sathan etiam nos tentat.
3. Quomodò orandus est Deus, vt nos conseruet, ne succumbamus & obediamus tentationibus.

In caput XXXII. Pag. 307

1. Quid significetur per hoc nomen, Malum, à quo liberari volumus.
2. Quarè in genere petimus liberari à malo, & nõ in specie, vt ab hoc aut illo malo.
3. Quarè non petamus custodiri à malo, sed liberari.

In caput XXXIII. Pag. 311

1. Quid sit Deus.

2. Quid

2. Quid sit credere in vnum Deum.
3. Quomodò omnes damnantur, qui non credunt in Deum.

In caput XXXIIII. Pag. 314

1. Quid sit credere in Deum patrem.
2. Quid Deus pater filijs suis, id est, credentibus vult dare in præsenti & in futura vita.
3. Quàm sit res glorioſa, esse & dici filium Dei, & habere Deum pro patre.

In caput XXXV. Pag. 318

1. Quòd credere debemus, quòd Christus sit filius Dei verus, vnicus & naturalis.
2. Quòd Christus sit Dominus noster.
3. Quarè vocatur Iesus Christus filius Dei

In caput XXXVI. Pag. 320

1. Quòd Christus non de homine, sed de Spitusancto sit cõceptus & formatus in vtero virginis de sanguine & carne illius.
2. Quarè Christus sic de Spirituſancto concipi & de virgine nasci voluerit.
3. Quòd beata virgo sit perpetua virgo, & manſit in partu, & post partum.

In caput XXXVII. Pag. 325. & 326

1. Quòd Maria sit vera & naturalis mater Christi, verum sanguinem & carnem miniſtrans.
2. Quomodò singulariter illi dicatur, Dominus tecum, Gratia plena, Benedicta inter mulieres.
3. Quòd Angelica salutatio sit memoria & gratiarum actio incarnationis Christi, & ob id frequentanda.

In caput XXXVIII. Pag. 329. & 330

1. Quarè oportuit redemptorem noſtrum Christũ esse Deum & hominem.
2. Quo genere mortis sit necatus pro peccatis noſtris.

3. Quomodò mortuus est verè ac sepultus, & ad inferos descendit.

In caput XXXIX. Pag. 333. & 334

1. Quomodò Christus quem vt hominem mors vicit, ipse tertia die vt Deus vicit mortem, reuixit & resurrexit.
2. In quem fructum & ad quid resurrexit Christus.
3. Quomodò Christi resurrectio exemplar & speculum est nostræ futuræ resurrectionis.

In caput XL. Pag. 338

1. Quarè Christus ascenderit in cœlos.
2. Quomodò sedeat ad dexteram Dei patris omnipotentis.
3. Quid iam faciat in cœlis.

In caput XLI. Pag. 342

1. Quarè Christus vult tenere iudicium in die nouissimo.
2. Quomodò signa præcedentia certissimum Christi aduentum indicant.
3. Quæ sit futura sententia vltima Christi tenentis iudicium.

In caput XLII. Pag. 346

1. Quarè tertia persona in diuinis dicatur Spiritus sanctus.
2. Quomodò Spiritus sanctus sanctificat homines.
3. Quid faciat in sanctificatis hominibus, quos inhabitat.

In caput XLIII. Pag. 349.

1. Quòd sola vna est Ecclesia, quæ dicitur sancta & Catholica.
2. Quomodò in tali Ecclesia vna est communio sanctorum.
3. Quòd extra illam Ecclesiam non est salus.

In caput XLIIII. Pag. 353

1. Quomodò quis perueniat ad istum articulum, vt cum

vt eum credat, nempè remitti nobis peccata.
2. Quæ sint sigilla, vt certus sim de remissione peccatorum.
3. Quòd fides de remissione peccatorum tunc vera est, quando habet adiunctam pœnitentiam.

In caput XLV. Pag. 357

1. Vndè vera fides resurrectionis nostrę acquiritur.
2. Quomodò fiet resurrectio mortuorum.
3. Quomodò corpora beatorum decorabūtur quatuor donis æternæ gloriæ.

In caput XLVI. Pag. 361

11. Vndè habeatur pro certo, quòd vita sit futura æterna.
2. Quid sit propriè vita æterna.
3. Quomodò vita æterna differat à morte æterna.

IN LIBRVM TERTIVM CATECHISMI DOMINI CONRADI CLINGII,

ARGVMENTA.

In caput I. Pag. 365

1. QVomodò nos disponere debeamus ad mortem.
2. Quę facere debeamus lecto decumbentes.
3. Quid amici & propinqui faciant mortuo.

In caput II. Pag. 369

1. Quid sit propriè scandalum.
2. Quàm graue peccatum sit coram Deo, scandalizare proximum.
3. Quòd scandala præbentes, rarò ad pœnitentiã redeant, & ægrè saluentur.

In caput III. Pag. 373

1. Quid sit Ecclesia vera, & quid solo nomine.
2. Qui sint ministri Ecclesiæ.
3. Quæ Christus contulit Ecclesiæ suæ, vt habeat certò vsq; ad consummationem sęculi.

In caput IIII. Pag. 376

1. Quæ & quotuplex sit forma clauium Ecclesiæ.
2. Quibus claues sint concessę ac mandatæ.
3. Inquantùm se extendunt.

In caput V. Pag. 381

1. Quid propriè sit excommunicatio.
2. Quinam sint excommunicandi, & propter quã causam.
3. Quæ sint damna excommunicationis.

In caput VI. Pag. 385

1. Quomodò Christus est caput Ecclesiæ, & quomodò Petrus.

2. Qua-

2. Quare Christus voluit esse Papam, id est, prælatum vnum supremum hîc in terris.
3. Quæ sit potestas Papæ.

In caput VII. Pag.388.389
1. Quid sit & significet lauacrum regenerationis.
2. Quid fideles in hoc voueant Deo.
3. Quàm diù duret hęc regeneratio.

In caput VIII. Pag.394
1. Quid sit & significet confirmatio sacramentalis.
2. In quem vsum aut finem sit instituta.
3. Quibus modis debeat hoc sacramentum administrari.

In caput IX. Pag397
1. Quid sit ordo Ecclesiasticus.
2. Quid conferatur ijs, qui suscipiunt sacros ordines.
3. Quis debeat ordinare ministros Ecclesiæ.

In caput X. Pag.401
1. Quid dicatur esse Sacramentum cœnæ Dominicæ.
2. Quamobrem potissimùm à Christo sit institutum.
3. Vtrùm fides huius sacramenti, id est, passionis Christi, an esus ac potus, remittat peccata.

In caput XI. Pag.405
1. Quare Apostolus monet, vt homo probet semetipsum ante communionem.
2. Quomodò debeat se probare communicaturus.
3. Qui sint fructus cõmunionis, & quid sequi debeat communionem.

In caput XII. Pag.410
1. Quòd sub qualibet specie sit totum & integrum sacramentum.

2. Quòd salus nostra non dependet à potatione ca licis.
3. Quare Ecclesia vtatur vna specie pro laicis.

In caput XIII. Pag.414.&415
1. Quid sit publicum sacrificium Ecclesię, siue missa.
2. Quare sit institutum.
3. Qua ratione dicatur esse sacrificium.

In caput XIIII. Pag.419
1. Quid sit vera conuersio seu pœnitentia secũdum scripturam.
2. Quidnam homini peccata sua remittat, an nostra contritio, confessio, satisfactio, vel fides.
3. Qui sint veri fructus pœnitentiæ.

In caput XV. Pag.423.&424
1. Vndè fiat quòd homines infirmi vnguntur.
2. Qui sint fructus Vnctionis sacræ.
3. Quare in fine vitæ datur, & non in principio.

In caput XVI. Pag.428
1. Quare Ecclesia permittit & habet varia sacramentalia & cæremonias.
2. Vndè illarum sit virtus, vtrùm à rebus, an virtute diuini nominis super his inuocati.
3. Quandò illorum verus sit vsus, & quandò abusus.

In caput XVII. Pag.431
1. Quid sit Episcopus, secundùm Apostolum & scripturam.
2. Qualis sit eligendus in Episcopum.
3. Quid illi debeant subditi, scilicet honorem, obedientiam, prouisionem.

In caput XVIII. Pag.436
1. Quis sit verus hæreticus dicendus.
2. Quare Deus permittit hæreses fieri per dulces sermones.
3. Quomo-

3. Quomodò sit vitandus hæreticus.

In caput XIX. Pag.440

1. Quare Deus voluit vt Ecclesia sua haberet scripturam verbi sui.
2. Vndè certificamur de vero scripturæ intellectu.
3. An etiam sit aliquid obseruandum in Ecclesia, quod non sit expressum in scriptura vel Euangelio.

In caput XX. Pag.444

1. In quo debeat esse consensus, maximè in Ecclesia.
2. Quòd dissimilis ritus ac cęremonię non pugnāt cum Euangelio.
3. Quomodò cæremoniæ & traditiones seruiunt ministerio verbi & administrationi sacramentorum.

In caput XXI. Pag.448

1. Quàm pernicioſum sit, dubitare de gratia DEI erga nos.
2. Vndè reddamur certi de gratia & amore Dei erga nos.
3. Quomodò illa lucta siue dubitatio naturaliter inhæret mentibus hominum.

In caput XXII. Pag.452

1. Quomodò totum Euāgelium nos ad tria admonet, scilicet, ad fidem Christi.
2. Ad dilectionem Dei & proximi.
3. Ad crucem seu aduersitatem patienter toleranda propter nomen Christi & veritatem.

In caput XXIII. Pag.457

1. De securitate in populo his temporibus.
2. De duplicibus peccatoribus in mundo.
3. De carnalibus & Euangelicis malis hominibus.

In caput XXIIII. Pag.462

1. De hoc sęculo, quòd non timeat Dei iustitiam & extremum iudicium.
2. De timore Dei & iustitia ante oculos habenda.
3. De magistratu, quod non puniat delicta populi.

(Sequentia aliquot capita suis argumentis carent.)

In caput XXX. Pag. 492
1. Lex Moysi quare sit data, & quomodò à litera ad spiritum per Christum sit translata.
2. Lex fidei & Euangelij quare sit data.
3. Quomodò lex fidei obligat.

In caput XXXI. Pag. 498
1. De lege charitatis, quatenùs semper obliget.
2. Et quòd multi errent, dicentes legem esse abrogatam, & quòd Deus exigat solam fidem in Christum.

IN LIBRVM QVARTVM CATECHISMI DN. CONRADI CLINGII, ARGVMENTA.

In caput I. Pag. 504
1. DE corporali disciplina, & quid sit mortificatio corporalis.
2. Quantùm differat à iustitia spiritus.
3. Quàm grauiter peccant contemptores huiusmodi disciplinæ.

In caput II. Pag. 508
1. De patientia & cruce, quare toleranda.
2. Cur

2: Cur Deus permittit super nos varia aduersa.
3. Quomodò patiētia est sacrificium, habens promissionem regni.

In caput III. Pag.513
1. De humilitate Christiani hominis, & quid sit.
2. Quare Christianus debeat humiliari.
3. Qui sunt fructus humilitatis.

In caput IIII. Pag.517
1. Quid sit eleemosyna hominis Christiani.
2. Quomodò danda vel eroganda.
3. Quid mereatur coram Deo.

In caput V. Pag.522
1. De oratione siue obsecratione, & quid sit.
2. Quare nos debeamus orare.
3. Quæ requirantur ad veram orationem.

In caput VI. Pag.527
1. Quid sit ieiunium Christianum.
2. Vndè fiat quòd certis diebus ieiunamus, & à quibusdam cibis abstineamus.
3. Quomodò ieiunio nobis Deum placamus.

In caput VII. Pag.531
1. De peccato superbiæ, & quid sit.
2. Quæ damna adferat homini superbia.
3. Quantùm punitur à Deo, & semper punita est.

In caput VIII. Pag.534
1. Quomodò scriptura prohibeat superbum ornatum vestimentorum.
2. Quàm graue peccatum sit.
3. Quomodò puniatur à Deo.

In caput IX. Pag.537
1. De peccato auaritiæ, & quid sit.
2. Quæ mala sequantur ex auaritia.
3. Quàm miserè pereant & puniantur auari.

In caput X. Pag.541
1. De vsura & mutuo, quid sit.
2. Quàm graue vitium sit in homine Christiano.
3. Quomo-

3. Quomodò punitur à Deo & ab Ecclesia.

In caput XI. Pag.544

1. Quid sit peccatum luxuriæ, & quot modis committatur.
2. Cui similis sit luxuriosus.
3. Quàm graue peccatum sit luxuria, & quòd damna grauissima mereatur.

In caput XII. Pag.547

1. De luxuriosa & inhonesta chorea.
2. Quæ peccata regnent & fiant in saltatione.
3. Quomodò puniatur à Deo.

In caput XIII. Pag.551

1. De peccato iræ, & quid sit.
2. Quos gradus habeat & Christus notauit.
3. Damna quæ sequuntur ex ira.

In caput XIIII. Pag.556

1. Quid sit maledictio & conuicium, flůchen oder schelten.
2. Quas personas singulariter exprimit scriptura, ne eis maledicamus.
3. De pœna maledicentium.

In caput XV. Pag.559.

1. De peccato inuidiæ, & quid sit.
2. Cui sit similis inuidus.
3. Quantùm noceat homini inuidia.

In caput XVI. Pag.563

1. Quid sit detractio.
2. Quomodò detractor teneatur ad restitutionem famæ proximo ablatæ.
3. Quomodò puniatur à Deo detractio.

In caput XVII. Pag.566

1. Quid sit mendacium.
2. Cui similis sit mendaciloquus.
3. Quàm grauiter puniatur à Deo.

In caput XVIII. Pag.569.

1. De

1. De peccato gulæ, quid sit.
2. Quomodò in principio mundi & maiores nostri fuerint abstinentes.
3. Quæ mala sequantur ex gula.

In caput XIX. Pag. 572

1. De vitio ebrietatis.
2. Quæ mala sequantur ex ebrietate.
3. Quantum sit punita à Deo, & hodiè puniatur.

In caput XX. Pag. 576

1. Quid sit peccatum acediæ.
2. Quantùm Deo displiceat in homine.
3. Quæ damna sequantur ex acedia.

Societatis Jesu Paderborne

FINIS INDICIS.







UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
1129